APHORISMI INQUISITORUM IN QUATUOR LIBROS DISTRIBUTI, ...

Antonio : de Sousa, Cornelio Francescucci, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
18 B
29

13—22. c. 42.

Digitized by Google

APHORISMI INQVISITORVM

IN QVATVOR LIBROS DISTRIBVTI,

Cum vera historia de origine Sanctæ Inquisitionis Lusitanæ, & quæstione de testibus singularibus in causis Fidei:

Magnæ Matri VIRGINI Sanctissimæ de Rosario dicati.

Authore P. Fr. Antonio de Sousa Vlyssiponensi, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magistro, Regis & supremi Sanctæ Inquisitionis Tribunalis Consiliario.

S. Andrea della Valle.

TVRNONI,

Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

M. DC. XXXIII.

CVM APPROBATIONIBVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

AD VIRGINEM DEIGENITRICEM DE ROSARIO, OPERIS DEDICATIO.

IN omnibus ſcriptis, ac libris meis, Virgo ſanctiſſima, te de tuo auxilio confiſus inuocaui, nec quidem fruſtrà, vtpote illud voti compos ſemper expertus. Præſens ergo tractatus, quem tibi grato animo humiliter offerre ac dicare audeo, non minùs tuo indiget fauore. Quis enim occultam veritatem ſine te, quæ primæ veritatis, id eſt, Chriſti Ieſu filij tui, ac dominatoris noſtri, Mater es, aperire vel manifeſtare valebit? Item vt quid valeant probationes aduerſus inimicorum tuorum malitiam, hac præſertim tempeſtate, ab eis tantoperè impugnatæ

palàm fiat, rationéſque quibus illæ fulciuntur, criminum cognitio, ac modus procedendi, oſtendi poſſint, ſacratiſſimi Roſarij tui flores vniri oportet, ex quibus fructus proueniet neceſſarius, quo & Filio tuo ſanctiſſimo debitum præſtetur obſequium, & debita tibi exhibeatur veneratio. Non ergo mihi, Domina ſanctiſſima, tuum deſit aduerſus hæreticos auxilium: tu enim, ſicut ſancta canit Eccleſia, cunctas hæreſes ſola interimiſti.

AD

Ad Lectorem.

HOs breues Aphorismos collectos ex variis & accuratis disputationibus circa materias ad Inquisitoris officium spectantes, quas vita comite, ac iuuante Deo in lucem daturas spero, offero beneuolo Lectori. Cum illis certam resolutionem de origine nostræ Inquisitionis Lusitanæ, & vnicam quæstionem de testibus singularibus in causis Fidei. Multa propono nondum à Doctoribus in disputatione adducta; quæ tamen tum in iure, tum in communibus opinionibus fundantur. Breuitatem affecto; propterea pauciſſimos in confirmandis Aphorismis refero Doctores, qui tamen alios de rebus occurrentibus, earúmque fundamentis tractantes referunt. Doctis ac curiosis breuitas grata erit, reliquis molesta non erit.

Licenças.

POdese imprimir este liuro, & depois de impresso torne conferido com seu original, para se dar licença para correr. Lisboa aos 26. de Março, de 1629.

Gaspar Pereira. *D. Ioão da Sylua.*

Francisco Barreto.

DOu licença para se imprimir este liuro. Lisboa a 8. de Mayo de 629.

Gaspar do Rego d'Afonseca.

QVe se possa imprimir este liuro, vistas as licenças do sancto Officio, & Ordinario, & não correrá sem tornar à mesa para ser taixado. Em Lisboa a 15. de Mayo, 629.

Cabral. *Pimenta d'Abreu.*

VIsto estar conforme com o original, damos licença que corra. Lisboa 11. de Mayo de 1630.

Gaspar Pereira. *D. Ioão da Sylua.*

D. Miguel de Castro.

Approbatio Censorum Ordinis.

APhorismorum librum pro sanctæ Inquisitionis negotiis, iudiciisque ritè & rectè expediendis quadripartitum à doctissimo, nec non meritissimo ac integerrimo supremi Tribunalis, & Majestatis Catholicæ Consiliario Reuerendo admodum P. M. Fr. Antonio de Sousa Lusitano, & Vlyssiponensi, summo studio elabo

elaboratum, miro ordine digestum, atque in hoc genere omnibus numeris absolutum, ex commissione nostri admodum R.P.M.Fr.Emmanuelis Telles, Prouincialis Ordinis Prædicatorum in tota Monarchia Lusitana, qua potui & debui diligentia euolui, atque consideraui, & nullum in toto libro reperi vel Fidei, vel bonorum morum offendiculum, quin potiùs in singulis libri partibus Fidem, & bonos mores quàm maximè iuuari. In primo libro, de iurisdictione Inquisitorum magna distinctione procedit. In secundo, de forma procedendi ipsorum dilucidè agit. In tertio, de pœnis hæreticorum, ac eorum criminum, quæ Inquisitorum iurisdictioni subjiciuntur. In quarto denique nouiter explicat, quidquid ad tempus gratiæ spectat, eodem stylo, eadémque claritate ac doctrina, tamquam verus omnium veritatum ad sanctum Officium Inquisitionis integerrimè exercendū spectantium, indagator ad amussim, ita vt nihil desiderari amplius posse videatur, vel à vigilātissimo quoque Inquisitore. Quare dignum prorsus censeo librum vtilissimum fore toti Reipublicæ Christianæ, Ordini autem nostro præcipuum ornamētum. Vlyssipone apud Prædicatores 2. Iulij, ann. 1628.

Fr. Thomas de S. Dominico Magister, librorum Censor, ac S. Inquisitionis Deputatus.

DE mandato Reuerendi admodū Patris nostri Prouincialis Aphorismorum libros quatuor; primum de Inquisitorum iurisdictione; alterum de modo procedendi apud S. Inquisitionis ministros; tertium de hæreticorum atque aliorum ad idem sacrum tribunal pertinentiū pœnis; quartum denique de tempore gratiæ, & veniæ, à sapientissimis Magistro P.Fr. Antonio de Sousa meritissimis atque integerrimo Supremi S. Inquisitionis Tribunalis, Regióque Consiliario editos attentè perlegi, ac diligenter euolui: in quibus nihil Fidei Catholicæ, aut bonis moribus dissonum reperi, sed omnia potiùs in iisdem contenta, tam Fidei, quàm bonis moribus magnopere congruunt. Insuper illud

in

in hoc opere cum admiratione aduerti (quod olim Sixtus Senensis de summa Theologia D. Thomæ eleganter adnotauit) quatuor videlicet implacabiliter pugnantia Authorem mirabili nexu coniunxisse, Copiam, Breuitatem, Facilitatem seu Claritatem, & Securitatem. Quanta enim rerum in toto hoc opere contentarum vbertas ac copia? Quæ breuitas? Porrò cum tanta copia ac breuitate, quanta facilitas, seu claritas? Quæ securitas? Quapropter opus hoc non humanum, sed humano maiorem laudatorem meo iudicio desiderabat. Hoc sufficiat in eius doctrina lectorem omni erroris suspicione liberum, & citra vllam offensionem tutum, & securum expedito gradu exspatiari posse. Vnde illud, tamquam non solùm sanctæ Inquisitionis ministris, sed etiam aliis omnibus vtilissimum, & Religionis nostræ egregium ornamentum, typis & luce dignissimum censeo. Vlyssipone, in Conuentu sancti Dominici, die 3. Iulij, 1628.

Fr. Ignatius Galuão Magister, & Collegij S. Thomæ Conimbricensis Rector.

Facultas Reuerendi admodum P. Prouincialis.

NOs Frater Emmanuel Telles sacræ Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum in Prouincia Portugalliæ humilis Prouincialis, & seruus, tibi R. P. Fr. Antonio de Sousa, S. Theologiæ Magistro, Regio & supremi S. Inquisitionis Tribunalis Consiliario, tenore præsentium, & nostri officij authoritate, facultatem concedimus, quinimò & in meritum sanctæ obedientiæ præcipimus, vt seruatis seruandis, Aphorismos Inquisitorum in quatuor libros distributos, & veram historiam de Origine Tribunalis sancti officij Inquisitionis in Regnis Lusitaniæ, ac quæstionem de testibus singularibus in causis Fidei, typis mandare possis, & mandes; cùm ex approbationibus Censorum Ordinis suprà positis, quibus examen eorum commisimus, nobis constet ea in communem vtilitatem cessura. In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Datum in nostro Conuentu Sancti Dominici Vlyssiponensis die 3. Augusti. Anno 1628.

Fr. Emmanuel Telles, Prior Prouincialis.

NOs infra scripti in sacra Theologiæ facultate Magistri, librum cui Titulus est, *Aphorismi Inquisitorum, in quatuor libros distributi, Authore P. Fr. Ant. de Sousa, sacri Ordinis Prædicatorum*, perlegimus, nihilque in eo Fidei Orthodoxæ contrarium à nobis repertum attestamur. Lugduni, 5. Septembris, 1633.

Fr. Cl. Cochet.

Frater Ioannes Portier, Magister & Prior Conuentus Lugdunensis, Ordinis Fratrum Prædicatorum.

DE ORIGINE TRIBVNALIS S. OFFICII INQVISITIONIS IN REGNIS Lusitaniæ.

EAS in Hispania error quidam circa originem Sanctæ Inquisitionis in Lusitaniæ Regnis radices egit, & adeò omnium animis insedit, vt rei huius veritatem vix me persuadere posse sperem; quamuis eam in Bullis Apostolicis contentam, & à me ex Regis archiuis, seu bibliothecis, vulgo, *Torreido Tombo*, nuncupatis, ac etiam ex supremæ Sanctæ Inquisitionis Tribunalis, & particularium Inquisitionum scriniis collectam exhibeam. Ea enim est odij ac malitiæ vis, quæ non iudicio operatur, sed morbo, vt Catholici, magnopereque christianæ Fidei zelatoris Regis eximium zelum obscurare, ac penitus ex hominum animis abradere conetur. Dicam tamen, quod re vera contigit, quodque sine dubio tenendum est. Sed prius quid in hanc sententiam dixerint Ludouicus de Par-

mo *lib. 2. de origine Inquisitionis tit. 2. cap. 15. num. 6. tit. de Inquisitione Lusitaniæ*, quem sequitur Fr. Alphonsus Fernandez Placentinus *in Concertatione prædicatoria anno 1541. num. 2.* & Petrus de Salazar, & Mendoça, *in chronica Illustrissimi Cardinalis D. Joannis Taueira cap. 37.* Zeuallos *tom. 4. commun. opinion. quæst. 1. & in ordine 897. num. 339.* Illescas *in Pontifical. tom. 2. lib. 6. cap. 4. fol. 21. col. 1.* aperiam, ac breuiter proponam.

Asserunt igitur præfati authores quendam N. Sahauedram Cordubensem (quem Mendoça Ioannem Perez de Sahauedra vocat, quo nomine Paramus tum eiusdem parentem, tum etiam quendam ex eius fratribus appellat) scripturarum, Breuium, seu literarum Apostolicarum falsificatorem, anno Domini 1539. falsificatis, seu potius falsis literis, ac Bullis, se ipsum Cardinalem Legatum instituisse, ac pronunciasse à Summo Pontifice missum, vt sacrum Inquisitionis Tribunal in hoc Regno institueret, quod, inquit, Paramus, Lusitaniæ Reges recipere renuebant, quamuis postea fructum ex præfati Sahauedræ institutione prouenientem considerantes, illud à Summo Pontifice postularent. Paramo ex parte opponitur Mendoça, asseritque Cardinalem Taueira, anno Domini 1539. Sereniſſimum Lusitaniæ Regem Ioannem tertium in eam sententiam adduxisse, vt sacrum Inquisitionis Tribunal, eo modo, quo in Castellæ Regnis vigebat, in suis quoque Regnis institui curaret: quod iam prius, inquit ille, præfatus Rex, anno 1535. obtinere conatus est. Vterque tamen tàm Paramus, quàm Mendoça in hoc conueniunt, prædictum scilicet Sahauedram, sanctæ Inquisitionis

quisitionis Tribunal in Lusitania instituisse, Inquisitorisque generalis munus sex mensibus, quibus in hoc Regno commoratus est, exercuisse, ac tandem in Castella agnitum, tentum, & ad triremes damnatum fuisse. Denique Paramus refert hæc omnia Sahauedram de seipso scripta reliquisse. Hæc breuissimè ex Paramo, qui rem latissimè literis prosequitur.

Non possum autem non mirari Paramum, qui cùm fateatur Sahauedram hominem fuisse nequam, fraudibus assuetum, falsarium, item huiusmodi euentum sibi difficilem, suoque intellectui repugnantem videri, re vera tamen eo modo, quo narrat, contigisse credit, ac pro certo, compertóque habet, sola ipsius Sahauedræ authoritate ductus, qui de se ita scriptum reliquit. Ait præterea Paramus, se in animum inducere non posse, quòd sibi Sahauedra tantum crimen imponere auderet: quasi non summum honorem reputaret homo fraudulentus, falsarius, ac infamis, si propter tam mirabile opus in omnium memoria viueret, illudque suæ punitionis, ac damnationis ad triremes causam fuisse assereret, vt vel sic crimina, propter quæ huiusmodi supplicium meruit, occultaret. Miror præterea eumdem Paramum, qui vnius Inquisitionis, de qua agere instituebat, non accuratiùs originem inuestigauerit, cùm tamen in ea, etiam hodie minister reperiatur, qui ministros temporis illius nouit: non difficile foret, fundationis siue institutionis illius Bullas, repliquasque quibus sine intermissione, continua serie ad hodiernum vsque diem peruenit, euoluere, ac inspicere.

Ad veritatem ergo veniamus. Postquàm ab Hispania, consilio ac suasionibus Fr. Thomæ de Turre-

cremata Ordinis Prædicatorum, Generalis Hispaniæ Inquisitoris, anno Redemptionis humanæ 1482. Iudæi iustè ac sanctè à Catholicis Regibus Ferdinando, & Elizabetha expulsi sunt, iuxta præceptum Concilij Toletani, anno Domini 638. celebrati can. 3. nempe quòd Hispaniæ Reges, antequàm ad regiam dignitatem ascendant, iurare teneantur, se in suis regnis nullum infidelem viuere permissuros; plures eorum, annuente Ioanne II. Rege, ad Lusitaniam se contulerunt. Pius quidem Rex, pietate quadam, sed apparente tantùm, ductus est, cui insidiarum, traditionum, pluriúmque aliorum malorum, quæ gens hæc in aliis prouinciis, ac regnis perpetrauerat, omnino defuit consideratio. Recepit illos Rex ad destinatum tantùm tempus, quo sub amittendæ libertatis pœna, è regno exire tenerentur. Elapso tempore, plures, qui non abierant, libertate priuati, atque in seruitutem redacti, vt captiui venundabantur. Præfato Regi Ioanni II. Rex Emmanuel, magnus ille Orientalis Indiæ triumphator successit: qui anno Domini 1497. omnes Iudæos, sub eadem pœna libertatis amittendæ, ex Lusitaniæ Regnis publico edicto migrare præcepit: & licet in pœnam inciderunt, non tamen ipsa, ob Regis clementiam, suum sortita est effectum. Plures quidem ex illis abierunt, quidam verò, apud quos plus valuit metus ac timor vexationum, quibus à ministris, nautis, & aliis, qui eos suis nauigiis ad alias regiones transferebant, opprimebantur, vel etiam vtilitas, quam ex vbertate regionis, quam incolebant, & in qua sibi bene erat, se adepturos sperabant, Christianos se fieri postularunt: hac tamen conditione, vt ante viginti annos

elapsos,

elapsos, de eis circa res Fidei inquiri non liceret. Atque hac conditione, sacra baptismatis aqua abluti sunt.

Cùm tamen huiusmodi Iudæi Catholicam Fidem non verè, atque ex animo, sed fictè tantùm, atque exteriùs fuerint professi; Iudæi quidem, sicut antea, permanserunt, quamuis, eo quòd occulti, perniciosiores. Vnde filios suos in antiquis Iudaismi erroribus nutriebant. Quod hodie quoque plures eorum facere experientia quotidiana demonstrat.

Regem Emmanuelem subsecutus est Rex Ioannes III. anno 1521. Qui cum iudaismum suo tempore valdè licentiosè serpere, Iudæosque publicè suos errores profiteri, atque alios docere, suosque domesticos seruos, non eos tantùm, qui ex suo erant sanguine procreati, sed eos etiam qui veteres erant Christiani, suæ doctrinæ veneno inficere, Ecclesiæ Sacramenta contemnere, nec ea in mortis articulo recipere, sacras, præsertim verò nonnullas Deiparæ Virginis, Dominatricis Angelorum imagines irreuerenter tractare animaduerteret, idque animo, & cogitatione euolueret, à Summo Pontifice Clemente VII. sacrum Inquisitionis Tribunal, pro suis Regnis obnixè postulauit. Et quamuis præfatus Summus Pontifex ob magnum Iudæorum negotium Regiæ petitioni summo conatu repugnantium (semper enim Iudæis inuisum fuit sanctæ Inquisitionis Tribunal, quod hodierna quoque die nonnulli iniquè ferunt: vtrùm eadem, an diuersa intentione, ipsi videant) diu, ac sæpe reluctaretur, ægrè tandem concessit in forma iuris, anno 1531. 16. Kalend. Ianuarij.

Post hanc concessionem, statim, anno 1533. ge-

neralem commissorum aduersus Fidem Catholicam criminum indulgentiam obtinuerunt ab eodem Clemente VII. quæ tunc suum non est sortita effectum. Mortuo tamen Clemente, à Paulo III. qui ei in Pontificatu successit, importunis precibus, assidua negotiatione, iis etiam qui effectui intento erga incorruptum Pontificem, auxilium, ac patrocinium præstare poterant, obtinuerunt, anno 1534. vt, & Lusitaniæ Inquisitores in ea forma, qua ad id vsque tempus vtebantur, suspenderentur, & anno sequenti 1535. generalem indulgentiam adepti sunt, quæ priùs à Clemente concessa fuerat. Hinc ergo effectum est (cùm huiusmodi indulgentiam non ad criminum correctionem, sed ad laxiorem Iudaicis ritibus intendendi licentiam, postulassent, sicut rei probauit euentus) vt Iudaismus magis, ac magis serperet, sicut ipsemet Pontifex posteà testatus est in suis literis datis 15. die Iulij 1547. quibus nonnullas immunitates, quas eisdem concesserat, quibus ipsi vtebantur, eorum malitia offensus reuocat.

Interim cum præfatus Dominus Rex Ioannes III. Fidei negotia in dies ruere, ac deteriùs habere, Summumque Pontificem ea quodammodo non curare, adhibito Inquisitionis remedio, in ea forma, quæ rebus conuenientior erat: ad eumdem Pontificem literas dedit, sancto quo ardebat, zelo dignissimas, quibus eum certiorem reddebat, se tum coram prædecessore suo Clemente VII. tum etiam coram ipso de hac re per quindecim annos summa solicitudine egisse. Quibus literis, rationibusque in eisdem contentis, Summus Pontifex permotus, præfato Regi Bullam Inquisitionis, anno Domini 1536. concessit.

fit. Ex quo tempore ad nos vsque sacrum hoc Inquisitionis Tribunal, Inquisitorisque Generalis munus in hoc Regno continua successione peruenit, vt ex dicendis manifestum erit.

§. 1.

Series Inquisitorum Generalium Lusitaniæ.

1. PRimus igitur Generalis Inquisitoris officium obtinuit D. Fr. Didacus de Sylua, Illustrissimus Septæ Episcopus, & præfati Regis Ioannis III. à sacris confessionibus, qui posteà Archiepiscopus Bracharensis Hispaniarum Primas effectus fuit. Donatus est hac dignitate ab eodem Pontifice Maximo Paulo III. in præfata Bulla 23. die Maij, 1536. quam 5. die Octobris eiusdem anni acceptauit, & qua vsque ad decimam diem mensis Iulij anni 1539. functus est. Tunc enim propter ætatis iam prouectæ labores, suique præsulatus negotia, præfatam dignitatem sponte reliquit, vt iuxta eiusdem Bullę tenorem, illam alteri, quem eligeret, Rex ipse conferret.

Ex quo ordine dictus D. Fr. Didacus de Sylua fuerit assumptus, an ex familia Minimorum S. Francisci de Paula, an Minorum S. Francisci Assisiensis prouinciæ Pietatis Capucinorum, dubitari potest. Literæ Apostolicæ testantur ipsum fuisse ex Ordine Minimorum. Clemens VII. in Bulla, in qua prædictum D. Fr. Didacum Inquisitorem in hoc Regno constituit, anno Domini 1531. die 17. Decemb. ita ait: *Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio Didaco de Sylua Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula*

salutem, &c. Et in alia Bulla anno 1532. die 13. Ianuarij, in qua eidem præcepit sub excommunicationis pœna, vt officium Inquisitoris acceptet, eadem formalia verba repetit.

Fuisse verò ex Religione Minorum, affirmant Fr. Antonius Daça 4. *part. Chron. fratrum Minorum lib. 1. c.* 16. Fr. Franciscus Gonzaga *de origine seraphicæ Relig. 3. part. fol.* 945. *sub tit. Prouincia Pietatis.* Param. *de orig. Inquisit. lib. 2. tit. 2. c. 15. num.* 8. asserit fuisse Discalceatum Ordinis Sancti Francisci Assisiensis.

Professionem emisisse in prouincia Pietatis, probant fratres eiusdem prouinciæ ex constanti inter eos traditione: asseruntque dictum D. Fr. Didacum, dum esset in seculo, extitisse Senatorem supremi Senatus Regij, vulgò *Tribunal palatij* dicitur; quo munere sponte relicto, habitum in dicta prouincia suscepisse, in eaque emisisse professionem; deinde à Rege Ioanne tertio in suum Confessarium fuisse assumptum; postea Episcopum Septensem, deinde Inquisitorem Generalem, tandem Archiepiscopum Bracharensem creatum.

Confirmant hanc sententiam. Primò, ex eo quòd in aula Palatij Bracharentium Episcoporum, vbi eorum effigies sunt depictæ, ipse D. Fr. Didacus in habitu fratrum Minorum Capucinorum cernitur, ac in sepulchro quo cótinetur, inuentus est fune accinctus.

Secundò, quia dictus D. Fr. Didacus natus fuit in pago, *Aldea noua* dicto, prope oppidum Couilham Egæditanensis diœcesis, & renunciato Episcopatu Septensi, in eodem pago ædes ædificauit, in quibus vixit per aliquot annos; ac etiam, vt patriam suam nobilitaret, in loco proximo, qui *Deixo* dicitur, sacellum

lum Beatæ Virginis Mariæ in conuentum fratrum prouinciæ Pietatis mutauit anno 1526.

Tertiò, quoniam non facilè quis sibi suadebit, nusquam in hoc Regno commorantibus Religiosis S. Francisci de Paula, D. Fr. Didacum suscipiendi habitum Religionis gratiâ in aliud Regnum transisse; nec si hoc faceret, inde à prudentissimo Rege vocari in Confessarium; cùm in Lusitania essent Religiones satis superque reformatæ, ac Religiosi virtute, ac literis conspicui.

2 Generalis Inquisitoris munus secundo loco obtinuit Serenissimus Lusitaniæ Infans Henricus eiusdem Regis frater Cardinalis tit. Sanctorum quatuor Coronatorum; atque in eodem Regno Legatus à Latere, eo tempore Bracharensis Archiepiscopus, ad hanc dignitatem ab eodem Rege Ioanne tertio ex vi dictæ Bullæ electus est 20. die Iunij eiusdem anni 1539. Anno autem sequenti, videlicet 1540. die 10. Maij idem Pontifex ad eumdem Regem Apostolicas literas de rebus ad Inquisitionem pertinentibus dedit, quibus præfatum Regem, cùm Inquisitionis Tribunal in suis Regnis admisit, fiscum acceptare noluisse testatur, refertque eumdem Regem in perpetuum renuntiasse, quidquid sibi ex hæreticorum bonis posset contingere, cùm non lucri cupiditate, sed iustitiæ zelo, ac Christianæ Religionis conseruandæ desiderio Inquisitionis Tribunal in suis regnis institui curasset. Digna profectò tanto Rege cogitatio, atque omni laude in toto orbe commendanda! Idem Summus Pontifex Paulus tertius die 16. Iunij 1547. Cardinali Infanti præfato secundam Bullam concessit, qua de nouo concedebatur potestas ad procede-

dum in causis Fidei,& ad supremum Generalis Inquisitionis Concilium instituendum.

Hic Sereniſſimus Princeps in huius Lusitaniæ Regni gubernatione Sebastiano Regi nepoti suo anno Domini 1578. mense Augusto hereditario iure successit.Nec statim Generalis Inquisitoris officium à se abdicauit,sed per quindecim ferè menses retinuit;vt Inquisitoris officio Regalis dignitas non deesset,omnibusque fieret conspicuum,Regis officium cum officio Inquisitoris mirificè conuenire , alterumque ab altero adiuuari.Nam Fidei integritas Regi,& Regno stabilimentum est singulare , sicut ipsius corruptio vtrisque certam minatur ruinam. Quemadmodum igitur olim in vno homine Regalis dignitas , & Sacerdotalis simul inueniebantur:sic Rex pijssimus piè etiam Sacerdotalem & Inquisitoriam dignitatem cum Regio diademate copulauit. Vt Rex Regno moderabatur ; vt Generalis Inquisitor bonum Inquisitionis summoperè curabat,leges ac ordinationes in eius vtilitatem , & iustum procedendi modum condebat;quorum principium erat : *Ego Rex tanquam Inquisitor Generalis precipio , &c.* vt Sacerdos sacrum Missæ sacrificium faciebat : cui celebranti in hac ciuitate,tum in conuentu S. Francisci prouinciæ Portugalliæ,tum in oratorio ædium parentum meorum, vbi Rex ipse eo tempore degebat , cùm adhuc essem puerulus Regali ministerio addictus , sæpe interfui. Itaque hic vnus Rex,Sacerdos,Cardinalis,Legatus à latere,ac Generalis Inquisitor.

3 Tertio loco ad Inquisitoris Generalis dignitatem ascendit Illustrissimus D. Emmanuel Menezius Conimbricensis Episcopus , qui Infantis Cardinalis Henrici

Henrici coadiutor, futuruſque ſucceſſor fuit literis Gregorij XIII. die 24. Februarij anni 1578. Morte tamen præuentus, hoc munus non exercuit. Obijt enim viuente adhuc præfato Infante Cardinali.

4 Quartus Generalis Inquiſitor, Illuſtriſſimus D. Georgius de Almeida Vlyſſiponenſis Archiepiſcopus, Archiabbatiæ Abbas, Luſitaniæque Gubernator; ab eodem Summo Pontifice Gregorio XIII. creatus eſt 27. Decembris, 1579.

5 Quinto loco, Sereniſſimus Cardinalis Albertus tit. Sanctæ Crucis in Ieruſalem, Legatus à latere Luſitaniæ, Archidux Auſtriæ, Imperatoris Maximiliani filius, eoque tempore eiuſdem Luſitaniæ Gubernator, Generalis Inquiſitoris dignitatem obtinuit deferente Sixto V. Pontifice Maximo, die 25. Ianuarij, 1586.

6 Sextus Generalis Inquiſitor à Clemente VIII. Pontifice Maximo, Illuſtriſſimus D. Antonius de Mattos de Noronha, Epiſcopus Heluenſis inauguratus eſt die 12. Iulij, 1596.

7 Septimo loco, ſupremo Inquiſitionis Concilio Illuſtriſſimus Viſenſis Epiſcopus D. Georgius de Attaide, Capellanus Maior, Ordinarius Capellæ, & domus Regiæ, totiuſque Curiæ Luſitanæ, & Archiabbatiæ perpetuus Commendatarius, Philippi Luſitaniæ Regis primi, eiuſdemque Regis ex ſupremis Conſiliarijs in Regia Hiſpaniæ Curia, annuente Clemente VIII. Pontifice Maximo, Inquiſitor Generalis effectus eſt 7. die Februarij 1600. A prædicto tamen Rege grauibus in Caſtella negotiis addictus, ad huius muneris poſſeſſionem non peruenit.

8 Octauus Inquiſitor Generalis eb eodem Clemente

mente VIII. declaratus est D. Alexander, potentissimi Regis Emmanuelis pronepos, Eborensis Archiepiscopus 29. Iulij, 1602.

9 Nonus ad idem Inquisitoris munus assumptus est Illustrissimus Episcopus Leirensis, priùs Angrensis, D. Petrus de Castilho, Regiæ Capellæ Philippi II. Lusitaniæ Regis Capellanus Maior, Ordinarius Capellæ, domus Regiæ, & totius Curiæ Lusitanæ, bisque eiusdem Regni Prorex, eodem Summo Pontifice Clemente deferēte, 24. Augusti, anni 1604. Huius Inquisitoris Generalis tempore, anno Domini 1614. die 24. Septembris potentissimus Hispaniarum Monarcha Philippus, Lusitaniæque Rex huius nominis secundus prouinciæ Portugalliæ Ordinis Prædicatorum Sanctissimi Patriarchæ nostri Dominici, primi Christiani orbis Inquisitoris, perpetuum in Concilio supremo Inquisitionis locum liberaliter concessit.

10 Decimus Generalis Inquisitor Illustrissimus D. Ferdinandus Martins Mascarenhas, Episcopus Algarbiensis supremi *Consily status*, vt vocant, Regis Philippi Lusitaniæ tertij Consiliarius à Paulo V. institutus fuit 4. die Iulij, 1616.

11 Vndecimum Generalem Inquisitorem, tanto loco dignum, tali tempori necessarium, tantis, talibusque prædecessoribus similem, à Regia, Catholicaque Maiestate iam nominatum habemus Illustrissimum D. D. Franciscum de Castro, Egæditanensem Episcopum, olim Conimbricensis Academiæ Rectorem, ac Tribunalis Conscientiæ Præfectum, à SS. D. N. Vrbano VIII. creandum.

§. 2. *In-*

§. 2.

Institutio supremi Generalis Inquisitionis Consilij, & eiusdem Deputati, seu Consiliarij.

POstquam præfatus D.Fr.Didacus de Sylua Generalis Inquisitoris officium obtinuit in ciuitate Eborensi, statim die 10. Octobris 1556. quatuor simul supremæ Generalis Inquisitionis Deputatos, seu Consiliarios creauit, quibus totum Inquisitionis negotium peragebat, videlicet:

1 Rodericum Lopez de Cartalho, vtriusque iuris Doctorem, Protonotarium Apostolicum, & Ecclesiæ Eborensis Canonicum.

2 Ioannem de Mello Iuris Pontificij Doctorem, qui postea factus est Siluensis, seu Algarbiensis Episcopus, tandemque Archiepiscopus Eborensis. Hi duo die 17. Iunij 1561. iterum ad generale Concilium Inquisitionis vocati sunt à Sereniſſimo Cardinali Henrico.

3 Gundisaluum Pinheiro, Sacrorum Canonum Licentiatum, Canonicum Eborensem.

4 Antonium Rodericum de Monsancto, vtriusque iuris Doctorem.

A sereniſſimo Cardinali Henrico creati sunt 16. die Iunij, 1539.

5 FRater Ioannes Suarius Ordinis Eremitarum Sancti Augustini, sacræ Theologiæ Magister, qui ad Episcopatum Conimbricensem postea euectus fuit.

6 Ro-

6 Rodericus Gomezius Pinheiro, Doctor Canonista, postea Angrensis Episcopus.

7 Antonius de Leano, Canonum Doctor, die 16. Decembr. 1541.

8 Emmanuel Falcão, Iuris Canonici Licentiatus, die 3. Iunij, 1542.

9 Georgius Gundisaluus, Canonum Baccalaureus, die 6. Augusti, 1546.

Ex vi secundæ Bullæ Pauli III. eidem Serenissimo Cardinali concessæ, alij creati sunt Consiliarij Deputati, qui omnes Regis posthac sunt à Consilijs.

10 D. Emmanuel Menezius, sacrorum Canonum Doctor, Regiæ Capellæ Decanus, Regiusque Consiliarius 12. die Iunij, 1569 Hic postea, vt dictum est, Conimbricensis Episcopus, eiusdemque Cardinalis Infantis coadiutor, ac futurus successor fuit.

11 Martinus Gundisaluus de Camera, Doctor Theologus, Regiæ Conscientiæ Tribunali, Regioque Palatio Præfectus, item *à Consilijs status*, vt vocant, Catholicæ Maiestatis die 13. Iunij, 1569.

12 Ambrosius Campellus Sacrorum Canonum Doctor 14. Iunij 1569.

13 Emmanuel de Quadros, in sacris Canonibus Licentiatus, Regius Consiliarius 14. Decemb. 1570. Postea Episcopus Egæditanensis.

14 Paulus Alphonsus Canonum Doctor, Palatij Regij Senator, Regiusque Consiliarius, 8. die Iunij, 1577.

15 D. Michael de Castro, Doctor Theologus, ex Inqui-

Inquisitore Vlyssiponensi 3. Septembris 1577. Postea Visensis Episcopus, deinde Vlyssiponensis Archiepiscopus, & Prorex, iterumque Lusitaniæ Gubernator.

16 Antonius Telles Menezius, Doctor Canonista, ex Inquisitore Vlyssiponensi 3. Septembr. 1577. Postea Lamecensis Episcopus.

17 Georgius Serrão è Societate Iesu 5. Ianuarij, 1579.

Ab Illustrissimo D. Georgio de Almeida.

18 ANtonius de Mendoça, in sacris Canonibus Licentiatus 3. die Augusti 1579. Hic locum hunc supremi Inquisitionis Concilij sponte demisit, Conimbricensisque Academiæ Rector creatus est, Tribunalique Conscientiæ præfuit.

A Serenissimo Cardinali Alberto.

19 DIdacus de Sousa, Canonum Doctor, Inquisitor Conimbricensis & Vlyssiponensis 12. Ianuarij 1589. Is postea ad Episcopatum Mirandæ, deinde verò ad Eborensem Archiepiscopatum ascendit.

20 Marcus Teixeira, Canonum etiam Doctor, Senator domus Supplicationis, Tribunalisque Conscientiæ Deputatus 9. die Iunij 1592.

21 D. Antonius de Mattos de Noronha, Heluensis Episcopus die 23. Nouembris 1592. Is postea 7. Augusti 1593. cùm Serenissimus Cardinalis Albertus à Regno hoc abesset, Generali Concilio præfuit ex

ex speciali commissione ipso Serenissimo facta, & statim Inquisitoris Generalis dignitatem adeptus est, vt diximus.

Ab Illustrissimo D. Antonio de Mattos de Noronha.

22 BArtholomæus de Affonseca, Canonum Doctor, Indiæ Orientalis, & Conimbricensis Inquisitor 3. die Februarij 1598.

23 Martinus Alphonsus de Mello, Doctor Theologus, & Eborensis Inquisitor 11. Februarij 1598. Postea Episcopus Lamecensis.

24 Rodericus Pirez da Veiga, Conimbricensis, & Eborensis Inquisitor, Canonum Baccalaureus 7. Augusti 1598. Postea Heluensis Episcopus.

Ab Illustrissimo D. Petro de Castilho.

25 EMmanuel Aluarez Tauares, in sacris Canonibus Licentiatus, Eborensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 14. Maij 1610.

26 Antonius Diaz Cardozo, etiam in Canonibus Licentiatus, Conimbricensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 14. Maij 1610.

27 Saluator de Mesquita, Eborensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 25. Aprilis 1611.

28 D. Frater Christophorus de Affonseca, ex Ordine sanctissimæ Trinitatis, Episcopus Nicomediæ, qui Ecclesiæ de Thomar præfuerat 3. Ianuar. 1612.

29 Fr. Emmanuel Coelho, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister, Regius Conciona-

tor,

tor, olim librorum Censor, & sancti Officij Qualificator, qui primus locum Generalis Concilij Inquisitionis obtinuit prouinciæ nostræ Portugalliæ à Catholico Rege Hispaniarum Monarcha Philippo, Lusitaniæque huius nominis secundo in perpetuum concessum die 30. Octobris, 1614.

Ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins Mascarenhas.

30 IOannes Aluarez Brandão, Doctor Canonista, olim Conimbricensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 20. Augusti 1617.

31 Gaspar Pereira, Doctor item Canonista, Regij Tribunalis Conscientiæ Deputatus, olim Eborensis, & Conimbricensis Inquisitor 8. die Septembris 1617.

32 D. Franciscus de Bragança, in sacris Canonibus Baccalaureus generalis in hoc Regno Bullæ Cruciatę Commissarius, Inquisitionis Vlyssiponensis, Deputatus 8. Septembris 1617. Postea supremi Regij Consilij in Castella Consiliarius.

33. D. Ioannes de Sylua, Doctor Theologus Vlyssiponensis Inquisitionis Deputatus, Regius Cõsiliarius, & Catholicæ Maiestatis Capellanus Maior, Ordinarius Capellæ domus regiæ, & totius Cutiæ Lusitanæ, 11. Martij. 1622.

34 Fr. Ioannes de Portugal, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister, secundus locum perpetuum, quo in supremo Inquisitionis Concilio Prædicatorum Ordo dono regis Philippi II. gaudet, obtinuit 19. Maij 1622. postea Episcopus Visensis.

35 Sebastianus de Matthos de Noronha, Canonum Doctor, olim Conimbricensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 15. Iun. 622. Nunc Episcop. Heluensis.

36 D. Michael de Castro, Canonicus diœcesis Vlyssiponensis, Doctor Theologus, olim Conimbricensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 7. Ianuar. 1626.

37 Franciscus Barreto, canonum Licentiatus, Visensis diœcesis canonicus, olim Eborensis, & Vlyssiponensis Inquisitor 27. Maij 1626. Nunc simul Senator supremi Senatus Regij, *Palatij tribunal* vocant.

38 Fr. Antonius de Sousa, Ordinis Prædicatorum sacræ Theologiæ Magister, sanctæ Inquisitionis Vlyssiponensis olim Deputatus, tertius, qui in locum supremi Senatus Inquisitionis præfato Ordini concessum, ingressus sum, licet immeritus die 8. Iunij, 1626.

§. 3.

Institutio Inquisitionis Eborensis, eiusque Inquisitores.

SAnctæ Inquisitionis publicata Bulla in ciuitate Eborensi die 22. Octobris anni 1536. ac etiam monitorio generalis gratiæ omnibus, qui à fide recesserunt, creatis Consiliariis, Notario, & Promotore, Illustrissimus D. Fr. Didacus de Sylua Generalis Inquisitor profecturus ad visitandum pro suo munere pastorali die 3. Ianuarij anni 1537. totam suam authoritatem supra relato Ioanni de Mello supremi Inquisitionis Tribunalis Deputato, ac Consiliario commisit, vt Inquisitionis Tribunal iuxta formam iuris,

iuris,& Bullæ Pauli 3. supra relatæ constitueret, & ordinaret Qui electis viris tanto munere dignis,omnes necessarios ministros Inquisitioni de nouo fundandæ præfuit.Reuerso postea D.Fr.Didaco de Sylua ab Episcopatus sui visitatione, reuocataque prædicta generali facultate, noua, & specialis facta fuit ab eodem Generali Inquisitore præfato Ioanni de Mello, vt tanquam Inquisitor procederet in causis ad fidem spectantibus:quo in munere vsque ad 16.diem Iulij anni 1539.perstitit: tunc enim creatus fuit Vlyssiponensis Inquisitor, vt suo loco dicetur.

2 Quis autem eius locum occupauerit vsque ad diem 5. Septembris anni 1541. non constat. Crediderim tamen,quod supra dictus Rodericus Lopez de Carualho, vnus ex Consiliariis supremi Senatus Inquisitionis hoc munere functus sit, cùm ex aliis supremis Consiliariis de eo tantum fiat mentio in libris Inquisitionum, qui iterum à Sereniſſimo Cardinali Hentico die 7. Iunij 1561. ad idem supremum Tribunal vocatus fuerit,vt suprà diximus.Sicque dictus Rodericus Lopez extitit secundus Eborensis Inquisitor.

Inquisitores à Serenissimo Cardinali Henrico creati.

3 PEtrus Aluarez de Parades,Prætor eiusdem sereniſſimi Cardinalis, Canonum Licentiatus 5. die Septembris 1541. Postea Archidiaconus de Laura,& Canonicus Eborensis.

4 Ioannes Aluarez da Sylueira,Canonum etiam Licentiatus, ac similiter eiusdem sereniſſimi Cardi-

nalis Prætor 6.die Martij 1546.

5 Frater Hieronymus de Oleastro, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister 2.die Septembris 1552.

6 Antonius de Castro, Canonum Doctor, serenissimi Cardinalis Prætor, Cantor Eborensis diœcesis 21.Ianuarij 1559.

7 Emmanuel de Quadros, canonum Licentiatus, Canonicus Eborensis 25.Nouembris 1559. Qui postea Consiliarius supremi Senatus Inquisitionis, & Episcopus Egæditanensis, seu Guardiensis fuit, vt suprà diximus.

8 Didacus Mendez de Vasconcellos, canonum Licentiatus, Canonicus Eborensis diœcesis 11. Octobris 1564.

9 Fr.Emmanuel da Veiga, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister 12.Octobris 1566.

10 Hieronymus de Sousa, canonum Licentiatus, sereniſſimi Cardinalis Prætor, & Canonicus Eborensis diœcesis 17.Iulij 1571.

11 Antonius Tellez de Menezes, canonum Doctor 23.Ianuarij 1573, Qui postea Consiliarius supremi concilij Inquisitionis, & Lamacensis Episcopus fuit, vt diximus.

12 Antonius de Mendoça, canonum Licentiatus, Canonicus Eborensis 15.Maij 1575. Qui etiam, vt diximus, Consiliarius supremi Senatus Inquisitionis, Conimbricensis Academiæ Rector, & Tribunalis Conscientiæ Præses.

13 Lupus Soares de Albergaria, Theologiæ Doctor 28.Nouemb. 1576. Qui postea Regiæ Capellæ Decanus, & Episcopus Portalegrensis electus obiit.

14 Mar-

14 Marcus Teixeira, canonum Doctor, Archidiaconus de Sexta Eborensis diœcesis 30. Decembr. 1578. Qui postea Senator domus Supplicationis, Tribunalis conscientiæ Deputatus, & supremi Tribunalis Inquisitionis Consiliarius, vt diximus.

Ab Illustrissimo D. Georgio de Almeida.

15 EMmanuel Aluarez Tauares, in sacris canonibus Licentiatus, Decanus Visensis diœcesis 23. Ianuar. 1580. Postea Vlysiponensis Inquisitor, & à consiliis supremi Senatus Inquisitionis, vt diximus.

A Serenissimo Cardinali Alberto.

16 PEtrus de Oliueira, canonum Licentiatus, & Conimbricensis diœcesis Decanus 30. Ianuar. 1589.

17 Rodericus Pirez da Veiga, canonum Baccalaureus, Canonicus Eborensis diœcesis 3. Iulij 1592. Qui postea Consiliarius supremi Senatus Inquisitionis, & Episcopus Heluensis effectus est, vt dictum est suprà.

18 D. Ioannes de Bragança, Doctor Theologus, & canonicus Eborensis diœcesis 3. die Iulij 1592. Postea Episcopus Visensis.

19 Hieronymus Teixeira Cabral, canonum Licentiatus 11. Augusti 1593. Postea Episcopus Angrensis, & Mirandensis, ac tandé Lamecensis electus.

20 Martinus Alphonsus de Mello, Theologiæ Doctor, Canonicus Eborensis diœcesis 29. Octobr. 1594. Postea à consiliis supremi Senatus Inquisitio-

nis, & Episcopus Lamecensis.

Ab Illustrissimo D. Antonio de Mattos de Noronha.

21 SAluator de Mesquita, canonum Licentiatus 13. Iulij 1598. Qui postea Inquisitor Vlyssiponensis, & Consiliarius supremi Senatus Inquisitionis effectus est, vt diximus.

22 Gaspar Pereira, Doctor canonista, diœcesis Bracharensis canonicus Doctoralis 21. Nouembris 1598. Qui postea, vt diximus, Conimbricensis Inquisitor, Tribunalis conscientiæ Deputatus, & supremi Senatus Inquisitionis consiliarius effectus est.

Ab Illustrissimo D. Petro de Castilho.

23 GEorgius de Mello, canonum Licentiatus 27. Octobris 1606. Postea Magnus Prior de Palmella Ordinis sancti Iacobi, nunc Episcopus Mirandensis.

24 Michael Pereira, canonum Licentiatus 1. die Iulij 1608. postea præfuit Ecclesiæ de Thomar, nunc Episcopus Brasilienſis.

25 Emmanuel Pereira, canonum etiam Licentiatus, canonicus Ecclesiæ sanctæ Mariæ de Alcaceua, in loco Sanctarenensi 9. die Martij 1610.

26 Simon Barreto de Menezes, in sacris canonibus Licentiatus, Ecclesiæ Visensis canonicus die 7. Maij 1612.

Ab

Ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins Mascarenhas.

27 MArcus Teixeira, Doctor canonista, Eborensis diœcesis canonicus 11. Septembris 1617. Postea Brasilienſis Episcopus.

28 Emmanuel de Lucena, Doctor canonista, diœceſis Vlyſſiponenſis canonicus 8. die Maij 1620.

29 Franciſcus Barreto, canonum Licentiatus, canonicus Viſenſis diœceſis 8. die Maij 1620. de quo dictum eſt ſupra.

30 Franciſcus Cardoſo do Torneo, canonum Licentiatus 3. Iulij 1623.

31 Gomezius de Britto da Sylua, canonum Baccalaureus, Eccleſiæ de Portalegre Theſaurarius 7. Iulij 1623.

32 D. Didacus Lobo, Theologiæ Baccalaureus 6. Decembris 1625. Poſtea Prior Magnus de Palmella, Ordinis ſancti Iacobi.

33 Antonius da Sylueira, canonum Doctor, diœceſis Egæditanenſis, ſeu Guardenſis canonicus Doctoralis 24. Februar. 1627.

34 Sebaſtianus Tinoco, Theologiæ Doctor, diœceſis Eborenſis canonicus 29. Nouembr. 1627.

§. 4.

Inquiſitionis Vlyſſiponenſis inſtitutio, eiuſque Inquiſitores.

1 STatim vt Sereniſſimus Cardinalis D. Henricus Generalis Inquiſitor creatus fuit, nouam

Inquisitionem in ciuitate Vlyssiponensi erexit, cui primum Inquisitorem præfecit 16. die Iul. 1539. Ioannem de Mello, qui prius à D.Fr.Didaco de Sylua factus fuerat Generalis Inquisitionis consiliarius, & primus Eborensis Inquisitor. Ab eodem Sereniſſimo Cardinali sequentes instituti sunt Inquisitores.

2 Fr. Georgius à Sancto Iacobo, Ordinis Prædicatorum, Parisiensis Doctor Theologus. Postea Angrensis Episcopus 10. die Nouembr. 1540.

3 Georgius Rodericus, sacrorum canonum Licentiatus, & Prætor eadem die.

4 Antonius de Leão, canonum Doctor, & Prætor 23. die Decembr. 1542.

5 Rodericus de Matre Dei, seu D. Rodericus Pereira 19. Augusti 1552. Postea Episcopus Angrensis.

6 Petrus Aluarez de Paredes, canonum Licentiatus 19. Augusti 1552.

7 Fr. Hieronymus de Oleastro, Theologiæ Magister, Ordinis Prædicatorum 4. die Octobr. 1555. ex Inquisitore Eborensi.

8 Ambrosius Campello, canonum Doctor 21. Octobris 1555.

9 Georgius Gonsaluez Ribeiro, canonum Licentiatus 14. Augusti 1560.

10 Fr. Emmanuel da Veiga, Ordinis Prædicatorum, Theologiæ Magister 9. Iun. 1562. ex Inquisitore Eborensi.

11 D.Emmanuel Sanctos, Episcopus Targuensis, qui tanquam Inquisitor præfuit dictæ Inquisitioni Vlyssiponensi 13. Decembr. 1564.

12 Petrus Nonius, Doctor canonista 7. die Octobr. 1565.

13 D.Mi-

13 D.Michael de Castro, Doctor Theologus 18. Iun. 1566. Qui postea factus fuit consiliarius supremi concilij Inquisitionis, Visensis Episcopus, & Vlyssiponensis Archiepiscopus, ac Lusitanię Prorex, eiusdemque Gubernator, vt diximus.

14 Simon de Sàa Pereira, Doctor canonista 10. die Mart. 1569.

15 Antonius Tellez, ex Inquisitore Eborensi, Doctor canonista, supremæ Inquisitionis consiliarius, de quo supra anno 1577.

16 Didacus de Sousa, canonum Doctor, ex Inquisitore Conimbricensi 30. Decembr. 1578. Qui postea consiliarius generalis Inquisitionis, Mirandensis Episcopus, & Archiepiscopus Eborensis, vt dictum est.

Ab Illustrissimo D. Georgio de Almeida.

17 MAtthæus de Sylua, canonum Licentiatus, Vlyssiponensis diœcesis Decanus 4. die Maij 1583.

18 Bartholomæus de Affonseca, Iuris Pontificij Doctor 15. Iul. 1583. Prius Inquisitor Indiæ Orientalis, & postea Conimbricensis, & consiliarius supremæ Inquisitionis, vt diximus.

A Serenissimo Cardinali Alberto.

19 LVdouicus Gundisaluus de Riba-fria, canonum Doctor, ex Inquisitore Conimbricensi 18. Aprilis 1586.

20 Emmanuel Aluarez Tauares, in sacris cano-

nibus Licentiatus, ex Inquisitore Eborensi 17. Mart. 1591. Postea consiliarius supremæ Inquisitionis, vt dictum est.

Ab Illustrissimo D. Antonio Mattos de Noronha.

21 D. Antonius Pereira Menezius, canonum Licentiatus 29. decembr. 1600. Postea suprem Regis consilij in Castella consiliarius.

Ab Illustrissimo D Alexandro.

22 Antonius Diaz Cardoso, ex Inquisitore Conimbricensi, canonum Licentiatus 12. Octobris 1602. Qui postea Consiliarius fuit supremæ Inquisitionis, de quo supra.

Ab Illustrissimo D. Petro de Castilho.

23 Saluator de Mesquita, canonum Licentiatus, ex Inquisitore Eborensi 7. Maij 1608. Postea Generalis Inquisitionis à Consiliis, de quo supra.

24 Ioannes Aluarez Brandão, Doctor Canonista, ex Inquisitore Conimbricensi 6. Maij 1612. Postea Generalis Inquisitionis à Consiliis, vt diximus.

25 D. Rodericus da Cunha, Doctor Canonista, Episcopus Portalegrensis 9. Februar. 1615. Qui postea creatus fuit Episcopus Portuensis, & nunc Archiepiscopus Bracharensis, Hispaniarum Primas.

Ab

Ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins. Mascarenhas.

26 D. Emmanuel Pereira, sacrorum canonum Doctor, ex nominato Inquisitore Eborensi 26. Iun. 1617.

27 D. Franciscus Menezius, canonum Doctor, ex Inquisitore Conimbricensi 9. Augusti 1617. Qui postea Conimbricensis Vniuersitatis factus fuit Reformator, deinde Leirien sis Episcopus, nunc verò Algarbiensis, seu Siluensis Episcopus.

28 Rodericus Ferdinandus de Saldanha, canonum Licentiatus, ex Conimbricensi Inquisitore die 11. Augusti. 1617.

29 Petrus da Sylua de Sampayo, in sacris canonibus Licentiatus, Leirien sis diœceseos Decanus, 29. Augusti 1617.

30 Sebastianus de Mattos de Noronha, de quo dictum est supra, ex Inquisitore Conimbricensi 4. Iun. 1620.

31 Simon Barreto Menezius, canonum Licentiatus, ex Inquisitore Conimbricensi, qui & Eborensis Inquisitor fuerat 11. Octobr. 1620.

32 Petrus à Costa, Doctor Theologus, Episcopus Angrensis 2. Octobr. 1621.

33 Emmanuel de Lucena, Doctor Canonista, ex Inquisitore Eborensi 11. Aprilis 1622.

34 Franciscus Barreto, ex Inquisitore Eborensi, de quo dictum est supra 27. die Iun. 1623.

35 Emmanuel da Cunha, canonum Licentiatus 8. Augusti 1623.

36 D. Michael de Castro, Doctor Theologus, ex Inqui-

Inquisitore Conimbricēsi 14. Decemb. 1623. Postea generalis Inquisitionis Consiliarius, sicut diximus.

37 Didacus Osorius de Castro, canonum Baccalaureus, Lamecensis diœcesis Thesaurarius 9. Ianuar. 1626.

38 Gomesius de Britto da Sylua, canonum Baccalaureus, ex Inquisitore Eborensi 15. Iun. 1626.

§. 5.

Institutio Inquisitionis Conimbricensis, eiusque Inquisitores.

POstquam Serenissimus Cardinalis D. Henricus Generalis Inquisitoris officium acceptauit, omniaque summa pietate, ac zelo, quibus erat ornatus, quæ ad bonum Fidei, & rectam Inquisitionis Eborensis ab Illustrissimo D. Fr. Didaco de Sylua iam fundatæ, ac Vlyssiponensis ab eo de nouo creatæ administrationem disposuit, de instituenda Inquisitione in ciuitate Conimbricensi cogitauit. Ad cuius rectam institutionem duos Commissarios Inquisitores delegauit, nimirum D. Fratrem Bernardum de Cruce, ex familia Prædicatorum sancti Thomæ Episcopum, & Conimbricensis Vniuersitatis Rectorem, ac Gommezium Alphonsum, in iure canonico Baccalaureum, & collegiatæ Ecclesiæ Vimarenensis Priorem. Qui, creatis omnibus necessariis ministris, Inquisitoris officium agere cæperunt à die 15. Octobris anni 1541.

3 Tertius Inquisitor in ordine, ex iis quorum notitiam habemus, Emmanuel de Quadros, canonum

num Licentiatus 5. Aprilis 1565. ex Inquisitore Eborensi. Postea Egæditanensis Episcopus. Tota autem illa temporis intercapedine ab anno 1541. vsque ad annum 1565. qui fuerint Inquisitores, nobis non cōstat; nisi fortè ipse Gomezius Alfonsus toto illo tempore in Inquisitoris officio perseuerauerit.

4 Ludouicus Aluarez de Oliueira, canonum etiam Licentiatus 15. die Aprilis 1566.

5 Sebastianus Vaz, canonum similiter Licentiatus 28. Octobr. 1570.

6 Didacus de Sousa, Doctor canonista 2. Aprilis 1571. de quo supra mentionem fecimus.

7 Fr. Emmanuel da Veiga, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister 26. Februar. 1575. ex Inquisitore Eborensi.

Ab Illustrissimo D. Georgio de Almeida.

8 LVdouicus Gondisaluus Riba-fria, Doctor canonista 22. Octobr. 1583.

A Serenissimo Cardinali Alberto.

9 BArtholomæus de Affonseca, canonum Doctor, ex Inquisitore Indiæ Orientalis 26. Februar. 1587. de quo supra.

10 Antonius Diaz Cardoso, canonum Licentiatus, de quo supra dictum est 20. Mart. anno 1589.

11 Rodericus Pirez da Veiga, de quo dictum est supra 16. Aprilis 1589.

12 Hieronymus Teixeira die 1. Decembr. 1594.

Ab

Ab Illustrissimo D. Antonio de Mattos de Noronha.

13 Didacus Vaz Pereira, canonum Doctor 15. Octobr. 1598.

Ab Illustrissimo D. Alexandro.

14 Ioannes Aluarez Brandanho, iam supra nominatus, canonum Doctor 7. Octobr. 1603.

Ab Illustrissimo D. Petro de Castilho.

15 Gaspar Pereira, canonum Doctor, de quo etiam in superioribus egimus, ex Inquisitore Eborensi 24. Octobr. 1606.

16 Donus Franciscus Menezius, canonum Doctor, cuius etiam mentionem fecimus 8. Octobris 1611.

17 Michael Pereira, ex Inquisitore Eborensi, canonum Licentiatus, quem etiam in superioribus nominauimus 5. Augusti 1612.

18 Rodericus Ferdinandus de Saldanha, canonum Licentiatus 11. Nouembr. 1613. Postea Inquisitor Vlyssiponensis.

Ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins Mascarenhas.

19 Sebastianus de Mattos de Noronha, canonum Doctor, cuius supra mentionem fecimus 28. Iun. 1617.

Franciscus

20 Franciscus Pinto Pereira, Conimbricensis diœcesis Decanus 7. Iul. 1617.

21 Simon Barreto de Menezes, canonum Licentiatus, ex Inquisitore Eborensi 20. die Octobr. 1617.

22 D. Michael de Castro, de quo dictum est supra 20. Iul. 1622.

23 Petrus da Sylua, canonum Licentiatus 3. Iul. anno 1623.

24 Lupus Soarez de Castro, canonum Licentiatus, canonicus, & Thesaurarius Syluensis, seu Algarbiensis diœcesis 29. Septembr. 1623.

25 Franciscus Cardoso do Torneo, canonum Licentiatus, Canonicus Lamecensis diœcesis, ex Inquisitore Eborensi.

§. 6.

Institutio Inquisitionis Goensis, eiusque Inquisitores.

CVm Iudaica perfidia non solùm in Regnis Lusitaniæ, sed etiam in partibus Indiæ Orientalis, eidem Regno aggregatis & subiectis, in dies magis, ac magis serperet, (attestante id per literas suas ad Regem Ioannem tertium missas decima die Nouembris anno 1545. Sancto Francisco Xauier in illis partibus eo tempore fidem mirificè propagante: in quibus instanter ab eodem Rege postulabat, vt in tantæ perfidiæ remedium, Inquisitionis officium in illam regionem mittendum curaret.) Serenissimus Infans Cardinalis Domnus Henricus, qui Inquisitoris Generalis officium in dictis Portugalliæ Regnis tunc

tunc agebat, de remedio sollicitus, volensque errantes oues ad verum Christi ouile reducere, in ciuitate Goensi, illius prouinciæ Metropoli, sanctæ Inquisitionis Tribunal erexit, sicut fecerat in ciuitatibus Vlyssiponensi & Conimbricensi. Inquisitores, Officiales, & ministros necessarios in eas partes misit, qui fidei negotia diligenter tractarent.

1 Primus Inquisitor missus ab ipso Sereniſſimo Cardinali, fuit Alexius Diaz Falcão 15. die Mart. anni 1560. Qui in fine eiusdem anni Goam peruenit, cæpitque Inquisitoris officium exercere.

2 Franciscus Marquez Botelho 20. Februarij anno 1561.

3 Bartholomæus de Affonseca, Doctor canonista anno 1571. mense Mart. de quo dictum est supra.

Ab Illustrißimo D. Georgio de Almeida.

4 ANdreas Ferdinandus, canonum Licentiatus, Prouisor & Vicarius generalis Archiepiscopatus Goensis, qui iam nominatus fuerat ad Inquisitoris officium à Sereniſſimo Cardinali Henrico anno 1582. in principio mensis Ianuar.

5 Fr. Gaspar de Mello, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister 18. Septemb. 1583

6 Rodericus Sodrinho de Mesquita 12. die Martij 1584.

7 Fr. Thomas Pinto, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Magister 6. die Octobr. anno 1586.

A Sere-

A Serenissimo Cardinali Alberto.

8 ANtonius de Barros 5. die mensis Octobris 1593.

Ab Illustrissimo D. Antonio Mattos de Noronha.

9 MArcus Ægidius Frazão 4. die Nouembris 1596.

Ab Illustrissimo D. Alexandro.

10 Georgius Ferreira anno 1604.

Ab Illustrissimo D. Petro de Castilho.

11 GVndisaluus da Sylua 2. die Septembris 1605.

12 Franciscus Borges de Sousa, Canonum Licentiatus 2. die Maij 1613.

13 Ioannes Ferdinandus de Almeida 17. Ianuar. 1614.

Ab Illustrissimo D. Ferdinando Martins Mascarenhas.

14 Ioannes Delgado Figueira.

15 EX his quæ hactenus dicta sunt, atque ex Apostolicis Bullis, quarum exemplaria in Regiis Archiuis, & item in sanctæ Inquisitionis

scriniis asseruantur, ex libris etiam particularium Inquisitionum huius Regni, manifestè colligitur falsum esse, quod suprà relati authores referunt, nempe Sahauedram sacrum Inquisitionis Tribunal in Lusitania instituisse, vel saltem institutionis eius causam extitisse. Patet enim prius Apostolicum Breue pro eius institutione anno Domini 1531. secundum verò anno 1536. editum fuisse; cum tamen Sahauedra, sicut præfati authores asserunt, tribus post annis, videlicet, anno 1539. extiterit, quod à Paramo, qui idem scribit, aduertendum erat.

16 Alia repugnantia, & falsitas in dictis Parami inuenitur. Asserit enim Sahauedram incepisse adulterare chirographos Regis Philippi secundi, quibus commendam Ordinis Sancti Iacobi obtinuit, retinuitque annos septendecim: cum igitur Philippus secundus regnare cæperit ab anno 1555. quo tempore Carolus V. eius pater Regno cessit, vt tradit Illescas *in hist. Pontif. tom. 2. lib. 6. cap.* 231. §. 1. constat ex traditis à Paramo, Sahauedram adhuc esse Commendatarium Sancti Iacobi anno 1572. ad minus. Qua ergo ratione Paramus concordabit Sahauedram occasionem dedisse fundandæ Inquisitioni Lusitanæ anno 1539. (quia ex eius dictis hoc facere non potuit, nisi post annum 1572.) cum hæc manifesta veritate, quòd omnes Inquisitiones tàm in Lusitania, quàm in India Orientali iam fundatæ erant eo modo, & forma, quibus nunc procedunt? Quomodo stabit Sahauedram falsificasse literas Philippi Regis, cùm eo tempore nondum Regni clauum arripuerat? imò tempore Philippi Sahauedra in triremi-

bus

bus iactus detinebatur? Vide falsitatem, vide repugnantiam.

17 Ex eodem quoque temporis computo falsum esse cõstat Cardinalem Taueira, cùm in Regnis Hispaniæ Inquisitor Generalis esset, Regi Ioanni III. persuasisse, vt sacrum Inquisitionis Tribunal in eadem forma, quæ in Castellæ Regnis obseruabatur, instituendum in Lusitania curaret. Patet enim præfatum Cardinalem eodem anno 1539. Generalem Hispaniæ Inquisitorem creatum esse, quo tempore iam in Lusitania sacrum hoc Tribunal in eadem forma erectum erat. Nam extat epistola Sereniſſimi Cardinalis Henrici 12. Iulij anno 1541. ad Illustrissimum Cardinalem Taueira, petentem remissionem reorum ex Inquisitione Lusitana iam constituta ad Inquisitionem Hispanam, ac ex Hispana ad Lusitanam. Non igitur ex suasionibus dicti Cardinalis fundata est nostra Inquisitio.

18 Constat tertiò falsum esse id, quod Paramus scribit, nempe Lusitaniæ Reges noluisse, quòd in suis Regnis sacrum Tribunal institueretur, cùm luce clarius pateat illos iam anno Domini 1521. eius institutionem summoperè curasse. Quod ex epistola præfati Regis Ioannis III. cuius suprà meminimus, & ex aliis multis epistolis, & scriptis à me ex archiuis Regiis transumptis, satis apertum est.

19 Accedit quia factum hoc in nulla memoria Regni huius inuenitur, siue in scriptura, siue in traditione hominum, cùm multos illius temporis nouerimus, qui tamen de hac re nusquam fuerunt loquuti; nec factum talis esset naturæ, vt facilè obliuioni traderetur. Tandem, vt interim alia omittam, credi-

bile non est, fraudulentum hominem cum anthoritate Cardinalis, ac Nuntij a latere missi ad Inquisitionem instituendam in hoc Regno per sex menses commorari, absque eo quod cognosceretur. Nam eo tempore erant in curia Romana Oratores Regis Ioannis III. super negotiis Inquisitionis. Quos debuit Rex præmonere de aduentu talis Nuncij, & ipsi de veritate eum certiorem facere, cùm ad hæc sex mensium tempus suppeteret: quod nequaquam contigit.

20 Quamuis in nostra relectione de censuris Bullæ Cœnæ *cap.* 14 *disp.* 76 *num.* 7 *in confirmatione secundæ concl.* casum Sahauedræ adduxerimus, id solummodo gratia exempli fecimus, non tamen approbando tamquam verum; vt patet ex verbis ibi positis: *sicut in nostro Lusitaniæ Regno contigisse fertur:* exemplorum enim non requiritur veritas. Et hinc est quòd S. Thomas docet exempla non habere authoritatem: vt videri potest 1. *p. quæst.* 48. *art.* 1. *ad* 1. *quæst.* 67. *art.* 2. *ad* 2. 1. 2. *quæst.* 59. *art.* 2. *ad* 1. *& aliàs sæpè:* nam Aristoteles in Logica vtitur exemplis secundùm opiniones aliorum. Similiter & Apostolus fecit, qui prædicans in Areopago, *Actor. cap.* 17. sic ait: *Sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, &c.* Authoritas scriptorum, quos in contrarium citauimus, lectorem mouere non debet, quamuis aliàs satis commendanda sit; eò quòd nullus illorum rem hanc accuratè tractauerit, & ferè omnes Paramum, ipse vnum Sahauedram latronem, falsarium, fallatiosum, & infamem sequantur, cuius authoritati succumbit. Oblatrare igitur aduersarij Lusitani nominis hostes possunt, mordere autem non possunt.

APHO-

APHORISMORVM.

LIBER I.

DE IVRISDICTIONE INQVISITORVM.

CAPVT I.

De Inquisitoribus, & Ministris.

SAnctissimus Patriarcha noster DOMINICVS sanctæ Inquisitionis primus author, primusque ab Innocentio III. & Honorio III. creatus Apostolicus Inquisitor, Inquisitorum parens, exemplar, & norma. Videndus Param. *de origine Inquisit. lib. 2. tract. 1. cap. 2. num. 1. cap. 23. num. 1. & cap. 30. num. 1.* Sixtus V. *const. 30. apud Laert. tom. 2. pag. 528.*

2 Sanctus Petrus Martyr, sanctæ Inquisitionis Patronus, imitatione accensus Beati Patris Dominici, vt ille, contra hæreticos mirabiliter se gessit. Quam ob rem, post Beatum Dominicum, non immeritò Princeps appellari debet, sacro-sancti Officij Inquisitionis, cùm ipse primus illud suo sanguine consecrauerit. Sixt. V. *d. const.* Innoc. III. *const. 11.*

3 Inquisitor est *Iudex à Sede Apostolica in causis*

ad Dei gloriam, Fidei, & Ecclesiæ augmentum deputatus. cap. vt Inquisitioni, *de hæret. in 6. Clement.* Multorum *eodem tit.* Albert, *in rubr. de hæret. in 6. quæst. 5. num. 3.* Roias *de hæret. part. 2. num. 410.*

4. Inquisitores eliguntur vel à Summo Pontifice, vel ab alio, de ipsius tamen commissione. Eymericus *in direct. Inquisit. 3. part. quæst. 3. vbi* Peñ. *com.* 52. Farin. *de hæres. q.* 186. §. 1. *num.* 1.

5 Olim à Generalibus, & Prouincialibus Prædicatorum, & Minorum Inquisitores in partibus sibi commissis, ex Fratribus sui Ordinis eligebantur. Eymer. & Peñ. *cit. loc.* Farin. *dicta q.* §. 2. *n.* 30.

6 Hodie in tota Italia à Reuerendissimis, & Illustrissimis Cardinalibus, Generalibus Inquisitoribus Apostolicis Inquisitores eliguntur. In Hispania verò, & Lusitania ab Inquisitore Generali constituuntur. Peñ. *cit. loc.* Farin. *d.* §. 2. *n.* 31.

7 Inquisitores tales eligi debent, qui sint fidei zelatores acerrimi, conuersatione honesti, prudentia circumspecti, constantia firmi, scientia eminenter eruditi, ac virtutibus omnibus circumfulti. Eymer. *d.* 3. *p. q.* 1. *vbi* Peñ. *com.* 50. Farin. *d.* §. 2. *num.* 54.

8 Inquisitor eligi non potest in terminis iuris communis, nisi quadragesimum saltem attingat annum. Qui autem minoris ætatis ipsum elegerit, grauiter puniendus est; si tamen à Summo Pontifice immediatè eligatur, sufficit quòd sit triginta annorum: hæc similiter ætas sufficiens est ad eosdem eligendos in Regno Lusitaniæ. *Ex Bulla prima* Pauli III. *pro officio Inquisitionis Lusitaniæ expedita 23. Maij an.* 1536. Eymer. *d. 3. p. quæst. 2. vbi* Peñ. *com.* 51. Farin. *d.* §. 2. *nu.* 46. *& seqq.*

9 In-

9 Inquisitor Theologus simul, & Iuris peritus esse debet Vbi autem duo fuerint Inquisitores, vnus sit Theologus, Iuris peritus alter. Peñ. *d. com.* 50.

10 Inquisitor instituere potest Vicarium, cui vices suas committat, non tamen eo ncedere, vt aliu m Vicarium instituat. Eymer. *d.* 3. *p. quæst.* 13. *&* 15. *vbi* Peñ. *com.* 62. *&* 64. Molin. *de iustit. & iure. tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 8.

11 Vicarius, seu delegatus Inquisitoris eas conditiones, & scientiam habere debet, quas ad ipsum Inquisitorem necessarias esse diximus: ætas verò minor sufficit, nimirum triginta annorum. Eymer. *d.* 3. *p. quæst.* 16. *vbi* Peñ *com.* 65. *&* *com.* 50. Farin. *d.* §. 2. *num.* 52.

12 Inquisitores, ac eorum Vicarij, notarium vnum, vel plures, clericos seculares, vel quorumuis Ordinum regulares, eligere, assumere, atque creare possunt. Eymer. *d.* 3. *p. q.* 18. *vbi* Peñ. *com.* 67.

13 Possunt etiam duos viros idoneos compellere ad scribenda Inquisitionis acta, exhibito iuramento de officio fideliter exercendo, & custodiendo secreto. Eymer. *ibidem quæst.* 19. *vbi* Peñ *com.* 68.

14 Ab Inquisitoribus Generalibus Hispaniæ, & Lusitaniæ creantur etiam Consultores, seu Deputati: qui in Lusitania votum habent decisiuum, simulque cum Inquisitoribus determinationes in causis, & sententias subscribunt; ac cum illis conditionibus eliguntur, quæ ad Inquisitores necessariæ sunt, ætate quadraginta annorum à iure communi requisita excepta. Noua recopilatio regiminis Inquisitionis Lusitaniæ. *tit.* 1. *cap.* 2. *& tit.* 4. *cap.* 53.

15 Qui creare possunt Inquisitores, Commissa-

rios, Deputatos, & Notarios, possunt etiam eos ab officiis amouere. Eymer. *d. 3. p. q. 9. & 17. vbi* Peñ. *com. 58. & 66.*

16 Ministri Inquisitionis in suis officiis delinquentes, ab iis tantùm, à quibus instituuntur, puniri possunt; cautè tamen puniendi sunt. Peñ. *3. p. Direct. com. 61.*

CAPVT II.

Quænam sit Inquisitorum iurisdictio in se, & cum Episcoporum iurisdictione comparata.

1 IVrisdictio est *authoritas iurisdicendi*, seu *facultas administrandæ iustitiæ, & æquitatis statuendæ*, vel *potestas gubernandi populum iure & legibus*. Marta *de iurisdiction. part. 1. cap. 8. num. 1. & 2.*

2 Iurisdictio in ordinariam & delegatam diuiditur. Illa competit ratione officij in sibi subditos, estque ad omnes causas, hæc ex commissione & ad causas speciales. S. Thom. *2. 2. q. 67. art. 1.*

3 Iurisdictio Inquisitorum est *authoritas iuris dicendi*, seu *facultas administrandæ iustitiæ in iis, quæ ad fidem spectant.*

4 Inquisitorum iurisdictio à Summo Pontifice delegata censetur, quamuis ipsi ab Inquisitoribus generalibus immediatè eligantur. Eymeric. *3. part. Direct. quæst. 4. & 6. vbi* Peñ. *com. 53. & 55.* Molin. *de iust. tract. 5. disp. 28. num. 4. & 5.* Idem dicendum est de Senatoribus

natoribus supremi Senatus Inquisitionis, ac de Deputatis Lusitaniæ.

5 Prædictorum iurisdictio, etiam re integra, morte instituentis non extinguitur, quamuis eligantur cum hac clausula: *Ad beneplacitum Romani Pontificis, vel sedis Apostolicæ, aut Inquisitoris Generalis.* Eymer.*d.*3.*p.q.*7.*&* 8.*vbi* Peñ.*com.*56.*&* 57. Farin.*de hæres.q.*186.§.2.*num.*20.

6 Inquisitor Generalis perpetuus in Hispania, & Lusitania à Rege electus,& à Summo Pontifice confirmatus, habet iurisdictionem delegatam instar ordinariæ,& in multis cum illa conuenientem; probabile tamen est,habere ordinariam. Barb.*de iud. ad l.* cùm prætor.*ff.de iudic.*§.1.*num.*64. Simanc. *cathol.inst. tit.*34.*num.*4.

7 Iurisdictio Inquisitorum in causis Fidei priuatiua est ad Iudices seculares, cumulatiua verò ad Episcopos.Farin.*de hæres.q.*186.§.1.*&* 9.

8 Inquisitorum iurisdictio in causis Fidei, aut contra fidem suspicionem inducentibus,priuatiua est ad Prælatos Regularium, respectu suorum subditorum.Paulus V.*relatus à Laertio in Bullario tom.*3.*const.* 26.*pag.*210.

9 Quando Episcopi, & Inquisitores procedunt authoritate delegata,pares in procedendo sunt. Quãdo verò Episcopi authoritate ordinaria,& Inquisitores authoritate delegata, Inquisitores sunt maiores Episcopis.Eymer.*d.*3.*p.q.*5.*vbi* Peñ.*com.*54.

10 Vicarij Inquisitorum ab ipsis creati,quibus vices suas committunt, vt in ipsorum locum succedant, sunt inferiores Episcopis, nec illis gaudent priuilegiis, quibus Inquisitores fruuntur. Si tamen à

Summo Pontifice in toto orbe, ab Illustrissimis Cardinalibus Inquisitoribus in Italia, ab Inquisitoribus Generalibus in Hispania, & Lusitania eligantur, maiores sunt Episcopis, & illis gaudent priuilegiis, quæ Inquisitoribus, quorum sunt Vicarij, competunt. Peñ. *d. com.* 54.

11 In iis locis, vbi sunt Episcopi, & Apostolici Inquisitores, tantum Inquisitores procedunt in causa hæresis; & ad ipsos mittere debent Episcopi quidquid contra reum habere potuerint. Peñ. *3. p. Direct. ad quæst.* 52. *com.* 101. Molin. *de iustit. & iure tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 13.

12 Episcopus non potest impedire processum Inquisitoris. Inquisitor tamen Generalis in Lusitania ex causa potest ad se aduocare ab Episcopis omnes causas ad fidem spectantes, etiam sub censuris, & aliis pœnis Peñ. *3. part. Direct. com.* 54. Pius IV. *in constitutione à nobis relata ad fin. Opusc. de solicitantibus.*

13 Si Episcopus & Inquisitor simul, pro diuersis tamen temporibus, aliquem citent ad respondendum de Fide, citatus coram vtroque comparere tenetur. Eymer. *dict. 3. part. quæst. 5. vbi* Peñ. *com.* 54. Dixi *in Opusc. de solicitantibus tract. 2. cap. 2. num. 5.*

14 Si Episcopus procedat authoritate ordinaria, & citet simul cum Inquisitore pro eodem tempore incompossibili, coram Inquisitore citatus appareat. Dixi *in Opusc. de solicitant. tract. 2. c. 2. num. 7.* Farin. *de hæres. q. 186. §. 3. num. 87. & seqq.*

15 Si Episcopus procedat authoritate delegata, & pro tempore incompossibili citet simul cum Inquisitore, potest citatus eligere, coram quo comparere velit secundùm iuris communis rigorem. In hoc tamen

tamen Lusitaniæ Regno probabilius est debere se Inquisitori præsentare. Eymer. *d. q.* 5. Dixi *citato Opusculo c.* 2. *num.* 10.

CAPVT III.

Qua ratione plures Inquisitores, aut ipsi simul cum Episcopis procedant.

1 SI Summus Pontifex respectu alicuius particularis personæ, vel causæ aliquem specialiter creauit Inquisitorem, circa talem causam vel personam alij Inquisitores procedere non possunt, imo tenentur ad illum mittere omnia acta contra talem personam facta, ad hocque potest talis specialis Inquisitor eos compellere. Si tamen negligenter se habeat in procedendo, tenentur alij Inquisitores hoc ad Summum Pontificem deferre. Peñ. *3 part. Direct. ad q.* 46. *com.* 95. Molin. *de iustit. tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 10.

2 Quando in eadem prouincia sunt duo Apostolici Inquisitores communiter delegati, simul vel separatim procedere possunt, cùm vterque iurisdictionem habeat insolidum; reus tamen ab vno tantum punietur. Peñ. & Molin. *num. 9. citatis locis.*

3 Episcopi in crimine hæresis, respectu suorum subditorum, ordinarij iudices sunt: quoad exemptos verò, delegati. In procedendo autem seruare debent modum, quem seruant Inquisitores. Farin. *de hæres. q.* 186. §. 1. Molin. *disp. cit. num.* 2. & 3.

4 Episcopus sine Inquisitore, vel Inquisitor sine Episcopo, citare, arrestare, capere, tutæ custodiæ mã-

cipare,

cipare,& inquirere poteſt:non tamen incarcerare ad pœnam,tormentis exponere, ac ad ſententiam condemnatoriam procedere, factumq; in contrarium eſt ipſo iure nullum. & cófeſſio in tortura facta reo non nocet.Eymer.*3.p.Direct.q.*47. *vbi* Peñ.*com.* 96.Mol. *diſp.cit.num.*11.*&* 12.Farin. *de hæreſ.q.*186.§.3.*num.*62. 67.*& ſeqq.*

5 Epiſcopus ſine Inquiſitore, & Inquiſitor ſine Epiſcopo in ſummo iure ſententiam abſolutoriam proferre non poteſt. Idem fortaſſis dicetur de indicenda abiuratione, & purgatione canonica. Oppoſitum tamen eſt vſu magis receptum. Eymer. *3.part. Direct.q.*48.*vbi* Peñ.*com.*97.Farin.*d.* §. 3. *num.* 60. *&* 61.Dixi *in Opuſc.de ſolicitant.tract.*2.*cap.*1.*num.*12.

6 Si abiuratio & purgatio coram Epiſcopo tantum,aut Inquiſitore fiant, reo ſciente, & conſentiente,ac non contradicente,nec appellante,valet,taliter quod non poteſt poſtea obiectio nullitatis opponi ad relapſiam effugiendam. Peñ.*d. com.*97. Dixi *citato loco num.*15.

7 Si Epiſcopus & Inquiſitor non poſſunt,aut nolunt perſonaliter ad eundem locum conuenire, poteſt vnus alteri vices ſuas committere,vel Vicarium aut Commiſſarium mittere, aut ſuum per literas ſignificare aſſenſum, vel conſilium. Eymer.*3.part.Direct.q.*49.*vbi* Peñ.*com.*98.Farinat. *qu.cit.*§.4.*num.* 103.

8 Si Epiſcopus, aut Inquiſitor conuenire noluerint ad ſimul procedendum, vnus alterum requirat, vt infra octo dierum ſpatium adueniat, vel ſubſidium, conſilium,aut aſſenſum mittat:intra tamen requiſitionis tempus,ſi alter ſine altero procedat, proceſſus eſt nullus. Elapſo verò tempore, ſi requiſitus

non

non venerit, dummodo non fuerit infirmitate impeditus, requirens procedat. Eymeric. *d.qu.*49. Farinat. *d.*§. 1.*num.*98.& 108.*&* §. 3.*num.* 96.*&* 97.

9 Consensus Episcopi post factum non validat processum. Farin. *cit. loco num.* 111.

10 Quando Inquisitor non potest habere copiam Episcopi & è contrà, vt si absens sit extra prouinciam, vel diœcesim, nullo relicto delegato, aut quando est in remotis, procedere potest. Farin. *quæst. cit.*§.3.*num.*96.

11 Episcopus requirendus ad processum contra hæreticum, est Episcopus domicilij rei contra quem proceditur, non verò originis. Quia domicilium origini præfertur.

12 Probabilius est, & vsu receptum, vt potius Episcopus domicilij, quàm loci delicti commissi requiratur. *Videndus* Farin.*tom.*1.*q.*7.*num.* 20.*& seqq.*

13 Si reus iudicandus sit religiosus, non est vocandus Ordinarius Religionis, videlicet eius Prælatus, sed Episcopus domicilij: Quia Prælati religionum non possunt iudicare in causis fidei, *iuxta dicta à me in Opusc.de solicitant.tract.*2.*cap.*1.*concl.*6.*num.* 18.

14 Si Episcopus & Inquisitor discordant in ferenda sententia, debent causam instructam ad Summum Pontificem, vel supremum Inquisitionis Senatum mittere decidendam. Eymer.*3.part. Direct.quæst.* 50.*vbi* Peñ.*com.*99. Farin.*de hæres. quæst.* 186.§. 3.*num.* 64. Molin.*d.disp.*28.*num.*14.

15 Quando Episcopus & Inquisitor diuisim procedunt, tenentur sibi mutuo communicare processus. Eymeric.*d.*3.*part.quæst.*51.*&* 52.*vbi* Peñ. *com.*100. *&* 101. Farin.*d.*§.3.*num.*81.*&* 83.

16 Pro-

16 processuum communicatio fieri debet in fine quando nihil iam restat agendum, nisi alter procedere non possit, non visis alterius actis: tunc enim ante finem semel tantum tribuenda est copia processus. Eymeric. *d.3.p.q.53.vbi* Peñ.*com.*102. Farin.*d.*§.3. *num.*84.*&* 85.

17 Cùm agitur de torquendo reum, facienda similiter est communicatio processus. Peñ. & Farinat. *num.*86.*citatis locis.*

18 Ad torturam testium non fit processus communicatio, cùm vnus sine alio possit testem torquere. Peñ.*d.com.*102. Decian.*crim.lib.*5. *cap.* 21. *num.* 23. Farin.*d.*§.3. *num.*74.*&* 86.

19 Si Episcopus malitiosè falsò aliquem de hæresi inquisierit, vel si odij, amoris, aut lucri gratiâ contra hæreticum procedere omiserit, pœnam suspensionis per triennium incurrit. Inquisitor verò excommunicationi Summo Pontifici reseruatæ ipso facto subiicitur: & si prædicti non procedant, hæreticorum fautores censentur. Eymer.*d.* 3.*p.q.*24. *vbi* Peñ.*com.*73. Farin.*d.quæst.*186.§.8.*num.* 145.*&* 147.

20 Attamen si propter timorem, ignorantiam, aut propter scandalum vitandum non procedant, prædictas pœnas non incurrunt. Farin.*d.*§.8.*num.*149. *&* 150.

21 Capitulum Sede vacante, aut quasi vacante, quando Episcopus reperitur captiuus, vel in Episcopatu prouisus, nondum tamen ministrat, propter non expeditas literas, requirendum est ab Inquisitore, sicut requiritur Episcopus. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 13.*&* 15. Farin.*d.quæst.* 186. §. 11. *num.* 178. *&* 179.

Cap.

CAPVT IV.

Contra quas personas Inquisitores procedant.

1 INquisitores, quamuis sint iudices delegati, habent tamen vniuersalitatem personarum, proceduntque contra omnes, qui per Baptismum intra Ecclesiam constituuntur, si specialiter non sunt exempti. Peñ. *3.p. Direct. ad q.* 45. *com.* 114.

2 Contra Summum Pontificem, esto admittamus in hæresim prolabi posse, non procedunt Inquisitores. Eymer, *3. part. Direct. quæst.* 25. *vbi* Peñ. *com.* 74.

3 Non procedunt etiam contra Nuncios, seu Legatos Apostolicos, & alios Sedis Apostolicæ Officiales, quorum officium circa negotium ipsiusmet Sedis Apostolicæ versatur. Procedunt tamen contra eos, qui dati sunt ad causam respicientem priuatam vtilitatem particularium personarum. Eymer. *d.* 3. *part. quæst.* 26. *vbi* Peñ. *com.* 75. Molin. *de iust. & iure tract.* 5. *disp.* 28. *num.* 20. Dixi *de solicitant. tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. *&* 2.

4 Non procedunt contra Episcopos; eorum tamen excessus ad Summum Pontificem deferant: ad hoc autem processum formare non possunt, sed solùm informari. Eymeric. *quæst.* 27. *vbi* Peñ. *com.* 75. *citato loco* Farin. *de hæres. quæst.* 186. §. 5. *num.* 113. *&* 121. Molin. *loco citato num.* 19. Dixi *etiam citato cap.* 3. *num.* 8.

5 Si Episcopus hæreticus aliquid in manifestum fidei

fidei detrimentum,& fidelium perniciem moliretur, eſſetque ſuſpectus de fuga, nec Summus Pontifex abſque periculo poſſet conſultari, poteſt ab Inquiſitoribus incarcerari, vt ad Summum Pontificem remittatur. Peñ. & Ferinat. *num.* 119. *& ſeqq. citatis locis.*

6 Neque Epiſcopus, neque Inquiſitor contra alium Inquiſitorem, aut illius Vicarium authoritate Apoſtolica creatum, procedit: niſi in eo caſu, in quo contra Epiſcopum procedere poſſe diximus. Eymer. *quæſt.* 30. *vbi* Peñ. *com.* 79. Farin. §. 6. Dixi *d. c.* 3. *num.* 1. *citatis locis.*

7 Procedere poſſunt Inquiſitores contra Regulares etiam exemptos, & contra quoſcumque alios Sacerdotes, conſulto tamen Generali Inquiſitore, aut ſupremo Senatu. Eymer. *q.* 28. *&* 29. *vbi* Peñ. *com.* 77. *&* 78. Molin. *num.* 18. *vbi ſupra.*

8 Procedunt contra Imperatores, Reges, & quaſcumque alias ſeculares poteſtates, conſulto tamen Summo Pontifice, ſi magnæ ſint perſonæ, aut ingens periculum, & magna populi perturbatio timeatur. Eymer. *q.* 31. Peñ. *com.* 80. *citatis locis.*

9 Item contra eos, qui in eorum prouincia delinquunt contra fidem, quamuis ad aliam declinent. Similiter contra delinquentes in aliena prouincia, qui in ipſorum Inquiſitorum diſtricto commorantur. Eymer. *q.* 42. *vbi* Peñ. *com.* 91. *locis citatis.*

10 Iudæi & infideles, qui voluntariè fidem per Baptiſmum ſuſceperunt, ſi retrocedant, puniri ab Inquiſitoribus poſſunt. Eymer. 2. *part. Direct. quæſt.* 44. *&* 45. *vbi* Peñ. *com.* 69. *&* 70. Farin. *de hæreſ. q.* 178. §. 6. *num.* 134. *& ſeqq.*

11 Pro-

11 Procedunt etiam contra prædictos, quamuis facti essent Christiani, dum erant infantes, aut baptismum coacti receperunt, dummodo coactio absoluta non sit: mitiùs tamen cum pueris & coactis est agendum. Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst. 9. com.* 44. Farin. *dicto* §. 6. *num.* 139.

12 Cathecumenus quamuis in hæresim, vel apostasiam pxolabatur, non potest puniri tanquam contra fidem delinquens. Est tamen coram Deo verè hæreticus, aut apostata. Dixi *in relectione de conf. Bullæ Cœn. cap.* 2. *num.* 8. Sanch. *libr.* 2. *Moral. cap.* 7. *tom.* 1. Farin. *d.* §. 6. *num.* 131.

CAPVT V.

De quibus criminibus Inquisitores cognoscant.

1 INquisitores de iure procedunt contra hæreticos, & in causis hæreticorum. Azor *instit. moral. part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 18. *rubr. de sacris Apostolicis Inquisitor. q.* 1. Farin. *de hæres. q.* 186. §. 2. *num.* 17.

2 Procedunt contra apostatas à fide. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 1. Peñ. 2. *part. Direct. ad q.* 44. *com.* 69. Farin. *de hæres. q.* 183. §. 1. *num.* 11.

3 Procedunt contra hæreticorum credentes, receptatores, defensores, & fautores. *Cap.* Excommunicamus, §. credentes, *de hæret. cap.* Vt officium *eod. tit. in* 6. Eymer. 2. *p. Direct. q.* 45.

4 Procedunt contra diffamatos de hæresi & suspectos de fide. *Cap.* Vt officium *de hæret. in* 6. Eymer. *vbi proximè.*

5 Procedunt contra scienter sepelientes hæreticos in loco sacro. *Cap.* Quicumque. *de hæret. in 6.* Eymer. *3. part. q. 40. vbi* Peñ. *com. 89.*

6 Procedunt contra Notarios, & Aduocatos patrocinantes hæreticis. *Cap.* Si aduersus. *de hæret. cap.* Vt commissi. *eod. tit. in 6.* Eymer. *3. part. quæst. 39. vbi* Peñ. *com. 88.*

7 Procedunt contra impedientes officium sanctæ Inquisitionis. In literis Clement. & Vrbani IV. *quæ incipiunt:* Præ cunctis. §. cæterum. *cap.* Statutum: *de hæret. in 6.* Eymer. *2. p. Direct. q 54. vbi* Peñ. *com. 79. & 3. p. q. 34 & 36. vbi etiam* Peñ *com. 83. & 85.*

8 Procedunt contra renuentes iurare in causa fidei. *Cap.* Excommunicamus, §. Adiicimus. *de hæret.* Eymer. *3. p. q. 41. vbi* Peñ. *com. 90.*

9 Procedunt contra blasphemos. Eymer. *2. p. Direct. q. 41. vbi* Peñ. *comm. 66. & 3. p. q. 44. vbi etiam* Peñ. *com. 93.*

10 Procedunt contra schismaticos. Eymeric. *2. par. Direct. q. 48. vbi* Peñ. *com. 73.* Farin. *de hæresi quæst. 184. §. 1.*

11 Procedunt contra legentes & retinentes libros prohibitos. Pius IV. *in constitut. quæ incipit.* Dominici gregis. anno 1564. *vide infra c. 21.*

12 Procedunt contra eos, qui in presbyteratus gradu non constituti, Missas celebrant, & confessiones audiunt. Extant constitutiones Apostolicæ Gregorij XIII. & Clement. VIII. *relatæ per* Laertium *tom. 2. Apostolicar. constit. pag. 387. & tom 3. pag. 128.*

13 Procedunt etiam in aliquibus casibus contra infideles in Catholicam fidem delinquentes. Farin. *d. §. 6 num. 128.*

Procc-

14 Procedunt contra celebrantes binas nuptias, quando viuente primo coniuge, alter cum alio contrahit, *Vide infra cap.* 34. Albertin. *de agnoſ. quæſt.* 23. *num.* 49.

15 Procedunt contra ſortilegos, & diuinatores. *Cap.* Accuſatus. *de hæret. in* 6. Eymer. 2. *p. quæſt.* 42. *vbi* Peñ. *com.* 67. *& 3. p. q.* 44. *vbi etiam* Peñ. *com.* 93. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 38. Del Rio *de Magia.* Farinat. *de hæreſ. quæſt.* 181. §. 1.

16 Procedunt in crimine hæreſis contra mortuos. *Cap.* Filij. *de hæret. in* 6. Eymer. 3. *p. q.* 43. *vbi* Peñ. *com.* 92. *cap.* Accuſatus. §. In eo verò. *de hæret. in* 6.

17 Procedunt contra Rectores ciuitatum, & dominos temporales nolentes iurare de defendenda Eccleſia contrà hæreticos. *Cap.* Ad abolendam. §. Statuimus. *Cap.* Vt officium. §. Statuimus. *de hæret. in* 6. *Cap.* Excommunicamus. §. Moneantur. *eod. tit* Eymer. 3. *part. Direct. q.* 32. *& 33. vbi* Peñ. *com.* 81. *& 82.*

18 Procedunt contra dominos temporales negantes eis debitum auxilium. *Cap.* Vt Inquiſitionis, *de hæret. in* 6. Eymer. 3. *part. Direct. quæſt.* 35. *vbi* Peñ. *comm.* 84.

19 Procedunt aliquando contra quæſtuarios. *Cap.* Vt officium. § Compeſcendi. *de hæret. in* 6. Eymer. *d.* 3. *p. Direct. q.* 37. *vbi* Peñ. *com.* 87.

20 Procedunt contra laicos diſputantes de fide. *Cap.* Quicumque. §. Inhibemus. *de hæret. in* 6. Eymer. 3. *p. q.* 38. *vbi* Peñ. *com.* 87.

21 Procedunt contra confeſſarios, qui in ſacramentali confeſſione pœnitentes ad actus inhoneſtos ſolicitant. Pauli V. *decreto ad Inquiſitorem Generalem Luſitaniæ anno* 1608. 16. *Septem.* Greg. XV. 30. *Aug.* 1622.

22 Procedunt denique Inquisitores Lusitaniæ ex commissione speciali contra nefandos sodomitas. *Ita constat ex Breui* Pij IV. *die* 20. *Februar, anno* 1562. & Greg. XIII. *die* 13. *Aug. anno* 1574.

CAPVT VI.

Quid sit Fides, & quæ necessariò à fidelibus credenda sint.

1 FIdes est *substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, seu est *habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum assentiri non apparentibus*. Paul. *ad Hebr.* 11. S. Thom. 2.2.*q.*4. *art.*1. Eymer. *Direct.*1.*p.q.*1.

2 Impositum est omnibus præceptum deactu fidei supernaturalis, quando eis sufficienter fides ipsa proponitur. S. Thom. 2.2.*q.*2. *art.*7.

3 Tunc fides dicenda est infidelibus sufficienter proposita, cum ita rationibus, vitæ sanctitate, contrariorum errorum confutatione, ac signis aliquibus confirmatur, vt prudenter ratio naturalis præscribere incipiat res fidei esse credendas, & contrariam sectam esse falsam. Sanch. *lib.*2. *moral.c.*1.

4 Baptizati, qui inter infideles, aut hæreticos in suis erroribus sunt nutriti, Catholica instructione minimè præcedente, statim etiam credere non tenentur, donec fides sibi sufficienter proponatur. Sanch. *citato loco.*

5 Qui edoctus ab Inquisitore, vel à suo Episcopo aut

aut à viro Theologo de rebus fidei, illis non credit, & contrarium asserit, si se contra Ecclesiam non sentire existimet, non est hæreticus, sed temerarius, quãuis probabile sit esse hæreticum. Sanch. *lib. 1. cap. 7. num.* 25. Farin. *de hæres. q.* 196. *num.* 12. *&* 10. *&* 11.

6 Necessitate medij, & finis, pro isto statu, ac tempore, tenetur vnusquisque credere explicitè mysterium Sanctissimæ Trinitatis, Christumque verum esse Deum, & hominem, ac totius humani generis Redemptorem, & quòd mortuus sit, & resurrexit. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 2. *artic.* 5. *&* 8. Eymeric. 1. *p. Direct. quæst.* 5.

7 Necessitate præcepti requiritur fides articulorum fidei, remissionis peccatorum, carnis resurrectionis, Ecclesiæ Catholicæ, mysterij Eucharistiæ. Scire etiam oportet præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Orationem Dominicam, ac vnusquisque scire tenetur leges ad statum suum spectantes. Eymer. 1. *p. q.* 31. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 3.

8 Ad explicitè credendum fidei mysteria, non omnes æqualiter obligantur. Prælati namque, & qui ex officio alios instruere tenentur, plura scire debent explicitè, quàm rudes personæ. S. Thom. 2. 2. *q.* 2. *art.* 6. Eymer. 1. *p. q.* 4. *vbi* Peñ. *com.* 21.

9 Quæ ad fidem secundariò spectant, vt quæ in scriptura sacra, & in Conciliis, aut Apostolicis traditionibus continentur, sufficit quòd implicitè, vel in præparatione animi credantur: postquam autem constiterit esse de fide, explicitè credenda sunt. S. Thom. *q. ill.* 2. *art.* 5. Eymer. *q.* 1. *vbi* Peñ. *com.* 20.

10 Multorum mysteriorum fidei, præsertim quę so lummodo sunt de necessitate præcepti, dari potest

etiam inter fideles ignorantia inuincibilis excusans à peccato. Sanch. *lib. 2. moral. c. 3. num. 20.*

CAPVT VII.

Qua ratione Fides violetur.

1 FIdes Catholica dupliciter violari potest, negatiuè, seu priuatiuè, & positiuè. Negatiuè, seu priuatiuè violatur fides, quando quis ea ignorat, quæ tanquam Catholicus scire tenebatur, aut quando ea omittit, quæ in bonum & fauorem fidei tenebatur facere. Positiuè, illud faciendo, quod fidei quomodocumque opponitur: & hoc dupliciter, directè scilicet & indirectè.

2 Directè, seu per se primò ab aliquo violatur fides, negando illam, vel relinquendo. Quæ si in totum deseratur, dicitur apostasia: si solùm in partem, hæresis appellatur.

3 Indirectè, seu non per se primò violatur fides, quando quis, retenta quidem veritate fidei, negat aliquas veritates ad fidem spectantes, & quæ ad illam per consequentiam reducuntur. Quæ in varios distribuuntur gradus, qui per propositiones explicantur. *Vide* Concil. Constant. *sess. 8. in sententia damnationis articulorum Vvicleph. & sess. 15. in tit. contra sententiam Ioannis Huss.* Peñ. *2. part. Direct. comm. 2. & 27.* Suar. *de fide disp. 19. sect. 2.*

4 Primus gradus est propositionis hæreticæ. Propositio hæretica illa censetur, *quæ aperte opposita est, siue contrarie, siue contradictorie alicui veritati, de*

qua

quæ certò constat esse de fide. Simanch. *de Cathol. tit. 54. à num. 8. & 9.* Albertin *de agnosc quæst. 6. num. 1.* Couar. *lib. 3. var. cap* 1. Suar. *citato loco num. 3.*

5 Propositio hæretica dicitur absolutè per ordinem ad rem quam significat; non vero per ordinem ad proferentem. *Proximè citati.* Doctores.

6 Propositiones hæreticæ, prout aduersantur primæ veritati reuelanti, sunt in eodem gradu falsitatis: prout verò opponuntur materiæ Fidei, secundum quod nobis proponitur credenda, aliæ dicuntur directè; & principaliter hæreticæ, aliæ indirectè, & secundariò, seu mediatè, vel immediatè. Suar. *cit. loc. num. 7. & seqq.*

7 Propositio directè, principaliter, & immediatè hæretica est illa, *quæ contrariatur veritati fidei directè, principaliter; & immediatè reuelatæ. Videndus* S. Thom. 1 *part. q.* 12. *art.* 4. *&* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 5. *&* *quæst.* 11. *art.* 1. *&* 2. *&* 1. ad Corint. *cap.* 11. *lect.* 3. Suar. *num.* 10.

8 Propositio indirectè secundariò, & mediatè hæretica illa dicitur; *quæ aduersatur veritati fidei indirectè, secundariò & mediatè reuelatæ, & quæ continetur in primo reuelato, tamquam pars illius.* S. Thom. & Suar. *citatis locis.*

9 Secundus gradus est propositionis erroneæ, nimirum *quæ opponitur veritati certæ Theologicæ certitudine non attingente veritatem fidei; & habetur per consequentiam claram ex veritate reuelata, in qua continetur tanquam aliquid distinctum.* Can. *lib.* 12. *de locis cap.* 10. Bañes 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Suar. *citato loco num.* 14. potest etiam dici propositio erronea, vel hæresi proxima illa, *quæ aduersatur veritati catholicæ, & vniuersali, quam*

vniuersa Ecclesia tenet, & certitudinem fidei non attingit. Can. *d. cap.* 10. Bañes *d. art.* 2. *vers.* Secundò notandum, *& sequenti.*

10 Tertius gradus est propositionis hæresim sapientis, vt est illa, *ex qua aliis principiis assumptis sequitur hæresis, quando illa principia non sunt omnino certa, sunt tamen in Ecclesia ferè certa, aut quando illatio non est euidens.* Vel propositio sapiens hæresim est illa, *quæ in sensu proprio hæretica est, in metaphorico verò ab errore liberatur.* Vel est illa, *quæ ex quibusdam circunstantiis, ex parte asserentis, aut ex temporum calamitate saporem quemdam habet hæresis, vel suspicionis indicio prudentum.* Can. *d. cap.* 10. Albertin. *d. quæst.* 6. *num.* 2. Suar. *num.* 17. Bañ. *citato loco.*

11 Quartus gradus est propositionis malè sonantis. Videlicet illa propositio, *quæ in aliquo sensu proprio est hæretica, & in alio etiam proprio est catholica,* diciúque potest propositio æquiuoca. Suar. *num.* 18.

12 Propositio malè sonans duplex est. Quædam enim dicitur talis ab intrinseco: quædam verò ab extrinseco. Illa dicitur malè sonans ab intrinseco, *quæ absolutè prolata malè sonat.* Illa ab extrinseco, *quando ex circunstantiis personæ, loci, aut temporis, malus sonus, aut suspicio oritur.* Suar. *d. num.* 18. *vid.* Can. *&* Bañ. *proximè citatis locis.*

13 Propositio malè sonans ab intrinseco, tres habet gradus. Primus, quando significatio hæretica est magis vsitata, & propria. Secundus, quando vtraque significatio æquè propria, & vsitata est. Tertius, quando significatio catholica magis propria, & magis vsitata inuenitur. Suar. *d. num.* 18.

14 Quintus gradus est propositionis piarum au-

rium

rium offensiuæ: qui ferè coincidit cum præcedente. Et est illa propositio, *in qua profertur aliquid indecens, & indignum in materia Religionis* Bañes *d. art.* 2. Suar. *num.* 19.

15 Sextus gradus est propositionis scandalosæ. Et est illa propositio, *quæ præbet causam, aut occasionem scandali circa aliquam doctrinam, aut veritatem fidei.* Bañes, & Suar. *proximè citatis locis.* Albertin. *d. quæst. 6. num.* 10.

16 Septimus gradus est propositionis temerariæ. Nimirum, *quæ in doctrina fidei, vel Theologiæ siue rationis regula profertur*, vtpotè sine sufficiente authoritate, aut ratione. Albertin. *d. quæst.* 6. *num.* 7. Bañ. & Suar. *num.* 20. *citatis locis.*

17 Propositionis temeratiæ duplex gradus distingui potest, ita vt quædam dicatur positiuè temeraria, alia priuatiuè, Suar. *num.* 20.

18 Propositio positiuè temeraria illa est, *quæ pugnat contra receptam sententiam, vel Patrum, vel scholasticorum, ita vt omnes aut ferè omnes conueniant, siue asserendo rem esse certam, siue probabilem.* Bañ. *vbi suprà* Suar. *d. num.* 20.

19 Propositio priuatiuè temeraria est illa, *quæ solo proprio iudicio, sine sufficienti authoritate, vel cogente ratione excogitata est, præsertim si sit contra generales regulas in fide, vel in Theologia receptas.* Suar. *cit. loc.*

20 Octauus gradus est propositionis schismaticæ, seu seditiosæ. Qualis est illa, *quæ vnionem membrorum Ecclesiæ, siue vniuersaliter, siue particulariter tollit, aut contrariam inducit.* Castro *de iust. hæret. pun. lib.* 1. *cap.* 3. Simanch. *cathol. inst. tit.* 54. *nn.* 18. & 19. Alber. *d. quæst.* 6. *num.* 11.

21 Nonus gradus est propositionis iniuriosæ; vtpotè propositio *quæ alicui fidelium statui, vel illustri personæ Ecclesiasticæ detrahit, aut iniuriam facit.* Castr. & Simanc. *num.* 22 *citat. locis.* Albert. *d. quæst.* 6. *num.* 9.

22 Decimus gradus est propositionis impiæ, nimirum propositio *quæ opponitur pietati, quatenus pietas filiali affectu colit Patrem Deum, & consequenter Sanctos & sacram Scripturam.* Dicitur etiam impia illa propositio, *quæ opponitur pietati, secundùm quod impedit, & tollit pietatem erga proximos, & obedientiam Deo debitam in obseruatione præceptorum.* Albertin. *d. quæst.* 6. *num.* 12.

23 Vndecimus gradus est propositionis blasphemæ seu maledicæ, illa videlicet, *qua Deo, vel Sanctis irrogatur iniuria tribuendo eis ea, quæ ipsis non conueniunt, aut negando ea, quæ debita sunt.* Simanch. *num.* 20. Albertin. *dict. quæst.* 6. *num.* 13.

24 Vna propositio varias simul potest habere qualitates, quarum ratione plures ex prædictis gradibus ei conueniant. Simanch. *num.* 23.

25 Huiusmodi gradus contra Fidem, qui per propositiones explicantur, inueniuntur similiter in factis: imò ab ipsis propositiones oppositionem contra fidem sibi vendicant.

CAPVT VIII.

De hæresi, & hæreticis, apostasia, & apostatis.

1 HÆresis est *error intellectus voluntarius, & pertinax in materia fidei Catholicæ contraria,*

in

in homine qui fidem susceperit. Dixi *in Bulla Cœnæ cap. 2. num.7.* Sanch. *lib. 1. moral. cap.7.* Suar. *de fide tract.1. disp. 19. sect. 5. num.13.*

2 Hæreticus est, *qui cùm Catholicam fidem susceperit, contra illam pertinaciter errat.* Farin. *de hæresi quæst. 178 §.1. num. 10.* Sanch. *citato loco num.15.*

3 Pertinacia, quæ ad hæresim, & hæreticum requiritur, exigit per actum positiuum contradictionem eorum, quæ constant esse de fide, & eum, qui sic contradicit, non esse corrigi paratum. Sanch. *dict. cap. 7.* diximus *cit. loc. num.7.*

4 Cathecumenus, qui verè fidem suscepit, si contra illam sentiat, est verè hæreticus coram Deo, non tamen coram Ecclesia. Bañes 2.2. *quæst. 11. art.2. vers.* Vltima particula. Dixi *cita. loc. num.8.* Suar. *citato loco disp. 16. sect. 4. num. 9. & disp. 19. sect. 5. num.4. 5. & 6.*

5 Qui pertinaciter sentit contra articulos fidei, contra sacram Scripturam, vel contra determinationes Ecclesiæ factas vt de fide, est hæreticus. Eymer. 2. *part. Direct. quæst. 35. vbi* Peñ. *com.60.* Sanch. *d. cap.7.*

6 Hæreticus est, qui malè sentit de Sacramentis Ecclesiæ. Farinat. *d. quæst. 178. §.2. num.44.*

7 Hæreticus etiam est, qui falsò credens aliquid esse ab Ecclesia deffinitum de fide, oppositum sentit, pœnasque hæreticorum incurrit. Sanch. *citato loco.* Farin. *d. §.1. num.2.* Suar. *vbi suprà disp. 19. sect. 4. num.17.*

8 Probabilius est esse hæreticum, hæreticorumque pœnis subiici, qui non credit, nec assentitur reuelationi sibi specialiter factæ, quam tamen diuinam putat. Sanch. *cit. loc. num.32.*

9 Hæ-

9 Hæreticus est, qui negat, aut sentit contra traditiones diuinas, tam doctrinales, quàm morales, vt includunt aliquid credendum, si perpetuò sint in Ecclesia Catholica obseruatæ, aut retentæ Bellarm. *tom. 1. lib. 4. de verbo Dei non scripto.* Suar. *vbi suprà disp. 5. sect. 4.*

10 Apostasia (de qua hoc loco agimus) est *retrocessio seu desertio fidei susceptæ.* In quo sensu hæresis dicitur apostasia. Suar. *de fide disp. 16. sect. 5. num. 1. & 6.*

11 Apostasia propriissimè dicta, vt ab hæresi distinguitur, est *retrocessio in totum à fide Christi*, ita vt negetur Christus. Et apostata dicitur ille, *qui à Christo in totum recedit*, nimirum, qui ad Iudaismum, aut Paganismum transit. Bañ. 2. 2. *quæst. 12. art. 1.* Suar. *citato loco.* Azor. *tom. 1. moral. lib. 8. cap. 17. quæst. 3.* Farinat. *de hæres. quæst. 183. §. 2. num. 13. & 19.*

12 Hæreticus, & apostata in eo differunt, quòd apostata in totum recedit à fide, hæreticus verò in aliquo, vel aliquibus tantùm articulis Decian. *crim. lib. 5. cap. 70. num. 3. & cap. 71. num. 5.* Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst. 49. com. 74.* Farin. *d. §. 2. num. 16.*

13 Contra apostatas à fide proceditur, sicut contra hæreticos, & iisdem pœnis subiiciuntur. Eymer. 2 *part. Direct. quæst. 44. vbi* Peñ. *com. 69.* Azor. *vbi suprà cap. 22. quæst. vltim. & cap. 23. quæst. 2.* Farin. *num. 19. & §. 4.*

14 Baptizatus, inter Paganos, aut Iudæos in suis erroribus educatus, sine sufficiẽte notitia legis Christi, solummodò dicendus est apostata materialiter: si tamen nutritus sit inter hæreticos cum sufficiente notitia Christi seruatoris, quamuis inuincibiliter ignoret

noret veram, & Catholicam Ecclesiæ Romanæ doctrinam, indeque transeat ad Iudaismum, vel Paganismum, erit vere, & formaliter apostata. Quoniam hic recedit à Christo, quem formaliter cognoscit, non vero ille.

15 Apostata Religionis dicitur ille, *qui recedit ab ordine, siue ab habitu assumptæ Religionis, & ad seculum redit.* Farinat. *d. quæst.* 18. §. 6. *num.* 61. Suar. *d. sect.* 5. *num.* 2.

16 Religiosus, aut clericus, siue dimisso habitu, siue retento, qui vxorem ducit, apostata iudicatur, punitúrque ab Inquisitoribus, vt de fide suspectus, siue publicè, siue secretè contraxerit. Decian. *vbi suprà cap.* 22. *num.* 40. Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst.* 49. *com.* 74. Farin. *d.* § 6. *num.* 70. *& seqq.*

17 Suspectus etiam est de fide coniugatus post consummatum matrimonium, qui extra casus in Iure permissos ingreditur Religionem, & professionem emittit, vel sacros ordines suscipit, siue de consensu vxoris id faciat, siue non. Simanch. *cathol. inst. tit* 40. *num.* 14. Farin. *num.* 74. *citato loco.*

18 Apostata obedientiæ dicitur is, *qui ex contemptu, vel superbia transgreditur præcepta sui Prælati, illisque vel sacris canonibus, & Dei præceptis non obedit,* Mascard. *de probat. lib.* 1. *conclus.* 112. *num.* 12. Farinat. §. 5. *num.* 54. Suar. *citato loco.*

19 Si huiusmodi apostata ideo non obedit, quia credit non esse obediendum superioribus, hæreticus est, & ab Inquisitoribus punitur. Decian. *citato loco cap.* 17. *num.* 19. Farinat. *num.* 56.

CAP.

CAPVT IX.

De hæresiarchis, & dogmatistis.

1 HÆresiarcha, seu princeps hæresis ille propriè dicitur, *qui & errores inuenit, & seminat.* Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 39. *vbi* Peñ. *comm.* 64. Farinat. *de hæresi quæst.* 178. §. 1. *num.* 15. Suar. *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *num.* 11.

2 Dogmatista, seu dogmatizans ille est, *qui hæreses, & errores ab aliis inuentos prædicat, & docet.* Doctores *citati citatis etiam locis.*

3 Dogmatista dicitur etiam hæresiarcha, & eodem ferè modo cum vtroque procedendum est: cùm hæresiarcha in primo gradu hæreticorum, dogmatista verò in secundo collocetur. *Cap.* Qui aliorum. 24. *quæst.* 3. Doctores *citati.*

4 Ad Hæresiarcham, & dogmatistam requiritur, vt quasi ex officio, & consuetudine publicè, vel occultè proprios, aut alienos errores doceat plures, siue simul, siue vnumquemque in particulari. Suar. *cit. loco.*

5 Hæresiarcha, & dogmatista censendus est, qui quasi ex officio, & consuetudine hæreticos in suis erroribus confirmat, quamuis non doceat eos quod anteà ignorabant; siue verbis id faciat, siue scriptis, aut libris traditis, in quibus prædicti errores defenduntur; & item qui hæreticorum doctrinam defendit. *Cap.* Qui aliorum. 24. *quæst.* 3.

6 Illum etiam hæresiarcham, & dogmatistam dixerim,

dixerim, qui similiter quasi ex officio, & consuetudine, errores siue à se confictos, siue ab aliis inuentos, per alios prædicat, & disseminat verbis, vel scriptis, & etiam qui libros hæreticos componit, & diuulgat, quia hæc ad magistrum spectant. *Cap.* Qui aliorum.

7 Qui inter Iudæos, aut hæreticos officium assumit Rabini, vel Sacerdotis, seu ministri, illúdque exercet, esto verbis non doceat, dogmatista dicendus est, eò quòd facto apostasiam, aut hæresim confirmat.

8 Vt aliquis dicatur dogmatista, & hæresiarcha, non requiritur quòd re ipsa audientem, vel videntem persuadeat, aut confirmet, sed quòd de facto nitatur persuadere, vel confirmare, cùm hoc ex parte magistri se teneat, illud ex parte discipuli.

9 Qui semel, aut bis hæresim ab alio inuentam prædicat, & docet, non est statim vt hæresiarcha, & dogmatista puniendus: quæ autem consuetudo ad hoc sufficiat, iudicis arbitrio relinquitur.

10 Hæresiarchæ, & dogmatistæ regulariter non recipiuntur ad Ecclesiæ reconciliationem *Vide* Peñ. 2. *part. Direct. quæst.* 39. *comment.* 64. Farinat. *de hæresi q.* 193. *num.* 6. *& sequentibus.*

11 Nutritus inter hæreticos, vel infideles, qui doctrinam Fidei Catholicæ Romanæ non accepit, quamuis baptizatus, si conuertatur, recipiendus est, licèt ante conuersionem hæresiarcha, dogmatista, aut sacerdos fuerat, etiam si habuerit notitiam fidei, quam culpabiliter non est professus: cùm de huiusmodi hæresiarchis, nec Iura, nec Doctores loquantur, & praxis illos ad reconciliationem admittat.

12 Hæ-

12 Hæresiarchæ qui reliquerunt fidem, præsertim dogmatistæ, si verè conuertantur, magnáque & ferè euidentia signa diuinæ illuminationis in eis appareant, reconciliari possunt. Eymer. Peñ. Suar. *citatis locis.* Farinat. *de hæresi. quæst.* 193. §. 1. *num.* 5. *& seqq.*

13 Hæresiarcha, qui sufficientia signa veræ conuersionis ostendens, venit sponte non inquisitus, aut delatus, recipi potest. Secùs verò si mortis metu accedat. Peñ. *vbi suprà, vers.* Item hæc sententia. Farinat. *proximè citato loco, num.* 7.

14 Si dogmatista errorem suum, postquàm ab Inquisitoribus apprehenditur, defendat, quamuis posteà conuertatur, non est recipiendus ad reconciliationem. Si tamen statim conuertatur, & verè conuersionis ferè euidentia signa ostendat, recipi potest. Eymeric. 3. *p. Direct. rubr. de octauo modo terminandi processum. num.* 196. Farin. *d.* §. 1. *num.* 8.

15 Dogmatistæ, qui Regibus, Principibus, aut eorum filiis persuaserunt errores, vel persuadere conati sunt, reconciliari non debent. Peñ. *citat. loco. vers.* Postremo. Farin. *num.* 9.

16 Si hæresiarchæ, aut dogmatistæ doctrina sua nulli nocuerunt. & veræ conuersionis signa ostendant, reconciliari possunt. Simanch. *de catho. tit.* 47. *num.* 72. Peñ. *vers.* Neque illis. Farin. *num.* 10.

17 Si hæresiarchas, aut dogmatistas in aliquo casu recipi contingat, cum maxima consideratione id faciendum est; grauissimæ tamen sunt eis imponendæ pœnæ, nec mitigandæ, nisi post longum tempus, & post manifestissima veræ conuersionis, & pœnitentiæ signa. Peñ. 2. *p. Direct. com.* 64.

18 Dogmatizantibus, & hęresiarchis, sicut etiam

&

& relapsis, si verè pœnitentes sint, neganda non sunt ante mortem sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quantum commode fieri potest. *Cap.* Super eo. *de hæret. in 6.* Suar. *d. sect. 2. num. 12.*

CAPVT X.

De suspectis de hæresi.

1 SVspicio est *opinio mali ex leuibus indiciis procedens.* Consistit in assensu vnius partis, cum formidine alterius. Dixi *Opusc. de solicitant. tract. 1. cap. 4. num. 2.* Farin. *de indic. & tortura quæst. 36. num. 176.*

2 Suspicio communiter dicta, in probabilem, seu quæ præsumptionem de re aliqua facit, & temerariam, diuiditur. Relicta suspicione temeraria, de probabili agendum est.

3 Suspicio probabilis est *opinio mali alicuius ex signis, ex quibus ad præsumptionem venitur.* Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 80. Dixi *Opusculo citato num* 4. Præsumptio est *rei dubiæ coniectura verisimilis, quæ ex natura rei, vel circunstantiis, negotiorum, aut personarum proficiscitur.* Addit ad suspicionem communiter dictam verisimiles coniecturas. Dixi *dict. num.* 4.

4 Præsumptio, seu suspicio (pro eodem enim accipiuntur) diuiditur in leuem, vehementem, & violentam. Farin. *quæst. citata, num.* 110. & dixi *num.* 5.

5 Suspicio leuis, seu leuis præsumptio contra fidem, prouenit *ex signis exterioribus operum, aut verborum, ex quibus capitur coniectura, qua concludi potest,*

non quidem frequenter, sed rarò, quòd talia dicens, vel faciens hæreticus sit. Peñ. *citato loco, & num.* 6.

6 Suspicio, seu præsumptio vehemens prouenit *ex signis exterioribus operum vel verborum, ex quibus cognitis accipitur argumentum concludens frequenter, & vt in plurimum, quòd talia dicens, vel agens est hæreticus.* Huiusmodi suspicio dicitur præsumptio iuris. Et *est probabilis coniectura ex certo signo prouenies, quæ alio non adducto pro veritate habetur.* Mascard. *de probat. lib.* 1. *quæst.* 10. *num.* 34. *& sequentibus.* Dixi *num.* 7.

7 Suspicio, seu præsumptio violenta prouenit *ex signis exterioribus operum vel verborum, ex quibus ferè semper colligitur, quòd illa dicens, vel faciens sit hæreticus.* Diciturque præsumptio iuris, & de iure. Et *est quædam legis dispositio aliquid præsumentis & super præsumpto tamquam sibi comperto, & noto statuentis.* Farin. *dict. quæst.* 36 *num.* 101. Peñ. *citato loco.* Dixi *num.* 8.

8 Ex dictis patet, suspectum de hæresi, seu contra fidem illum dici, *qui illud dicit vel facit, ex quo hæresis suspicio infertur,* qui pro qualitate suspicionis, leuiter, vehementer, aut violenter suspectus iudicabitur.

CAPVT XI.

De dubio in Fide.

1 DVbium est *motus rationis indifferens in vtramque partem contradictionis.* Sylvest. *verbo* Dubium. *num.* 1.

2 Du-

2 Dubius in fide est ille, *qui circa res fidei per actum rationis in vtramque partem contradictionis mouetur.*

3 Dubius in fide Catholica, infidelis seu hæreticus est. *Cap.* Dubius. *de hæret.* Quomodò hoc intelligatur, per infrà dicenda patebit.

4 Multis modis circa fidem dubitari contingit. Peñ. 2. *part. Direct. ad cap.* Dubius. *de hæret. comment.* 1. Farin. *de hæresi quæst.* 178. §. 4. *num.* 92.

5 Primò, subreptitia tentatione, cùm quasi inopinanter aduenit nobis quædam tentans cogitatio circa credibia. Sic dubitans, hæreticus non est; imò non peccat, si inuitus huiusmodi patitur cogitationes. Peñ. *citato loco. vers.* Multis ergo modis, *& sequentibus.* Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 13. *tom.* 1. Farinat. *num.* 98. *d.* §. 4.

6 Secundò, veritatis elucidatione, vt quando suppositа fidei certitudine, opponuntur rationes contrariæ, vt veritas fidei magis eluceſcat. In hoc etiam non inuenitur culpa. Peñ. *vers.* Secundo modo, *& sequentibus.* Farin. *d.* §. 4. *num.* 103.

7 Tertiò, imperfecta adhæsione: sicut contingit in peccatoribus, qui si perfectè adhærerent creditis, non sic viuerent, quasi de fidei veritate dubitarent. Hic modus non constituit hæreticum. Peñ. *vers.* Tertio modo.

8 Quartò, voluntaria hæsitatione: quando quis sciens aliquid esse de fide, de eo tamen voluntariè dubitat, siue æqualiter inclinet in veritatem fidei, & in errorem contrarium, siue inæqualiter. Et hic modus hæreticum constituit. Peñ. *vers.* Quarto modo. Farinat. *dict.* §. 4. *num.* 90.

9 Quintò, pertinaci defensione: ita vt quis magis inclinet in doctrinam fidei contrariam, & tenacius illi adhæreat. Qui modus etiam constituit hæreticum. Peñ. *vers.* Quinto modo. Farinat. *a.* §. 4. *num.* 104.

10 Dubitans de iis, quæ sunt de fide primariò, & omnibus tamquam necessariò credenda traduntur, hæreticus præsumitur, & pœnis hæreticorum plectitur. S. Thom. *quodlib. 3. quæst. 4. art.* 10. Peñ. *vers.* potest item octauo. *& sequenti.*

11 Dubitans de iis, quæ ad fidem secundariò spectant (iuxta ea quæ *cap. 6.* diximus) non est hæreticus, donec de illis legitimè admonitus sit. Idem est dicendum de eo, qui dubitat de diffinitis ab Ecclesia. Peñ. *vers.* De quo dubitationis genere, *& vers.* Item decimo. Farinat. *d.* §. 4. *num.* 95.

12 Ex qualitate personarum, & status earum iudicanda est maior, vel minor suspicio contra fidem. Peñ. *vers.* Iam ad hæc. Farinat. *a. num.* 105.

13 Dubitans in iis, quæ ab Ecclesia diffinita non sunt, dummodo sit paratus tenere quod Ecclesia determinauerit, hæreticus non est. Peñ. *vers.* Et in hoc sit. Farinat. *num.* 102.

14 Si quis sentiens se tentari contra fidem, suspendit omnino iudicium suum, non est hæreticus, nec dubius in fide Bañ. *ad* 2.2 *q.* 11. *art.* 1. *vers.* Ex his sequitur. Farin. *d.* §. 4. *num.* 98. *fine.*

15 Qui perpensis rationibus contra fidem sibi occurrentibus, in neutram partem inclinat, sed pendulus est, non censetur hæreticus, nisi reflectatur supra suum actum iudicans rem illam fidei dubiam esse. Sanch. *lib. 2. moral. cap. 7. sect.* 1.

16 De

16 Vt dubius in fide sit hæreticus, requiritur quòd dubitet cum pertinacia, nec sit corrigi paratus; aliàs hæreticus non est. Farin. *d.* §. 4. *num.* 99.

17 Dubius in fide si resipiscat, & relicto dubio ad Catholicam veritatem conuertatur, recipiendus est, hæresi, aut suspicione illius abiurata. Peñ. *vers.* Cum itaque. Farin. *d.* §. 4. *num.* 107.

CAPVT XII.

De errante in fide per ignorantiam.

1 IGnorantia (priuationis scilicet, & mala) est *priuatio scientiæ possibilis adipisci, quam quis habere tenetur.* Sylvest. *verbo* Ignorantia, *num.* 2.

2 Ignorantia ex parte rei ignoratæ diuiditur in ignorantiam iuris, & facti. Illa est, *qua ignoratur aliquod ius*; hæc verò, *qua ignoratur aliquod factum.* Ignorantia iuris diuiditur sicut & ius ignoratum, quod est multiplex, videlicet naturale, diuinum & humanum. Ignorantia facti diuiditur etiam sicut & factum, quod similiter est multiplex, scilicet factum necessarium ad salutem, necessarium ad officium, & proprium ac alienum. Sylvest. *d. num.* 2.

3 Ignorantia ex parte actus ignorantis diuiditur in antecedentem, concomitantem, & consequentem. S. Thom. 1. 2. *q.* 6. *art.* 8. Sylvest. *num.* 3.

4 Ignorantia antecedens, non est quidem volita, est tamen *causa volendi illud, quod aliàs homo non vellet.* Concomitans tunc datur, *quando ignoratur id, quod agitur, tamen si sciretur, nihilominus ageretur.* Conse-

quens ignorantia datur, *quando ipsa ignorantia est volita*, vt quia fertur voluntas in ipsam volens ignorare, & dicitur affectata: vel quia non vult scire quæ potest, & debet: quæ per varios gradus distribuitur. Sylu. est. *num.* 5.

5 Ignorantia non affectata diuiditur in inuincibilem, seu humano studio insuperabilem, & in vincibilem. Quæ rursum in crassam, & supinam diuiditur, nimirum, *quando quis non scit publica, & manifesta, quæ omnes sciunt*, & in non supinam, quæ similiter duplex est. Quædam enim est improbabilis, *qua quis ignorat probabile*, seu illud, *quod omnes, aut maior pars ciuium scit*. Quædam verò est probabilis, *qua*, scilicet, *quis ignorat improbabile*, seu illud, *quod omnes, aut maior pars ignorat*. Sylu. *num.* 5.

6 Ignorantia excusat in crimine hæresis. Peñ. 1. *p. Direct. q.* 7. Farin. *de hæres. q.* 179. §. 3. *num.* 23.

7 Ignorantia inuincibilis, siue iuris, siue facti, excusat ab hæresi, imò & à suspicione illius, & à pœna contra hæreticos determinata. Peñ. & Farin. *num.* 26. *citatis locis.*

8 Errans in fide ex ignorantia crassa, licet mortaliter peccet, hæreticus non est. Sairo *in clavi reg. lib.* 2. *c.* 9. *num.* 34. Sanch. *in opere moral. tom.* 1. *libr.* 2. *c.* 7. *num.* 20.

9 Errans ex ignorantia affectata, si eam affectat ex falsa opinione contra Ecclesiam, quia, quæ ipsa proponit, parui momenti esse credit, hæreticus est, sicut etiam si ignorantiam affectat, vt liberius erret in fide. Sanch. *d. c.* 7. *num.* 23.

10 Errans in fide ex ignorantia affectata, quam affectat ex tædio addiscendi, aut ad liberius peccandum,

dum, non verò contra fidem, hæreticus non est Sanch.*d.num.*23.Farinat.*d.*§.*3.num.*30.

11 Errantes in fide, eo quòd sic edocentur à viris quos credunt doctos, & pios, vt discipuli à magistris, filij à parentibus, parochiani à suo parocho, vel Episcopo, hæretici non sunt. Peñ. 2.*p.Direct.ad c.*1.*de hæret.vers.*De quo sit octaua conclusio. Azor *Iesuita tom.* 1.*lib.*8.*c.*6.*q.*9.Farin.*d.*§.3.*num.*25.

12 Edoctus à viro Theologo, Inquisitore, vel Episcopo circa res fidei, si illis non credit, existimans fidei, aut Ecclesiæ non contrauenire, quamuis de facto defendat hæresim, hæreticus non est, erit tamen temerarius. Sanch.*d.c.*7.*num.* 25.

13 Ignorantia in iis, quæ sunt per se nota, ac de iure naturæ primario, non excusat in foro externo, nec etiam in sortilegiis, in quibus dæmon expressè inuocatur. Azor *Iesuita tom.*1.*lib.*1.*cap.*13.*q.* 1. Farinat. *d.*§.3 *num.* 31.*&*38.

14 Ignorantia iuris diuini circa ea, quæ explicitè credenda sunt, & quæ necessitate finis, & medij omnibus credenda proponuntur, non excusat ab hæresi in foro externo, nec etiam, nisi rarò, si detur circa ea, quæ ex necessitate præcepti explicitè credere necesse est. Peñ.*in Direct. Inquisit.part.*1.*q.*7.*num.*22.*& p.* 2.*ad c.*1.*de hæret.vers.* Potest item. Azor *d.lib.* 8.*c.*6.*q.* 7. Farin.*d.*§.3.*num.*34.

15 Ignorantia iuris diuini circa ea, quæ solùm implicitè credenda sunt, regulariter ab hæresi excusat, etiam in foro externo. Simanch.*cathol.tit.*26.*num.* 5. Peñ.*d.com.*22. Farin.*d.*§.3.*num.*33.*&* 35.

16 Error in fide ex ignorantia crassa, supina, aut improbabili, facit vehementer suspectum: error verò

ex ignorantia probabili, solùm facit leuiter suspectũ.

17 Ad præsumendam hæresim, aut suspicionem illius, maiorem, vel minorem in foro externo, præter qualitatem materiæ, attendenda est qualitas personæ, an sit docta, vel non.

18 Errans in fide per ignorantiam, dummodo inuincibilis non sit, abiurare debet purè simpliciter, & sine conditione pro qualitate culpæ, secundum arbitrium Inquisitorum. Simanch. *dict. tit. 26. num. 8.* Fari. *d. §. 8. nan. 36.*

19 Erranti contra fidem per ignorantiam, pœnitentia aliqua imponenda est, & aliquando examinandus est reus per torturam, respiciendo ad indicia, vitam, mores, qualitatem personæ, an sit suspecta: qualitatem articuli, an sit facilis, an difficilis indagationis, & similia. Farinat. *a. §. 3. num. 36. 37. & d. q. 179. §. 1. num. 5. & seqq.*

20 Quæ circa errantem per ignorantiam diximus, suo etiam modo de errante per simplicitatem intelligenda sunt. *Vide* Farin. *d. q. 179. §. 2. & per eum citatos.*

CAPVT XIII.

De proferente hæresim per iocum, lubricum linguæ, inaduertentiam, & iram.

1 QVi non seriò, sed per iocum hæresim profert, non est hæreticus, nec vt hæreticus punitur. Albertin. *de agnosc. q. 36. num. 11.* Pen. *3. part. Direct.*

Direct. com. 17. *verſ.* Seu animo indeliberato, *& ſeqq.* Farin. *de hæreſ. q.* 179. §. 4. *num.* 40. *&* 41.

2 Non cenſetur etiam hæreticus, qui ex iracundia, aut magna animi perturbatione, commotione, vel corporis dolore hæreſim profert, niſi perſiſtat. Albertin. *d. q.* 36. *num.* 18. Peñ. & Farin. *num.* 42. *& ſeqq. & num.* 50. *citato loco*

3 Qui aliquo ex his prædictis modis hæreſim protulit, ſi ſe ſtatim corrigit, mitiùs punitur, & aliquando nulla ei pœna imponitur. Peñ. & Farin. *num.* 46. *citatis locis.*

4 Qui aliorum hæreſes refert, niſi dolo malo id faciat, puniendus non eſt. Dolus autem ex qualitate perſonarum, ex modo dicendi, & ex aliis circumſtantiis rimatur. Peñ. *verſ.* Seu dixerit recitatiuè. Farinat. *num.* 45. *citatis locis.*

5 Qui aliquo modo ex ſupra poſitis hæreſim profert, examinandus eſt circa intentionem, & pœna extraordinaria puniendus, pecuniaria ſcilicet: vel ſi ſcandalum fuit ſequutum, ponatur in Eccleſia dum Miſſa celebratur, cum candela in manu, ſine aliqua abiuratione. Peñ. *d. com.* 17. Farinat. *d.* §. 4. *num.* 48. 63. *&* 64.

6 Qui hæreſim profitetur, & prædicat, quamuis dicat non credidiſſe hæreſim, quam prædicabat, ſed propter aliquem reſpectum humanum ſic prædicaſſe, non eſt credendus. Farinat. *d.* §. 4. *num.* 49.

7 In dubio quando dicta, vel facta ſunt hæreticalia, non eſt facilè credendus reus dicens, per iocum inaduertentiam, aut non mala intentione ea dixiſſe, vel feciſſe, ſed vt hæreticus puniri debet, ſi contra ſe habet malę intentionis præſumptionem. Albertin. *de*

agnosc. quæst. 36. *num.* 18. Peñ. *d.com.* 17. Farin. *d.* §. 4. *num.* 51. *vsque ad* 54.

8 In dubio quando verba, vel facta sunt similiter dubia, quæ & in bonam, & in malam partem accipi possunt, in bono sensu dicta, vel facta præsumantur. Rojas *de hæret.* 1. *part. num.* 209. *& sequentibus.* Farinat. *num.* 52. *&* 55.

9 Qui fatetur factum hæreticale, quod excusationem non habet, si comprehenditur antequam se præsentet, vt hæreticus punitur. Albertin. *de agnosc. quæst.* 8. *num.* 12. *& quæst.* 34. *num.* 53. Farin. *dict.* §. 4. *à num.* 54. *vsque ad* 59.

10 Comprehensus absque eo quòd se præsentet, si fatetur se dixisse hæreticalia verba, quæ manifesta sunt, & plenè probata, prauam tamen intentionem negat, circa illam torquendus est. Qui si in negatiua persistat, adhuc de vehementi abiurare compellitur. Albertin. *de agnosc. quæst.* 36. *num.* 18. *vers.* Circa prædicta. Peñ. 3. *part. Direct. quæst.* 61. *comment.* 110. *in appendice. vers.* Si quis ergo.

11 Qui confitetur dictum hæreticale, vel factum, de quo aliàs conuictus non est, nec etiam adsunt indicia hæreticalem animum ostendentia, si dicat non ea dixisse, aut fecisse praua intentione, credendus est. Si verò dentur aliqua indicia probata, quæ animum suspectum, seu hæreticum ostendant, quamuis sponte se præsentet, pro qualitate indiciorum abiurare debet. Farin. *dict.* §. 4. *num.* 55. *&* 60. *ex Ioanne de Rojas de hæret. p.* 1. *à num.* 33.

12 Quando factum non est prorsus hæreticale, licèt sit valde suspectum, super intentione torqueatur reus. Farin. *d.* §. 4. *num.* 59.

13 In-

13 Intentio proferentis verba per iocum coniecturis probatur, attenta verborum & factorum qualitate, an etiam persona sit suspecta, an verò docta & pia, an etiam faceta. Attenditur similiter modus loquendi, & scandalum sequutum. Peñ. *3. part. Direct. comm.* 17. Farin. *d.* §. 4. *num.* 62.

14 Inquisitor non debet esse facilis ad credendam excusationem; nimirum, quòd lubrico linguæ, inadvertentia, ira, vel ioco aliquid sit dictum, vel factum contra fidem. Peñ. *dict. comm.* 17. Farin. *dict* §. 4. *num.* 53. *Vide infrà cap.* 16. *num.* 8. 9. & 10.

CAPVT XIIII.

Protestatio in quibus casibus protestantem ab hæresi excuset.

1 PRotestatio, est *professio sive confessio fidei exterius facta ad ostendendum quid protestans de fide sentiat.* Albertin. *de agnosc. quæst.* 12. *num.* 2. Peñ. 1. *part. Direct. quæst.* 12. *comment.* 26. *vers.* Protestatio. Farin. *de hæresi quæst.* 178. §. 7. *num.* 148.

2 Protestatio, absolutè loquendo, excusat ab hæresi eum, qui protestatur, quòd non intendit à fide recedere, sed quòd corrigere se paratum exhibet, & iudicio sanctæ matris Ecclesiæ se submittit. Nauar. *lib.* 5. *consil. cons.* 18. *de hæret. num.* 14. Simanc. *cathol. tit.* 55. *num.* 4. Farin. *d.* §. 7. *num.* 150.

3 Protestatio excusat componentem librum erroneum, sicut & errorem proferentem. Albertin. *de agnosc. quæst.* 12. *num.* 10. Farin. *d.* §. 7. *num.* 151.

4 Pro-

4 Protestatio magis excusat,& prodest, si fiat ab eo, qui laborat in extremis, nec de hæresi fuit aliquando suspectus. Albertin. *in rubr. de hæret. num.* 17. Farin. *num.* 12. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 37 *num.* 27.

5 Protestatio excusat in obscuris & non diffinitis per Ecclesiam: non verò in manifestis, & quæ diffinita iam sunt, præsertim si fiat à viro iam docto, qui diffinitionem Ecclesiæ scire præsumitur. *Vide* Peñ. 1. *p. Direct. com.* 26. *vers.* Sit prima. Simanch. *cathol. tit.* 55. *num.* 5. Farinat. *d.* §. 7. *num.* 158. *& seqq.*

6 Protestatio excusat in iis, quæ quis explicitè credere non tenetur, secus verò in illis, quæ explicitè credenda sunt, quantùm ad iudicium externè ferendum: in foro tamen animæ, quæuis protestatio excusat. Eymeric. *p. Direct. quæst.* 12. *vbi* Peñ. *com.* 36. Alber. *dict. quæst.* 12. *num.* 9. Farinat. *dict.* §. 7. *num.* 154. *& seqq.*

7 Protestatio non excusat, quando quis monitus ab Inquisitoribus fit certus, quòd hæresim dicat. Eymer. & Peñ. *citatis locis.* Farin. *d.* §. 7. *num.* 157. & 160.

8 Protestatio contraria factis non iuuat, neque excusat protestantem. Peñ. *d. com.* 26. *vers.* Hactenus.

9 Protestatio non iuuat illum, qui fuit hæreticus, ad hoc vt perpetuo carceri non mancipetur; iuuat tamen ne hæreticus iudicetur, & curiæ seculari tradatur. Albertin. *de agnosc. quæst.* 12. *num.* 15. Farinat. *d.* §. 7. *num.* 162.

10 Quantum protestationi credendum sit, iudicis arbitrio relinquitur, qui attentis personarum, & rerum circunstantiis, protestantis animum indagare debet. Simanch. *cathol. inst. tit.* 55. *num.* 12. Farinat. *d.* §. 7. *num.* 161.

11 Qui

11 Qui protestatione excusatur, non est hæreticorum pœnis, aut infamia puniendus; corripi tamen debet per reuocationem erroris, non quidem sub erroris nomine, sed sub alio nomine detractionis, scilicet, aut alio simili denotante, temerè, vel minus consideratè dixisse, & quòd propterea tale dictum non approbat, sed improbat. Albertin. *de agnosc. quæst.* 12. *num.* 78. *&* 15.

CAPVT XV.

De hæreticis internis, & externis.

1 HÆreticus internus est ille, *qui hæresim, cui interne assentitur, exterius non manifestat.* Externus hereticus, *qui hæresim quam mente tenet, verbo, vel facto ostendit.*

2 Hæreticus purè mentalis, seu qui hæresim quam mente tenet, externè non manifestat, neque excommunicatur in Iure, neque iudicio Inquisitorum subiicitur Idem de apostata esto iudicium. Dixi *in relectione de cens. Bullæ Cœn. cap.* 2. *disp.* 4. Sanch. *lib.* 2. *moral. c.* 8 Simanch. *cathol. tit.* 41. *num.* 3. *&* 4. Suar. *de cens. tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2.

3 Hæreticus purè externus, nimirum ille, qui verbo, vel facto hæresim ostendit, cui tamen internè non adhæret, licèt excommunicationem contra hæreticos latam non incurrat, ab Inquisitoribus punitur. Dixi *d. cap.* 2. *disp.* 5. Sanch. *citato loco c.* 7. Simanch. *d. tit.* 42. *nu.* 9. Azor. *tom.* 1. *instituit. moral. lib.* 8. *c.* 10. *q.* 4.

4 Qui

4 Qui signum externum insufficiens ad internam hæresim ostendendam exhibet, nisi ex circunstantiis hæresis ipsa interna manifestetur, non excommunicatur: pro qualitate tamen signi puniendus est. Dixi *d.cap.2.disp.6.* Sanch. *dict.cap.8.num.7.* Azor. *tom.1.Summ.lib.2.ca.8.quæst.12.* Turrian. *2. 2.quæst.11. art.3.dubio 2.*

5 Proferens externè hæresim, quam mente non tenet, licèt alteri diuersæ adhæreat, non excommunicatur. Dixi *d.disp.6.*

6 Qui hæresim, quam mente tenet, per iocum de se narrat, est verè hæreticus externus: secùs verò, si eam referat, à qua discessit. Dixi *d.c.2.disp.7.* Bañ. *2. 2.quæst.11.art.4.concl.3.in solut. ad 3.*

7 Qui hæresim, quam mente tenet, verbo, vel signo sufficienti externè declarat, quantumcumque occultè, excommunicationem incurrit, nisi hæresim coram Inquisitoribus, vel in confessione Sacramentali, aut ad consilium, vel auxilium ad eam relinquendam, petendum proferat. Simanch. *d. tit. 42. num. 9.* Azor. *d.cap.10.quæst.5.* Dixi *d.2.disp.7. num.1.* Farinat. *de hæresi quæst.192.§. 1.num.4.*

8 Qui legendo, narrando, disputando, aut alienos libros aut tabellas transcribendo, hæresim suam quam anteà tenebat, ore pronunciat, non quidem voluntate illam docendi, aut declarandi, non incurrit censuram contra hæreticos latam. Cordub. *in qu.lib. 4.quæst.13.* Azor. *d.cap.20.quæst.7.*

9 Si quis credens Christum non esse hominem, dicat eum non esse risibilem, sufficienter hæresim externè profert, estque verus hæreticus externus. Sanch. *d cap.8.*

10 Qui

10 Qui ex interna hæresi in blasfemias non hæreticales prorumpit, hæreticus externus non est. Sanch. *d. cap. 8.*

11 Qui hæresim internam manifestat factis, ex quibus iure optimo hæresis præsumptio oritur, hæreticus est externus: quo ad forum animæ intelligo. Sanch. *citato loco.*

12 Idem est iudicium de eo, qui ea opera omittit quæ ex natura sua, vel ratione temporum & hæresum tunc vigentium, hæresis suspicionem inducunt. Sanch. *vbi suprà.*

13 Negans Fidem exterius, non quia hæreticus est, sed quia hæreticis fauere intendit, quatenus hæretici sunt, fautor est hæreticorum, fautorum excommunicationem incurrit, & vt fautor puniri debet. Sanch. d. *lib. 2. cap. 7.*

14 Hæretici purè externi, qui & manifesti dicuntur, si conuincantur, puniendi sunt vt hæretici, nisi ostendant se hæreticum animum non habuisse; aut dictum, vel factum, quo hæresis interna manifestari censetur, formalem hæresim non ostendat, *de his tamen inferius.*

CAPVT XVI.

De hæreticis affirmatiuis & negatiuis.

1 HÆreticus affirmatiuus est ille, *qui verbo, vel facto se esse hæreticum ostendit, nec de eo interrogatus negat* Eymer. 2. *part. Direct. quæst.* 34. *vbi* Peñ. *com.* 59. Farin. *de hæres. quæst.* 178. §. 1. *num.* 19.

2 Fa-

2 Factum hæresim ostendens illud est, in quo hæresis continetur, & exprimitur, aut quòd attentis circunstantiis, violentam suspicionem inducit. Peñ. *citato loco vers.* Si verò sponte, *& seqq.*

3 Hæreticus negatiuus dicitur, *qui dè hæresi conuictus, firmiter in negatiua persistit, & constanter fidem Catholicam Romanam confitetur.* Eymer. 3 *p. rubr. de* 12. *modo terminandi processum. vbi etiam* Peñ. *com.* 48. *num.* 202. Farin. *quæst.* 196. *num.* 16.

4 Hæreticus etiam negatiuus est, *qui non plenè confitetur hæresim*, qui & diminutus dicitur. Quòd si diminutio probetur, contra illum procedunt Inquisitores, iuxta probationis qualitatem. Peñ. *com.* 59. *vers.* Ex his possumus.

5 Diminutus circa aliquod factum, etiam plenè probatum non censetur, vt tota ei diminuti pœna infligatur, qui talis facti obliuiscì præsumitur. Quando autem obliuio præsumenda sit, iudicis arbitrio relinquitur, personarum ac causarum circunstantiis inspectis. Peñ. *d. com.* 59.

6 Obliuio non præsumitur in arduis, & horrendis criminibus. Item in factis quæ comitantur delinquentem: vt si quis patiatur se circumcidi, item si deponat circa idem factum de extraneis, non verò de consanguineis & propinquis. Sicut etiam non præsumitur in factis, & delictis solitis, & consuetis. Peñ. *ibidem.*

7 Præsumi potest obliuio in factis antiquis, & minimis, in numero etiam eorum criminum, quæ delinquens habet in consuetudine: item si quis deponat de consanguineis, non verò de aliquo, vel aliquibus extraneis. Peñ. *ibidem.*

8 Qui

8 Qui dictum, vel factum hæreticale confitetur, negans hæreticalem intentionem, aliquando hæreticus negatiuus, aliquando verò suspectus de fide iudicatur. *Vide quæ diximus supra cap.* 13.

9 Quando negans intentionem non plenè conuincitur, nisi ex confessione propria, etiam si contra se habeat aliquos testes, non iudicatur hæreticus, sed suspectus, magis vel minus, iuxta delicti & probationis qualitatem: & in hoc casu de intentione examinandus est, etiam per torturam. Farin. *ibid. à num.* 55. *vsque ad* 61. Peñ. *d. com.* 59.

10 Negans intentionem in prædictis factis vel dictis, si pro se habeat sufficientem aut probabilem excusationem, non iudicatur hæreticus, poterit tamen esse magis vel minus suspectus, iuxta excusationis qualitatem. Farin. *cit. loc.*

11 Conuictus de dicto vel facto non hæreticali, aut quod non inducit violentam suspicionem, iudicatur solummodo suspectus de fide. Peñ. *d. com.* 59.

12 Præsumitur pro reo in præcedentibus casibus, quando in loquendo vel operando constat interuenisse affectionem aliquam, vt cupiditatem, iram, odium, amorem, iocum, metum, & similia. Facit etiam qualitas personæ, si sit simplex an docta, secularis an Ecclesiastica, fœmina an vir, iuuenis an ætate prouecta. Peñ. 1. *part. Direct. ad quæst.* 9. *comm.* 24. & 2. *part. ad quæst.* 34. *com.* 59. Farin. *d.* §. 4. *Vide suprà cap.* 13. *num.* 6. & *sequentibus.*

CAPVT XVII.

De eo, qui hæreticum se ostendit verbis vel factis, per vim tamen & coactionem.

1 QVi per vim, & coactionem, verbis, vel factis fidem abnegat, si eam corde teneat, solummodo est hæreticus externus, quamuis mortaliter peccet contra fidem. *Supra cap.* 15. Albertin. *de agnosc. quæst.* 30. *num.* 6. 8. *& sequentibus.* Peñ. *in direct. part.* 1. *quæst.* 9. *comment.* 24. Farinat. *de hæresi quæst.* 183. §. 3. *num.* 23. *& 31.*

2 Qui vi externæ coactionis, non solùm externè, sed etiam internè separatur à fide, hæreticus est, quamuis cessante coactione, ad illam redeat: eò quòd actus internus non cogitur. Et hic reconciliari debet.

3 Negans fidem externè, vi & coactione non absoluta interueniente, licèt hæreticus non sit, est tamen de hæresi suspectus, magis vel minus secundum personæ & coactionis qualitatem. Peñ. *citato loco.* Azor. *in Sum. p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst* 9. *in fine.* Farin. *d.* §. 3. *num.* 29.

4 Per vim, & coactionem leuem qui negant fidē, si sint viri docti, Episcopi, Ecclesiastici, nobiles, & similes personæ graues, vehementem incurrunt hæresis suspicionem, quam abiurare debent. Peñ. *dict. comment.* 24. Farinat. *d.* §. 3. *num.* 26.

5 Mulieres, pueri, rustici, idiotæ, & similes personæ

sonæ negantes fidem per leuem vim & coactionem, leuem tantùm hæresis suspicionem incurrunt, regulariter loquendo, & illam coguntur abiurare. Peñ. & Farinat. *proximè citatis locis.*

6 Negantes fidem per vim, & coactionem, si ipsis cessantibus non statim redeant, cessentque ab externis actibus hæreticalibus, efficiuntur de hæresi vehementer suspecti. Si verò statim reuertantur, minorem suspicionem incurrunt. Simanch. *cathol. instit. tit.* 17. *num.* 37. Peñ. *d. com.* 24. Farin. *d.* §. 3. *num* 28.

7 Secundùm maiorem, vel minorem culpam, maior vel minor pœna prædictis imponenda est: iuxta qualitatem personarum, metus, vis, & coactionis. Simanch. *cit. loco num.* 30. Peñ. *d. com.* 24. Farin. *d.* §. 3. *num.* 40.

8 Qui ex vi, & coactione leui fidem negat, vel contrarium illi errorem profitetur, aut qui cessante coactione & vi, non statim redit ad fidem, torqueri debet circa intentionem, quia inde resultat graue indicium.

CAPVT XVIII.

De negante, vel non confitente, aut dissimulante fidem per metum.

1 DE negantibus fidem per metum; idem est iudicium ferendum, sicut de illis, qui eam per vim & coactionem negãt, & sicut illi puniendi sunt: metus enim cadens in virum constantem, ab hæresi

externa excusat, & à pœna illius; alij verò metus minores à suspicione hæresis non liberant.

2 Interrogatus de fide authoritate publica ab hæreticis vel infidelibus, peccat mortaliter si tacet, redditurque de hæresi vel infidelitate suspectus. Secus verò si priuata authoritate interrogetur. Bañ. 2.2. *qu. 3. art. 2. dub. 1. concl. 3.* Petr. de Ledesm. *Sum. tom. 2. tra. 1. cap. 4. concl. 6.*

3 Interrogatus an sit Christianus vel Catholicus, si nomen Christiani aut Catholici apud interrogantem sit nomen nationis vel gentis, non verò religionis, contra confessionem fidei non facit, si negat. Bañ. *d. dub.* 1. *concl.* 1. Ledesm. *d. c.* 4. *concl.* 7. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 27. *quæst.* 1. *vers.* Quæres.

4 Interrogatus vtrùm sit Sacerdos, Clericus, vel Religiosus, aut vtrùm audierit rem diuinam, non facit contra confessionem fidei, negando. Azor *loco cit. quæst.* 2.

5 Qui ab esu carnium ab hæretico oblatarum in die prohibito abstinet, simulans aliam causam à religione diuersam, non facit contra fidei confessionem, nec etiam si eas comedat, ne cognoscatur ab hæreticis, & sic vitæ periculum declinet. Azor, *quæst.* 3.

6 Christianus transiens per terras infidelium, vtens habitu communi nationis, ad occultandam fidem, & vitandum periculum, non aduersatur confessioni fidei. Petr. Ledesm. *dict. cap.* 4. *conclus.* 8. Bañ. *dict. art.* 2. *dubio* 2. *conclusione* 1.

7 Non licet Christiano vti infidelium aut hæreticorum vestibus vel signis, quæ ab ipsis ordinantur ad celebrationem suorum rituum; vt sunt inter fideles

fideles sacerdotales vestes. Ledesm. *d. cap. 4. concl. 9.*

8 Licitum est Christianis, secundùm probabilem sententiam, transeuntibus per terras infidelium aut hæreticorum, vti veste aut signo, quod ex consuetudine, aut lege ciuili, aut iussu principis est distincti uum sectæ & religionis, secluso tamen scandalo, & instante periculo. Bañes *dict. art. 2. dubio 2. concluſ. 3.* Petrus Ledesm. *dubio vnico post nonam conclusionem.* Azor. *dict. quæst. 4.*

9 Si princeps iubeat suis ciuibus vti aliquo signo, vel veste, aut hæreticorum templum ingredi, & concionibus eorum interesse, vt tali religionis symbolo hæretici à Catholicis separentur, non licet Catholicis illud facere: si verò id præcipiat, vt omnes mandato suo obediant, illicitum non erit, præsertim si scandalum non interueniat. Azor. *quæst. 5.*

10 Licitum est Christianis bellantibus cum hereticis, vel infidelibus, suis vexillis affigere certa quædam signa, quibus hostes vtuntur, vt sic vel interitum effugiant, vel eos incautos vincant, dummodo tale signum non sit religionis & sectæ symbolum, idoli scilicet, quod colunt. Azor *quæst. 6.*

11 Non facit contra confessionem fidei captiuus Christianus, qui ingrediens templum idolorum cum domino suo, genuflectit cum illo, eumque in genuflexione sustentat, obsequium ei præstando, non idolis. Azor *quæst. 7.* Sanch. *decalogi lib. 1. cap. 7. num. 11.*

CAPVT XIX.

De blasphemia.

1 BLasphemia est peccatum, *quo aliquid de excellentia diuina detrahitur*, seu est *locutio contra Deum per modum contumeliæ*. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1 Petrus de Ledesm *in Sum. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 9. *concl.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 28. *quæst.* 2. Albert. *de agnosc. quæst.* 27. *num.* 1. Valentia 2. 2. *quæst.* 13. *punctio* 1. Sanch. *in opere moral. tom.* 1. *cap* 32. *num.* .

2 Tunc diuinæ excellentiæ derogatur, quando negatur aliquid de Deo, quod ei conuenit, vel asseritur de eo, quod ei non conuenit. S. Thom. *d. art.* 1.

3 Blasphemia propriè dicta non in sentiendo aliquid contra Deum, sed in dicendo consistit. Caietan. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *vers.* Ad euidentiam horum. Castro *lib.* 1. *de iust. hær. punit. cap.* 12. Sanch. *d. cap.* 32. *num.* 3.

4 Blasphemia propriè non consistit in factis, vt in deturpatione vel spurcatione imaginum, sed in solis verbis mente, ore, vel scripto prolatis; quia opponitur laudi diuinæ, quæ solis verbis exhibetur, licèt honor factis aut signis exhibeatur. Suar. *tom.* 2. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. & 5. Sanch. *d. cap.* 32. *num* 5. & 7.

5 Deturpatio, conculcatio, aut vulneratio imaginum, quam multi blasphemiam facti vocant, ad blasphemiam reduci potest. Castro *dict. cap.* 12. Menoch. *de arburar. lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 376.

6 Duplex est blasphemia, interna scilicet, quando

do aliquis mente Deo tribuit quod ei non conuenit; vel remouet quod conuenit; & externa, cum hoc ipsum verbis vel scripto profertur. S. Thom. *d. art. 1. vbi expositores.* Sanch. *dict. cap. 32. num. 3.*

7 Eatenus blasphemia confessioni fidei opponitur, vel quatenus de ratione blasphemiæ est dicere falsum de Deo, & ad infidelitatem spectat non solùm sentire falsum de Deo, sed etiam falsum de eo dicere, vel quatenus confessio fidei accipitur, prout est quædam laus diuina, non verò vt est ipsa fidei assertio. Caiet. 2. 2. *quæst. 13. art. 3.* Bañes, *d. quæst. 13. art. 1. notab. 3.* Pet. de Ledesm. *in Summ. tom. 2. tract. 1. cap. 9. concl. 3.* Sanch. *d. cap. 32. num. 7.*

8 Blasphemia quatenus affirmat, aut negat illud quod fides docet, est similiter contraria confessioni fidei, quatenus verò tollit reuerentiam Deo debitam, aduersatur religioni. S. Thom. *d. art. 1. vbi* Bañ. Ledesm. *d. cap 9. concl 1.* Azor. *d. cap. 28. quæst. 1.*

9 Contumelia in Sanctos est vera blasphemia, quatenus siue formaliter siue virtualiter redundat in Deum, qui in ipsis lucet. S. Thom. *d. art. 1. ad 2. vbi* Caiet Suar. *tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 5. num. 6.* Sanch. *d. cap. 32. num. 27.*

10 Est etiam manifesta blasphemia, tribuere creaturis illud quod est proprium Dei; quia eò ipso attribuitur aliquid Deo, quod ipsi non conuenit: eò quod omnis diuina perfectio est ipse Deus; vnde tribuens creaturæ diuinam attributum, dicit creaturam esse idem cum Deo. S. Thom. *d. art. 1. ad 3.* Azor. *d. cap. 28. quæst. 1.* Sanch. *d. cap. 32. num. 34.*

11 Blasphemia etiam est in Deum & Sanctos contumeliosa verba iactare, vel dicere de illis por

modum contumeliæ illud quod verum est, vt nominare partes verendas Christi Domini, & Sanctorum. Ledesm. *d. cap. 9. concl.* 1. Azor. *d. cap.* 28. *quæst.* 3.

12 Blasphemia etiam est, sacræ Scripturæ verba ad prophanos vsus applicare, vt ad res fabulosas falsas, paschinos, adulationes, detractiones, sortes, ac libellos famosos. Petr. Ledesm. *vers.* Lo quarto. *post.* 5. *concl.*

13 Blasphemia duplex est, hæreticalis vna, non hæreticalis alia. Ledesm. *concl.* 6. Azor *quæst.* 5. Eymer. *in Direct. Inquis. p.* 2. *q.* 41. *vbi* Peñ. *com.* 66.

14 Blasphemia hæreticalis est, *quæ continet aut sapit hæresim*, illa nimirum, quæ continet errorem contra fidem. Non hæreticalis verò, *quæ hæresim non continet nec sapit*, videlicet quæ secundum se contra fidem nihil affirmat, licet ex modo dicendi, & in actu exercito aliquid contra fidem significet. Doctores *citati proximè citatis lodis.* Albertin. *de agnos. quæst.* 6. *num.* 25. Eymeric. 2. *p. Direct. quæst.* 41. *num.* 1. *&* 2. *vbi* Peñ. *com.* 66. Bañ. 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. Sanch. *d. c.* 32. *num.* 36.

15 Tunc datur blasphemia hæreticalis, quando per verbum indicatiui modi asseritur aliquid fidei contrarium; quando autem per verbum optatiui, vel imperatiui asseritur, hæreticalis non est; quia per hos modos cùm indicatiui non sint, nil falsum dicitur de Deo, nisi in tali locutione aliquid affirmatiuum vel negatiuum includatur contra Deum. Vt si quis dicat: O Deum iniustum! Suar. *tom.* 1. *de relig. tract.* 3. *lib.* 1. *c.* 5. *num.* 7. *&* 8. Sanch. *d. c.* 32. *num.* 36.

16 Blasphemiæ hæreticales ad iudicium Inquisitorum spectant priuatiuè; aliæ verò ad iudicem ordinarium. Eymer. Peñ. *&* Azor *citatis locis.* Albertin.

de

*de agnosc.quæst.22.num.63.*Simanch. *cathol.tit.8.num.6.*Sanch.*d.c.32.num.37.*

17 Licet blasphemus non sit hæreticus, vel infidelis, si tamen mente teneat quod ore profert contra fidem, hæreticus est, & proceditur contra illum, vt contra hæreticum. Si autem fidei contrarium non credat, solummodo erit de fide suspectus. Eymer. *cit. loc.*Castro *d.c.12.*Sanch.*d.c. 32. num.3.*

18 Blasphemi, qui inueniuntur frequenter, & quasi per consuetudinem in ludo, vel extra ludum ad leuem turbationis motum in hæreticales blasphemias prorupisse, abiurare debent vehementem hæresis suspicionem, attenta vita & conditione personæ, aliàs leuem tantum suspicionem abiurant. Eymer. *citato loco.* Albertin. *de agnosc. quæst. 27. num. 6. & 18.*

19 Vt quis dicatur habere in' consuetudine blasphemare; requiruntur plures reiterationes quàm tres. Albertin. *de agnosc.quæst.6.num.20.*

20 Pœnæ, quæ ab Inquisitoribus regulariter blasphemis hæreticalibus imponuntur, hæ sunt. Si blasphemia sit atrox, & blasphemus sit plebeius, infami mitra conspicuus, alligata lingua, & sine pallio in publicum ducitur spectaculum, flagellis cæditur, & in exilium mittitur. Quod si nobilis sit, & honestior, sine mitra producitur, in monasterium ad certum tempus traditur, & pecuniarum mulctam soluit. Albertin. *de agnos.q.27.num.20.& seqq. & q. 36. num. 18.vers.*Statuimus,*& seq.*

21 In leuioribus blasphemiis mitius agitur Inquisitorum arbitrio: damnant enim blasphemum, vt aliquo die festo, dum sacra peraguntur, stet capite

nudo, sine pallio, sine calceis, nudis pedibus, chorda succinctus, & cereum ardentem manu gerat: tandem absolutis sacris, legitur sententia, qua illi sæpe indicuntur ieiunia, & pecuniaria pœna mulctatur. Peñ. *d. com. 66. &* Albertin. *proxime citatis locis.*

22 Aliæ pœnæ per leges seculares, & sacros Canones determinantur blasphemis, quarum multæ in vsu non sunt. Peñ. *citato loco.* Azor *quæst. 6.*

23 Blasphemus in foro pœnitentiæ absolutus, adhuc in foro iudiciali puniri potest. Couarr. *lib. 2. variar. cap. 10. num. 3. ad finem.* Azor *quæst. 13.*

24 Blasphemus sufficienter etiam punitus à iudice laico, potest iterum propter suspicionem hæresis ab Inquisitoribus examinari: plenè verò à iudice Ecclesiastico examinatus, iterum examinari ab Inquisitoribus non debet: cum crimen sit mixti fori. Albertin. *de agnosc. quæst. 6. num. 24.*

25 Si blasphemi hæreticalis causa apud Ordinarium in hoc Lusitaniæ regno, & prouinciis illi subiectis tractetur, potest eam ob suspicionem contra fidem Inquisitor Generalis ad se ex causa aduocare. Dixi *in Opusc. de solicitant. tract. 2. cap. 1. concl. 5. num. 17.*

CAPVT XX.

De schismaticis.

1 SChismatis peccatum opponitur vnitati quam facit charitas, & multis modis accipitur.

pitur. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 73. *ad quæst.* 48. Fatin. *de hæresi quæst.* 184. §. 1. *num.* 3.

2 Schisma propriè loquendo, est *disiunctio per quam aliquis separatur ab vnitate Ecclesiæ, in quantum est quoddam corpus constans ex vniuersis fidelibus, & Romano Pontifice, tamquam capite:* & schismaticus est, *qui sic disiungitur.* S. Thom. *&* Peñ. *citatis locis.* Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.* 1. *tom.* 1.

3 Schisma sic diffinitum, dupliciter contingit. Primò, cùm quis à capite Ecclesiæ cæterisque membris separatur, vt quando Romano Pontifici Ecclesiæ capiti subesse, & membris Ecclesiæ communicare renuit. Secundò, cùm à solo capite vel à solis membris seiungitur. Veluti, si spirituales actiones exercet, nõ tamquam pars Ecclesiæ, sed quasi esset quoddam totum seorsum. Caietan. *in Sum. verbo* Schisma. Petrus Ledesm. *Sum. tom.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *concl.* 3. Sanch. *num.* 2. Farinat. *num.* 9. *&* 10.

4 In ea inobedientia consistit schisma, in qua datur rebellio à Papa, vt Pontifex est, & separatio à membris, vt membra sunt Ecclesiæ; non verò ratione personarum aut causarum. Sylvest. *verbo* Schisma. *commentatores* Sancti Thomæ *ad citatum art.* Sanch. *num.* 3.

5 Non est schismaticus, qui cùm sit incola alicuius oppidi iurisdictioni temporali Papæ subiecti, non vult ipsi, vt temporali domino, sed alteri principi subiici. Vgolin. *de cens. Papæ reseruatis* 2. *part. cap.* 1. §. 1. *num.* 4. Azor. *tom.* 1. *Sum. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 4. Sanc. *dict. cap.* 36. *num* 4.

6 Schismatici sunt, qui indirectè à Summo Ponti-

Pontifice separantur; nimirum qui ita se gerunt *in facto*, ac si ei subiecti non essent, vt congregantes generale Concilium, aut ipsum iam dissolutum prosequentes absque Summi Pontificis authoritate. Caiet. *citato loco, & ad quæst. citatam* S. Thomæ Sanch. *d. cap. 36. num. 5.*

7 Schismatici sunt, qui à Concilio generali legitimè congregato, pertinaciter separantur; qui alium Pontificem præter illum, quem indubitatum & verè electum esse constat, instituunt, aut qui schismaticè electum sequuntur. Dixi *in relect. de censur. Bullæ Cœnæ cap. 2. disp. 18.*

8 Qui se ab Episcopo suo separat, propriè schismaticus non est. Vgolin. *d. §. 1. num. 3.* Sanch. *dict. cap. 36. num. 6.* Farin. *d. §. 1. num. 27. citat. loc.*

9 Principes, Reges & Imperatores, qui contra Romanam Ecclesiam veniunt, schismatici dicendi sunt. Decian. *crim. lib. 5. cap. 67. num. 21.* Farin. *num. 13. d. quæst. 184. §. 1.*

10 Schismatici aliquando diuiduntur ab Ecclesia non solùm quoad obedientiam, verùm etiam quoad credentiam: hi hæretici sunt, illi verò suspecti de hæresi. Eymer. *d. q. 48.* Peñ. *ibid.*

11 Licèt omnis hæreticus sit schismaticus, non tamen omnis schismaticus est hæreticus, sed formaliter distinguuntur, secundùm ea quibus directè & per se opponuntur. Nam hæresis opponitur fidei, schisma verò charitati. S. Thom. *d. quæst. 39. art. 1. ad 3.* Sanch. *d. cap. 36. num. 7. & 8.* Azor. *quæst. 1.* Farinat. *num. 5.*

12 Contra schismaticos, si hæretici sint, proceditur, sicut contra hæreticos. Eymer. *& Peñ. citat. loc.*

13 Schis-

13 Schismatici non hæretici, regulariter de hæresi leuiter tantùm sunt suspecti, pro temporis tamen diuturnitate qua in schismate perseuerarunt, vehementem suspicionem incurrere possunt, quam abiurare tenentur. Eymeric. Peñ. & Farin. *num.* 35. & 36. *citatis locis.*

14 Schismatici qui suorum maiorum authoritati credunt, à suspicione hæresis per ignorantiam excusantur. Peñ. *d. comm.* 73.

15 Schismaticis non hæreticis pœnæ multæ in iure determinantur. S. Thom. *d. quæst.* 39. *art.* 3. Peñ. *d. com.* 73. Sanch. *num.* 10. & *seqq.* Azor *quæst.* 5. & *seqq.* Farin. § 2. *d. q.* 184.

16 Schismatici purè mentales non incurrunt schismaticorũ pœnas, illis tamen subiiciuntur schismatici purè externi. Dixi *de cens. Bullæ Cœnæ disp.* 19. *num.* 5. Sanch. *num.* 14. & 15.

17 Schismaticorum fautores, defensores, & receptatores non excommunicantur per se, & directè in Bulla Cœnæ; si tamen in causa schismatis faueant schismatico denuntiato, excommunicationem incurrunt. Dixi *d. disp.* 19. *num.* 6. & 7. Sanch. *num.* 16.

18 Fautores, defensores, & receptatores schismaticorum in causa schismatis, aliquam hæresis suspicionem contra se habent, quia vnitatem Ecclesiæ destruere velle videntur.

19 Schismatici non solum schisma, sed etiam suspicionem hæresis abiurare debent. Peñ. *citato loco.*

CAP.

CAPVT XXI.

De legentibus, ac retinentibus apud se libros prohibitos.

1 IN Ecclesia Catholica est potestas ad prohibendos libros, & eos concremandos, & hoc negare hæreticum est. Suar. *de fide tract. 1. disp. 20. sect. 2. num. 4. & seqq.*

2 Non omnibus permittitur quoscumque libros legere, & apud se retinere; cùm multi sint ab Ecclesia prohibiti. Bulla Cœnæ *excom. 1. vbi in nostra relectione nonnulla diximus, à disp. 13. vsque ad 17. Index librorum prohibit.* Eymer. *2. p. Direct. in c.* Fraternitatis. *de hæret. & cap.* Nouerit. *de sententia excommunic. vbi* Pen. *com. 3. & 17. & à quæst. 23. vsque ad 29. vbi etiam* Pen. Sanch. *lib. 2. moral. cap. 10.* Farin. *de hæresi q. 18c. num. 1.*

3 Libri prohibiti, aut à Catholicis aut ab hæreticis sunt compositi. Libri hæreticorum vel ex professo de hæresi, aut de religione tractant, vel si aliam materiam continent, aliquem aut aliquos intermiscent errores, vel nihil erroris continent. Catholicorum libri prohibentur aliquando propter doctrinam quam continent non sanam, suspectam, & offensiuam, seu scandalosam. Præfatio in Indice librorum. Dixi *citata disp. 13. num. 2. & 3.*

4 Liber hæretici hæresim continens, ille dicitur, qui ex professo hæresim tractat, seu cuius principale argumentum est hæresis.

5 Libri

5 Libri de religione tractantes illi sunt, qui de iis agunt, quæ ad fidei expositionem spectant, & in quibus diuina Scriptura, aut aliqua pars illius explicatur: aut qui tractant de Theologia scholastica, vel de aliqua illius parte, qui etiam de cultu Deo debito, de religione Christiana, de statu Religionis, ac de Ecclesiasticis agunt. Suarez *de censuris disputatione* 21. *sect.* 2. *num.* 10. Sanch. *num.* 22.

6 Contra legentes, retinentes, defendentes, &c. libros prohibitos, multæ dantur censuræ ipso facto incurrendæ. In Bulla Cœnæ, contra legentes libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione tractantes. In Indice prohibitorio, aduersus legentes cuiusuis authoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita. In Iure, & etiam in constitutionibus & decretis Apostolicis. Bullæ Cœnæ *excommunicatione* 1. Decretum Pij IIII. *in principio Indicis prohibitorij*. & Regul. 10. *ver.* Quòd si quis Eymer. 2. *part. Direct. & sequentibus.* Farinat. *num.* 11. *&* 12.

7 Legentes libros alia de causa prohibitos mortaliter peccant, & ab Ordinario seuere puniuntur. *Dictum decretum* Pij IIII. *& dicta Reg.* 10. *vers.* Qui verò libros.

8 Librorum nomine non solùm intelliguntur impressi, sed etiam manu scripti, & eorum partes. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 28. *Et* Dixi *disp. illa* 13. *num.* 5. Farin. *num.* 30 Suar. *de fide tractat.* 1. *disput.* 20. *sect.* 2. *num.* 10.

9 Nomine libri non intelligitur epistola, quamuis fiat per modum tractatus, illam tamen retinens, si hæresim contineat, non carebit suspicione hæresis.

sis. Sanch. *num.* 29. *dict. cap.* 10. Dixi *citato loco.* Farinat. *num.* 31. *dict. quæst.* 180.

10 Qui ex libris hæreticorum in tomos diuisis illum legit, qui hæresim ex professo non continet, nec de religione tractat, non censetur legere librum in Bulla Cœnæ prohibitum, quamuis alij tomi hæretici sint. Si tamen ex tomo hæresim continente, aut de religione tractante diuiso in plures libros illum legerit, qui hæresim non continet, nec de religione tractat, esto ab aliis libris separatim conglutinetur, dicendus est legere librum in Bulla prohibitum. Vgolin. *in Bulla Cœnæ 2. part. cap.* 1. Sanch. *n.* 36. Suar. *num.* 9. *d. sect.* 2.

11 Satis est vt quis dicatur legere librum hæreticum, quòd illum oculis percurrat cum aduertentia ad ea, quæ in eo scripta sunt, quamuis ore nihil exprimat. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 41. Dixi *etiam num.* 5. Farin. *num.* 5.

12 Recitans memoriter librum prohibitum, quamuis mala intentione id faciat, non censetur legere ad effectum incurrendi censuram contra legentes latam. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 47. & Dixi *d. num.* 5.

13 Nec similiter qui præcipit, suadet, aut quouis alio modo est causa, vt aliquis legat librum prohibitum, aut qui illum audit legentem, siue auditione sua sit causa, vt aliquis legat, siue in lectione continuet, siue non. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 47. & 48. Dixi *d. cap.* 2. *disp.* 14. *num.* 1. & 2.

14 Legentes paucas lineas libri prohibiti non incurrunt censuram ob paruitatem materiæ: proemium tamen, aut index libri, paruitas materiæ non dicitur. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 30. & 31. Farinat. *dict. quæst.*

*quæst.*180.*num.*13.Dixi *d.disp.*13.*num.* 8. Suar.*d.disp.* 20.*sect.*2.*num.* 20.

15 Famulus, qui metu graui ab hero suo compellitur legere librum prohibitum, non incurrit censuram; ea tamen ligatur, si metus talis non sit. Sanch.*num.*49.*d.c.*10.

16 Legens librum prohibitum in ea tamen lingua scriptum, quam penitus ignorat, non dicitur legere. Sanch.*d.cap.*10.*num.* 51. Suar.*num.*18.*d.sect.*2.

17 Censuram Bullæ incurrit, qui legit librum in ea prohibitum, quamuis non dolo malo id faciat, sed ex sola curiositate, aut ad confutandos hæreticorum errores. Tolet.*in Sum.in explicat. Bullæ Cœnæ excommunicatione* 1.*num.* 24. Sanch. *dict. cap.*10.*num.*40. Farin. *num.*39. *&* 47.

18 Libri hæreticorum editi ante lapsum, dum erant fideles, aut post reconciliationem Ecclesiæ factam, si approbati fuerunt, non dicuntur hæreticorum libri. Vgolin.*de cens. p.* 2. *in glossa.* Vel de religione tractantes.§.1.*num.*1. Farinat.*num.* 49. *d.quæst.*180.

19 Libri, quos Catenas vocant, quibus elucidantur loca sacræ Scripturæ, quamuis ab hæreticis sint editi, & aliquos errores intermisceant, non censentur hæreticorum in Bulla prohibiti. Dixi *d. disp.* 13.*num.*10.

20 Libri etiam infidelium, esto aliquos contineant errores, non sunt in Bulla prohibiti; nec similiter libri Græcorum, Armenorum, & similium, eorum ritus continentes; nec libri Catholicorum cum scholiis, & annotationibus hæreticorum, alibi tamen prohibentur. Quatenus verò Græci, & Armeni ritè baptizati sunt hæretici, prohibentur eorum libri,

non vt de religione tractant, sed vt libri hæreticorum. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 25. & 27. Farin. *num.* 10. Suar. *num.* 11. 12. & 13. *dict. disp.* 20. *sect.* 2.

21 Libri Geomantiæ, Hydromantiæ, Æromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, non prohibentur in Bulla, si author eorum hæreticus non sit, prohibentur tamen in Indice prohibitorio. Sanchez *d. cap.* 10. *num.* 32. Farinat. *num.* 13. & 28. Index *regul.* 9. Dixi *disp.* 13. *num.* 5.

22 Vt censura Bullæ Cœnæ incurratur: requiritur quòd quis scienter legat. Vnde non excommunicatur qui ignoranter legit prædictos libros, licèt ignorantia crassa aut supina sit, nisi adsit ingens temeritas, vt est vehemens suspicio malitiæ libri. Sanc. *dict. cap.* 10. *num.* 38. Farinat. *num.* 45. Suar. *num.* 17. *dict. disp.* 20. *sect.* 2.

23 Legens libros in dicta Bulla prohibitos, ignorans esse hæreticos, aut de religione tractare, quamuis sciat authores eorum hæreticos esse, siue è contrario, si sciat libros hæreticos esse, vel de religione tractare, ignorat tamen authores esse hæreticos, non excommunicatur. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 39. Farinat. *num.* 44. & 45.

24 Legens verò libros propter hæresim, aut suspicionem illius in Indice prohibitos, non excusatur à censura, si interueniat crassa vel affectata ignorantia. Quia decretum Pauli IIII. scientiam non requirit.

25 Hæreticus legens librum à se editum hæresim continentem, vel de religione tractantem, excommunicatur, si viuit in terris vbi Bulla Cœnæ vsu recepta

recepta est. Sicut etiam excõmunicantur Catholici in iisdem terris commorantes, esto lintpermixti cum hæreticis, & ad ipsos confutandos legant prædictos libros. Sanch. *num.* 37. & 42. *dict. cap.* 10. Suar. *num.* 27. *dict. sect.* 2.

26 Quod de legentibus libros in Bulla Cœnæ prohibitos dictum est, intelligitur etiam de scienter ipsos retinentibus, imprimentibus, seu quomodolibet defendentibus. Bulla Cœnæ *excommunicatione.* 1.

27 Non excusatur ab hac censura etiam hæreticus retinens librum hæreticum à se editum. Suar. *num.* 26. *d. sect.* 2.

28 Retinens prædictos libros siue in propria, siue in aliena domo, siue librum intelligat, siue non, siue totum retineat, siue partem (dummodo folium vnum tantum non sit) siue etiam retineat vt legat, siue solùm causâ curiositatis, ornatus, vel permutandi eos cum aliis libris, seu vt ea quæ vendit, librorum foliis obuoluat, excommunicationem Bullæ incurrit. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 52. & *seqq.* Farin. *num.* 2. Dixi *d. cap.* 2. *disp.* 16. Suar. *num.* 21. *d. sect.* 2.

29 Retinens librum ad breue tempus, vt vnius, aut duorum dierum spatium, dummodo non retineatur voluntate absoluta retinendi, licèt posteà mutetur, vel quamdiu non datur commoditas deferendi illum ad Inquisitores, non excommunicatur. Dixi *dict. disput.* 16. *num.* 2. Suar. *num.* 22. *dict sect.* 2.

30 Qui librum hæreticum aut falsam doctrinam continentem Inquisitoribus non tradit, sed propria authoritate comburit, in excommunicationem incidit, suspectus tamen de hæresi non est. Quando autem liber traditur Inquisitoribus, interrogare de-

bent deferentem, vnde illum habuerit. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 56. Dixi *disp.* 15. *num.* 4. *citat. loc.* Farinat. *num.* 40. Peñ. 2. *part. com.* 3.

31 Qui taliter ad impressionem librorum prohibitorum scienter concurrunt, vt imprimentes dici possint, excommunicantur tamquam imprimentes. Si verò imprimentes dici non possint, excommunicantur vt fautores. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 57. Farinat. *num.* 19. Dixi *disp.* 17. *citatis locis.* Suar. *num.* 24. *d. sect.* 2.

32 Author libri, qui illum per se imprimi facit, excommunicatur tamquam imprimens librum; secùs verò esset, si tertius alius expensas faceret, & imprimi mandaret. Suar. *dict. num.* 24.

33 Defendentes doctrinaliter, publicè, vel occultè libros prædictos, excommunicantur, nisi illud particulare defendant, quod in illis catholicum est. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 58. Farin. *num.* 12. Dixi *disp.* 17. *num.* 4.

34 Librum defendere censetur, qui dicit non esse combustione & prohibitione dignum. Defendere etiam est laudare librum, vt ab hæretico compositum, aut doctrinam eius hæreticam, secùs vero, si stylus vel eloquentia laudetur. Suar. *d. num.* 25. *d. sect.* 2. *de fide.*

35 Defendentes corporaliter, id est, opere & facto prædictos libros, ne ad manus Inquisitorum deueniant, excommunicantur. Suarez *d. num.* 25.

36 Legentes, retinentes, imprimentes, ac quomodolibet defendentes libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione tractantes, vel alios quoscumque propter hæresim, aut suspicionem illius prohibitos, de fide suspecti censentur, & vt suspecti

pecti ab Inquisitoribus puniri possunt: non sunt tamen hæretici. Farinac. *num.* 8. 9. 20. 24. 33. & 35. *d. quæst.* 180.

37 Suspicio contra fidem in prædictis erit vehemens vel leuis, attenta personarum & librorum qualitate, & aliis circunstantiis occurrentibus. Simanc. *cathol. instit. tit.* 38. *num.* 24. Farinac. *d. num.* 9.

38 Retinens librum hæreticum à se editum hæreticus reputatur, & vt hæreticus punitur, nisi alleget causam ipsum à crimine hæresis excusantem. Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 3. *ad cap.* Fraternitatis. Farinac. *num.* 16. & 17. Dixi *disp.* 16. *num.* 3.

39 Retinens librum hæreticum sine nomine authoris, reputatur author; nisi ipsum authorem ostendat, vel vnde librum accepit. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 46. *num.* 26. Farin. *num.* 21.

40 Qui librum hæreticum ab alio compositum retinet, fautor dici potest hæreticorum, & est suspectus de fide, magis vel minus pro ratione circunstantiarum. Peñ. *d. com.* 3 Farinac. *num.* 7. Dixi *disp.* 16. *num.* 4.

41 Qui libros hæreticorum, aut propter hæresim, aut falsam, & suspectam doctrinam prohibitos ad terras fidelium deferunt, fautores hæreticorum sunt, excommunicationem incurrunt, eorum bona confiscantur: & si viles sint personæ, verberibus afficiuntur: si verò honestiores, exilio mulctantur pro Inquisitorum arbitrio. Peñ. 2. *p. Direct. com.* 17. *ad cap.* Nouerit. *de sentent. excommun. vers.* Idem iudico. Azor *in Sum. p.* 1. *lib.* 8. *c.* 17. *quæst. vlt.* Farin. *num.* 15.

42 Si propter lectionem, retentionem, defensionem, ac impressionem librorum hæreticorum,

additis circunstantiis, oriatur vehemens præsumptio hæresis, adhiberi potest tortura ad indagandam veritatem. *Vide* Decian. *d. num* 26. Farin. *num.* 21. & 48.

43 Scribentes libros hæreticos, vt imprimantur aut diuulgentur, vendentes ad talem scripturam vel impressionem chartas, & atramentum, scienter tamen, fautores sunt hæreticorum, & arbitraria pœna plectuntur. Farin. *num.* 18. Dixi *disp.* 17. *num.* 2.

44 Falsificantes, seu corrumpentes libros Catholicorum, illisque hæretica dogmata immiscentes excommunicantur, suntque suspecti de fide. Peñ. *d. com.* 17. Farinat. *num.* 14.

45 Legentes, & retinentes libros non propter hæresim, aut suspicionem illius prohibitos, sed alia de causa, quamuis de fide suspecti non sint, seuerè tamen puniendi sunt Episcoporum arbitrio. Pius IV. *in decreto in principio indicis posito.*

46 Legentes prædictos libros, si ab Inquisitoribus sunt prohibiti, ab ipsis puniri possunt, vt fractores suorum decretorum.

47 Damnato authore alicuius libri, censetur etiam & ipse liber damnatus, & prohibitus, nisi liber fuerit postea expresse ab Ecclesia approbatus. Peñ. *d. com.* 3. Farin. *num.* 22. & 23. & 26.

48 Excommunicatio posita in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reseruatur; quæ verò habetur in Indice expurgatorio, reseruata non est. Farinat. *num.* 6. *dicta quæst.* 180.

49 Aliæ pœnæ quæ contra legentes, retinentes, & occultantes libros prohibitos statutæ sunt in Iure, non sunt in praxi Inquisitionis. Peñ. *d. com.* Farin. *num.* 3. & 4.

50 Im-

50 Impressores, qui absque approbatione Superiorum librum aliquem, vel aliam quamcumque scripturam imprimere, seu imprimi facere præsumunt, excommunicantur, impressos libros amittunt vt comburantur, per annum continuum exercitio impressionis priuantur, & pœna aliqua pecuniaria eis imponitur. Azor. *c.* 17. *quæst.* 1. & 2.

51 Legentes, aut retinentes libros, in quibus dæmonum responsa continentur, quæ fiunt in imaginibus, annulis, speculis, phialis, aut rebus quibuscumque, excommunicantur ipso facto, & grauibus pœnis plectuntur. Ioan. XXII. *const.* 13. *apud Laertium tom.* 1. *Bullarum & Apostol. pag.* 166.

52 Iudæi & alij infideles commorantes apud Christianos, qui retinere, habere, legere, edere, typis excudere, describere, vel exemplare, aduehere, donare, commutare, aut aliàs quomodolibet distrahere, vel alienare ausi fuerint libros & codices Thalmudicos, Caballisticos, & alios nefarios, blasphemias, & contumelias in Deum, & Sanctos continentes, puniendi sunt arbitrio Ordinarij, & Inquisitoris pœna amissionis librorum, publicationis omnium bonorum, quæ fisco applicanda sunt, ac etiam aliis grauioribus, & corporis afflictiuis. Clemens VIII. *const.* 20. *apud Lacrtium tom.* 3. *pag.* 25. De libro Thalmud. Peñ. 2. *p. Direct. ad quæst.* 46. *comm.* 71. *vers.* Et hac intentione. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 12. *vers.* Item communis est opinio. Farin. *num.* 10. *d. q.* 180. Peñ. *d. com* 2. Azor *c.* 16. *quæst.* 5.

53 Eisdem pœnis plectendi sunt typographi, bibliopolæ, seu mercatores, & alij quicumque Christi fideles, addita insuper excommunicatione latæ

sententiæ, qui hoc ipsum fecerint. Clemens VIII. Azor & Farin. *ibidem.*

54 Legentes & retinentes libros astrologiæ iudiciariæ, & alios, qui de futuris contingentibus, fortuitisve casibus, & liberis tractant, ab Inquisitoribus & Ordinariis puniuntur. Sixtus V. *const.* 17. *apud Laertium tom.* 2. *Bullar. pag.* 512.

55 Pœnæ, & censuræ in legentes, & retinentes libros prohibitos, eas personas non comprehendunt, quæ legitimam eos legendi habent facultatem, quæ facultas licitè concedi potest. Simanch. *tit.* 38. *num.* 45. Dixi *disp.* 15. *num.* 2. Farin. *num.* 36. Libros prohibitos etiam hæreticos, legere & tenere possunt Illustrissimi Cardinales, Inquisitores Generales in Romana Curia. Pius IV. *const.* 82. *apud Laertium tom* 2. *Bullar. pag.* 112.

56 Inquisitores, & Commissarij super hæretica prauitate, non solùm à Sede Apostolica, sed etiam ab ipsis Inquisitoribus deputati, legere possunt quoscumque libros prohibitos, etiam hæreticos, exceptis libris Caroli Molinæi. Pen. 2. *p. Direct. com.* 3. Azor *ca.* 16. *quæst.* 13. Farin. *num.* 43. Dixi *disp.* 15. *num.* 3. Clem. VIII. *proximè citata const.*

57 Deputati sanctæ Inquisitionis in Regnis Portugalliæ, cùm priuilegiis gaudeant Inquisitorum, votumque habeant in causis decisiuum, & iudices sint in causis hæresis, tàm ad hæreticos puniendos, quàm ad hæreticorum libros comburendos, eosdem libros prohibitos legere possunt, qui ipsis Inquisitoribus legi permittuntur, & hoc maiori ratione possunt, qui supremi Senatus Inquisitionis sunt à Consiliis. *Placuit iuris doctis hæc resolutio.*

58 Pu-

58 Publici librorum Censores Ecclesiastici legere possunt libros prohibitos, qui Inquisitoribus legendi conceduntur. Del-rio *disquis. mag. lib. 5. sect. 17.*

59 Licentiam legendi libros etiam hæreticos dare possunt, in plena congregatione tantum. omnes, vel maior pars Illustrissimorum Cardinalium Generalium Inquisitorum in Curia Romana, exceptis tamen libris Caroli Molinæi, quos solus Summus Pontifex concedit. Pius IV. Clemens VIII. *in citat. decretis.*

60 Inquisitores possunt concedere licentiam legendi libros hæreticorum, qui nihil de fide, & religione ex instituto disserunt, aut qui ab ipsis conscripti sunt dum Catholici erant, aut factos post reconciliationem, examinatos tamen, & approbatos ab ipsis Inquisitoribus, imo tales libri permittuntur in secunda regula Indicis. Peñ. *d. com. 3.* Azor *quæst.* 12. Farin. *num. 27. & 37.*

61 Libros nondum damnatos, aut authorum non damnatorum, etiam hæreticos & suspectos, ab Inquisitoribus committi possunt legendos doctis & probatis Theologis, siue vniuersaliter, vt Consultoribus ex officio, siue particulariter, vt cognitis erroribus prohibeantur. Peñ. *d. com. 3.*

62 Inquisitores non possunt dare licentiam legendi libros hæreticos, aut de religione tractantes, nec etiam Episcopi. Sanch. *num.* 42. Farinat. *num. 37.* Azor *d. quæst.* 12.

63 Possunt tamen concedere licentiam legendi libros à se prohibitos, cùm ipsi in suis prohibitionibus dispensare valeant.

64 Inquisitores Generales Lusitaniæ concedere possunt Inquisitoribus & aliis personis probatæ vitæ

& religionis, idoneis tamen, & in sacra Theologia peritis ac doctis, minimé que suspectis, ad effectum hæreticos impugnandi, & persequendi dumtaxat, licentiam legendi quoscumque libros prohibitos. Ex concessione Pauli IV. *ad serenissimum Henricum Cardinalem die* 20. *Decembris anni Domini* 1560. *Pontificatus sui anno primo.*

65 Episcopi legere non possunt libros hæreticorum hæresim continentes, aut de religione tractantes. Peñ. *d. com.* 3. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 45. Farinat. *num.* 43. Azor *d. c.* 16. *q.* 13.

66 Nec Episcopi prout iudicant in causis fidei cum Inquisitoribus neque qui loco eorum prædictis causis assistunt, legere possunt libros prohibitos; quia non sunt iudices vniuersalium causarum, quæ in Tribunali fidei tractantur, cùm solummodo intersint iudicaturi sibi subditos; & sic nec ad prohibitionem, nec ad condemnationem librorum vocantur, neque gaudent nomine & priuilegio Inquisitorum.

CAPVT XXII.

De hæreticorum credentibus.

1 CRedentes hæreticorum sunt in duplici differentia. Quidam enim manifestè credunt eorum erroribus in particulari, & explicitè; alij verò non ita manifestè & explicitè. Qui etiam duobus modis se habent. Alij namque implicitè credunt erroribus hæreticorum, alij eorum verbis, & operibus, eorum literas hinc inde deferunt, eis seruiunt, alimoniam

niam conferunt, ducatum præstant, visitant, & similia circa illos exercent. Eymer. 2. *p. Direct. qu.* 50. *vbi* Peñ. *com.* 75. Azor *tom.* 1. *Sum. lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 1. Farinat. *de hæresi q.* 182. §. 8. *num.* 104. & 123.

2 Credentes hæreticorum, qui eorum erroribus in particulari & explicitè credunt, hæretici sunt formales, & contra illos, vt contra hæreticos proceditur. Eymer. Peñ. & Farin. *cit. locis.*

3 Qui implicitè credunt erroribus hæreticorum, de quibus hoc loco agimus, ij sunt, qui verbis, aut factis id manifestant. Verbis, vt si dicant se cum Caluinistis sentire, velle se mori cum eorum erroribus, ipsos nihil contra fidem Catholicam docere: factis, vt qui ea exercent, in quibus hæreticorum ritus continentur, qui eosdem ritus officiosè colunt, obseruant, & venerantur. Eymer. Peñ. Azor, & Farinat. *num.* 124. & 125. *citatis locis.*

4 Credentes verbis & operibus, in quibus ritus hæreticorum non continentur, vt qui literas deferunt, &c. non credentes, sed fautores dicuntur. In hoc enim differunt credentes & fautores. Nam credentes sunt, qui opem & auxilium captant ab hæreticis communione rituum vtentes; fautores verò, qui ipsis opem & auxilium præstant. Azor *q.* 1. *d. lib.* 8.

5 Credentes hæreticorum, qui nullo externo signo verborum aut operum id manifestant, licet mortaliter peccent, non iudicantur credentes. Dixi *in relect. de cens. Bulla Cœna cap.* 2. *disp.* 8. *num.* 5.

6 Ex signis externis iudicantur credentes, qui dum in ægritudinis lecto decumbunt, petunt hæreticos consolatores, vt ab eis per manus impositionem consolationem recipiant, dummodo sint sanæ mentis.

tis. Peñ. *d. com.* 75. Farin. *d.* §. 8. *num.* 110. & 111.

7 Semel audientes hæreticorum conciones, nisi aliæ adsint coniecturæ, non iudicantur credentes: secùs verò, si pluries eorum conciones frequentant. Erunt tamen in vtroque euentu suspecti de fide. Peñ. & Farin *num.* 115. & 120. Dixi *d. disp.* 8. *num.* 8.

8 Qui bis audit hæreticorum conciones in terris hæreticorum, non reputatur credens, præsertim si pluries eas audire potuit, & noluit. In terris autem Catholicorum, qui bis audit & non denuntiat Inquisitoribus, cùm detur occasio, erit credens iudicandus. Et quamuis opportunitas denuntiandi non occurrat, credulitatis suspicione non carebit, nisi ex circunstantiis excusetur. Peñ. *d. com.* 75. Farin. *nu.* 116.

9 Credentes hæreticorum ex ignorantia & simplicitate, maximè quando hæretici quorum erroribus credunt, non pro talibus sunt habiti, non debent iudicari credentes, nisi credant contra articulos fidei, quos explicitè credere tenentur. Albertin. *in rub. de hæret. in 6. quæst.* 13. *num.* 13. & 24. Farin. *d.* §. 8. *num.* 126. & 130. & *quæst.* 179. §. 2. *num.* 15. & 16.

10 Credentes hæreticorum in iis quæ ad fidem non pertinent, non dicuntur hoc loco credentes hæreticorum, quatenus hæretici sunt. Simanch. *cathol. tit.* 15. *num.* 6. Sanch. *de præcept. Decal. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 2. Farin. *d. quæst.* 182. §. 8. *num.* 127.

11 Credentes hæreticum esse virum bonum, sacrarum literarum studiosum, & verum Christianum non reputantur etiam credentes, à suspicione tamen contra fidem non omnino liberantur. Sanch. *d. c.* 10. *num.* 3. Farin. *d.* §. 8. *num.* 128.

12 Credentes hæreticorum, etiam si hæretici non

non sint, excommunicationem incurrunt latam in Bulla Cœnæ, & in decretis Summorum Pontificum. In qua si per annum inforduerint, ipso facto sunt infames, nec ad publica officia admitti possunt, & omni officio & beneficio priuantur. Farinat. *d.* §. 8. *num.* 105. *& sequentibus, & quæst.* 189. § 6. *num.* 78. *& 74.*

13 Hæreticorum credentes persistentes in excommunicatione, beneficiis publicis priuantur, testare non possunt, nec succedere ex testamento, vel ab intestato, à testificando repelluntur, omni actu legitimo priuantur, sepultura carent, nec oratur pro eis, eorum bona ipso iure confiscantur, arbitraria insuper plectuntur pœna, & abiurant. Farinat. *d. quæst.* 182. §. 3. *per totum.*

14 Si filij petentium consolationem ab hæreticis in ægritudine directè probare velint ipsos non fuisse sanæ mentis, in tribus casibus non admittuntur. Primò, quando prædicti erant diffamati de hæresi. Secundò, si erant de hæresi suspecti. Tertiò, si legitimè constet ipsos sanæ mentis fuisse. Probationes tamen indirectæ admittuntur, vt quòd probationes non fuerunt legitimæ. Peñ. *d. comment.* 75. Farinat. *d. quæst.* 182. *num.* 112. *& 114.*

CAPVT XXIII.

De receptatoribus hæreticorum.

REceptator secundùm leges, & Canones ille appellatur, *qui clam excipit, & celat aliquem,*

quem, vt Iudicis manus euadat. Azor. *in Sum. tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 2.* Dixi *in Bulla Cœnæ cap. 2. disp. 9. num. 3.* Sanch. *Decal. lib. 2. cap. 10. num. 10.*

2 Receptator hæreticorum est, *qui scienter hæreticos recipit, & occultat.* Eymeric. *2. part. Direct. quæst. 51. vbi* Peñ. *comment. 76.* Azor. *quæst. citata.* Farin. *de hæresi quæst. 182. §. 9. num. 132.*

3 Qui semel recipit hæreticum, sciens esse hæreticum, excommunicationem & alias pœnas contra receptatores latas incurrit, estque verè & propriè receptator. Eymeric. Peñ. Azor. & Farin. *num. 152.* Sanc. *citatis locis.*

4 Receptator, vt prædictas pœnas in foro conscientiæ incurrat, debet recipere hæreticum, vt hæreticus est formaliter, *Citati omnes, &* Sanchez *d. cap. 10. num. 3. & 4.*

5 Probabile est non manere prædictis pœnis subiectum in eodem foro conscientiæ, qui recipit hæreticum, quando talis receptionis motiuum non est ipsa hæresis: licèt in causa hæresis eum recipiat. Sanch. *num. 5. d. cap. 10.*

6 Probabilius est ac tutius receptatorem hæretici in causa hæresis incurrere prædictas pœnas & censuram, quamuis primaria intentio non sit hæresis. Tolet. *in Sum. excommunicatione 1. Bullæ Cœnæ num. 2. & 23.* Vgolin. *in d. Bulla verbo* Receptatores, *& §. 1. num. 3. verf. 6.* Dixi *in d. disp. 9. num. 4.*

7 Qui receptant parentes, filios, aut coniuges hæreticos, quamuis propinquitas sit principale motiuum talis receptionis, quando in causa hæresis eos receptant, probabilius est quòd neque in foro externo, neque in interno excusantur. Peñ. *2. part. Direct.*

ad

ad quæst. 56 *com.* 81 *vers.* Sed Zanchinus Azor. *quæst.* 4. Dixi *d. cap.* 2. *disp.* 10. *num.* 1. & 3.

8 Receptator prædictorum consanguineorum aut affinium, aut etiam amici inueterati, vel illius cuius amore captus est, mitius punitur, Peñ. Farin. *num.* 146. & 149. Azor. *quæst.* 4. Dixi *dict. dispu.* 10. *num.* 4. *citatis locis.*

9 In dubio an quis receptauerit hæreticum vt hæreticum, an vt consanguineum, præsumendum est receptasse vt consanguineum. Farin. *num.* 143.

10 Receptans hæreticum, non desinit esse verè receptator, quamuis pœnitentia ductus illum voluntariè & non delatus manifestet; mitius tamen puniri debet. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 78. Farinat. *num.* 155.

11 Receptans hæreticum, qui post receptationem fuit Ecclesiæ reconciliatus, vt receptator puniendus est. Secùs verò, si post reconciliationem eum receptet. Decian. *num.* 75. Farin. *num.* 53. & 154.

12 Qui metu mortis, aut grauissimi damni naturalis, aut per vim hæreticum, in causa etiam hæresis, recipit & occultat, non punitur vt receptator, nec excommunicationem incurrit. Azor. *quæst.* 5. Fari. *num.* 162.

13 Qui per ignorantiam hæreticum receptat, pœnas receptatorum non incurrit. Peñ. *dict. commen.* 76. Decian. *cap.* 37. *num.* 23. & *cap.* 51. *num.* 70. Farinat. *num.* 163.

14 Non præsumitur ignorantia in receptante, quando in loco vbi hæreticus recipitur, est publica vox & fama, vel notorium ipsum esse hæreticum. Peñ. *d. com.* 76. Farin. *quæst.* 133. *cap.* 3. *num.* 120.

15 Re-

15 Receptans non tenetur probare ignorantiam, sed ad accusatorem pertinet ostendere receptationem non per ignorantiam, sed scienter fuisse factam. Azor. *quæst.* 8.

16 Non præsumitur ignorantia, quando hæreticus fuit publicatus, & præcessit edictum publicum quòd fugerit è carcere. *Vide* Farinat. *d. c. 3. num.* 127.

17 Quando præcessit rumor publicus, quòd receptatus sit hæreticus, aut receptans id solummodo suspicatur, non punitur huiusmodi receptans tota pœna receptatoris, nec etiam corporali pœna, sed mitiori, & pecuniaria. *Vide.* Farin. *d. cap. 3. num.* 106. *& 123.*

18 In consanguineo, vicino, & amico non præsumitur ignorantia, quæ excuset à tota pœna receptatoris. Simanch. *catbol. tit.* 15. *num.* 18. Farin. *d. cap. 3. num.* 124.

19 Receptatores hæreticorum (idem est de fautoribus & defensoribus iudicandum) non excommunicantur effectu non sequuto: ab Inquisitoribus tamen puniendi sunt. Sanch. *num.* 9. *Vide quæ* Dixi *in Bulla Cœnæ cap. 4. disp. 26. num. 2. & cap. 11. num. 6. & cap. 12. disp. 63. num. 2.*

20 Vt tota pœna ordinaria receptatorum imponatur & item corporalis, debet plenè probari scientia in receptante, ad alias verò pœnas sufficit scientia præsumpta. *Vide* Farin. *num.* 107. *d. cap. 3.*

21 In dubio præsumitur potiùs ignorantia, quàm scientia in receptante hæreticum, & ipsius receptantis iuramento probatur ignorantia. *Vide* Farinat. *num.* 112. *d. cap. 3.*

22 Nautæ, caupones, & stabularij non puniuntur

tur pœnis receptatorum, nisi constet receptasse hæreticos in fauorem hæresis. Dixi *disp.9.num.6.* Farin. *de hæresi quæst.* 182.§.9.*num.*161.Azor *quæst.9.*

23 Receptans hæreticum, ne ab inimico occidatur, aut in causa ciuili, aut criminali ab hæresi diuersa, non dicitur receptator hæreticorum. Dixi *d. disp.9.num.5.& 6.*

24 Pœna ordinaria receptantium hæreticos, est excommunicatio, & receptatores sunt de fide suspecti, magis vel minus, secundum receptationis qualitatem. Peñ. *d.comm.76.&81.*Farin. *d. quæst.*182. *num.* 133.*&* 134.

25 Aliæ pœnæ contra receptatores ponuntur in præcedenti capite contra hæreticorum credentes, quæ receptatoribus etiam communes sunt *Vide* Peñ. *d.comm.76.*Farin. *d.quæst.* 182. §. 3. *num.* 37. *& seqq.* Azor *quæst.9.*

26 Iudæi, & alij infideles, si apostatas, aut hæreticos receptauerint per Inquisitores puniendi sunt. Pœna autem erit priuatio communicationis cum Christianis; pecuniaria, carceres, & verbera. Peñ. *d. comm. 76. & 69.*

27 Ad punitionem huiusmodi infidelium propter receptationem, aut aliud scelus atrox, pro quo relinqui etiam possunt curiæ seculari, debent concurrere Episcopus & Inquisitor. Peñ. *d. comment 69. vers.*Sed si atrox.

CAPVT XXIV.

De defensoribus hæreticorum.

1 DEfensores hæreticorum aut eorum errores aut personas defendunt. Defendentes errores, & hæretici sunt & hæresiarchæ, de quibus non agimus hoc loco. Farin. *de hæresi quæst.* 182. §. 4. *num.* 62. Dixi *in Bulla Cœnæ c.* 2. *disp.* 12. *num.* 1.

2 Defensores hæreticorum (de quibus hîc loquimur) sunt, *qui quomodolibet impediunt hæreticorum condemnationem aut capturam, ne in manus iudicis deueniant, aut vt in tuto viuant, efficiunt.* Eymer. 2. *p. Direct. quæst.* 52. *vbi* Peñ. *com.* 77. Sanch. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. Azor *tom.* 1. *Summ. lib.* 8. *c.* 15. *quæst.* 6.

3 Defendens hæreticum, dum quæritur in causa fidei, verè est hæreticorum defensor, defensorumque pœnas incurrit. Farin. *de hæresi quæst.* 182. §. 4. *num.* 68. Dixi *d. disp.* 12. *num.* 2. *& 3.*

4 Defendens illum, quem ministri fidei vt hæreticum quærunt, sciens esse innocentem, licet in foro animæ defensorum pœnas non incurrat, vt defensor punitur in foro externo. Dixi *num.* 4. *d. disp.* 12.

5 Qui in iudicio patrocinatur hæretico, probabiliter credens habere iustam causam, non incurrit defensorum pœnas, licet postea constet causam non fuisse iustam: puniendus tamen est, nisi Inquisitorum authoritate id fecerit. Dixi *num.* 5. *d. disp.* 12.

6 Defendens i lum quem credebat esse hæreticum, hæreticus tamen non erat, non excommunicatur, graviter tamen peccat, & vt defensor puniendus est,

est,& abiurare cogendus. Dixi *num. 6. d.disp.12.*

7 Defendens hæreticum ne ab aliquo particulari lædatur, aut qui patrocinatur ei in causa litis iusta,non incurrit defensorum pœnas. Azor *d. quæst.6.* Sanch.*num.* 19.*d.cap.* 10.

8 Quando aliquis volens committere actum hæreticalem impeditur ab aliquo, ne actum illum committat, si quis eum ab impediente defendat, vt liberè talem actum committere valeat, pœnas defensorum incurrit. Decian. *crim. lib.* 5.*cap.*51.*num* 9. Farin.*num.*65.*d.*§.4.

9 Defensores hæreticorum excommunicantur ipso facto, tam in Bulla Cœnæ, quàm in Iure, & ijsdem pœnis puniuntur quibus receptatores hæreticorum, & abiurant pro qualitate defensionis. Bulla Cœnæ *excom* 1.Eymeric.2.*p.Direct.quæst.* 52.*vbi* Peñ. *com.*77.*&* 3.*p.Direct.qu.*122.*vbi* Peñ.*com.* 171. Farin. *num.*58.*&* 61. *d.* §. 4.

10 Quæ capite præcedenti dixi de receptatoribus hæreticorum,tàm circa crimẽ,quàm circa excusationem ab illo, defensoribus accommodanda sunt.

CAPVT XXV.

De fautoribus hæreticorum.

1 FAutores hæreticorum illi dicuntur, *qui eis in causis contra fidem quouis modo fauorem præstant.* Quod tripliciter euenire contingit: omissione, scilicet,verbo,vel facto.Eymer. 2. *p. Direct. quæst.* 53.*vbi* Peñ.*com.*78.Sanch.*Decalogi lib.*2.*cap.*10.*num.*11. Fa-

tin. *de hæresi quæst* 182. §. 1. *num.* 1. Dixi *in Bulla Cœnæ c.* 2. *disp.* 1. *num.* 1.

2 Omissione fauent, qui cùm ex officio aut iuramento teneantur contra hæreticos procedere, ea facere omittunt. ad quæ ex tali officio, vel iuramento tenebantur. Eymer. Peñ. & Sanch. *ciuat. loc.* Farinat. *de hæresi quæst.* 197 §. 2. *num.* 38. & 47.

3 Domini temporales, & gubernatores ciuitatum ac locorum, ministri etiam publici Ecclesiastici vel seculares, qui ab Episcopis aut Inquisitoribus requisiti, ad procedendum contra hæreticos, si auxilium negant, aut illud præstare negligunt, fautores hæreticorum sunt. Eymeric. Peñ. & Farinat. §. 2. Dixi *num.* 7. *cit. loc.*

4 Prælati, vel Inquisitores, qui tutos carceres facere omittunt, & fidos custodes eis præficere, capere, torquere, aut punire hæreticos, vel fideliter in carcere custodire negligunt, vt hæreticis ipsis faueant, verè fautores iudicantur. Secùs verò, si ex negligentia, aut alia ex causa ea faciant. Sanch. *num.* 12. Farinat. §. 2. *num.* 27 *Dixi num.* 8

5 Ministri sancti Officij, *Familiares* dicti, seu *Cruce signati*, si hæreticos capere omittant, aut in illis capiendis negligenter se habeant, fautores hæreticorum sunt. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 13. Dixi *num.* 9. *dict. disp.* 11.

6 Personæ priuatæ, si à ministris requirantur ad procedendum & fauorem præstandum contra hæreticos, & cùm possint, auxilium præstare omittunt, fautores hæreticorum sunt. Secùs verò, si non requirantur, aut si iustam excusationem habeant. Peñ. & Sanch. *num.* 15. Dixi *n.* 9. *dictis locis.*

7 Qui

7 Qui testimonium contra hæreticos ferre nolunt, aut veritatem negant, celant, vel diminutè manifestant, cùm ad veritatem dicendam sub iuramento ab Inquisitoribus astringuntur, fautores etiam dicuntur. Peñ. & Sanch. *num.* 15. *vbi suprà.*

8 Omittentes denuntiare hæreticos post edictum ab Inquisitoribus publicatum, similiter sunt hæreticorum fautores. Peñ. & Sanch. *proximè citatis locis.*

9 Verbo fauent hæreticis, & verè fautores sunt, qui iisdem in causa hæresis dant consilium, viam fugiendi docent, pro eis intercedunt, eos laudant, excusant, instruunt ad celandam veritatem, quando fuerint interrogati. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 19. Farin. §. 1. *num.* 3. & *sequentibus, d. quæst.* 182.

10 Facto hæreticis fauent omnes, qui in causa hæresis hæreticos ipsos comitantur, visitant, auxilium præstant, subministrant alimenta, pecuniam conferunt, processum in eos formatum rumpunt, abscondunt vel falsificant, aut quouis alio modo iustitiæ executionem impediunt. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 16. Farinat. *d.* §. 1. *num.* 6.

11 Fautor hæreticorum est, qui aliquo ex prædictis modis hæretico mortuo fauet, aut hæretico iam emendato, contra quem tamen Inquisitores ratione hæresis præteritæ procedunt. Vgolin, *in Bulla Cœnæ verbo* Fautores. § 1. *num.* 1. *vers.* 2. Sanch. *dict. cap.* 10. *num.* 17.

12 Qui captum hæreticum occultè visitat, cum eo susurrat, victualia ministrat, de eius captura vel morte lamentatur, fuisse iniustè condemnatum affirmat, toruo vultu eorum persecutores aspicit, aut

combusti hæretici cineres seruat: licèt fautor propriè non sit, hæresis tamen suspicionem præbet. Pen. *ad com.* 78. *vers.* Iam vt nihil. *& sequent. &* Farinat. §. 1. *num.* 10.

13 Fauorem præstans non in causa hæresis formalis, quamuis ipsum impendat in alia etiam vehementis suspicionis, non est fautor hæreticorum. Sanch. *d. cap.* 10. *num.* 14. Farin. *d.* §. 1. *num.* 11.

14 Qui hæreticis extra causam hæresis aut suspicionis contra fidem fauent, verbis credunt, eorum literas hinc inde deferunt, ducatum præstant, & similia circa illos exercent: licèt fautores non sint, suspicionem tamen hæresis non omnino effugiunt. Azor. *in Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 1.

15 Fauens hæretico in extrema necessitate naturali constituto, neque fautor est, neque de hæresi suspectus. Farinat. *num.* 13. *d.* §. 1.

16 Censuræ & pœnæ contra fautores hæreticorum eædem sunt, quas contra receptatores, & defensores in præcedentibus capitulis numerauimus: & quæ circa prædictos illic diximus, fautoribus accommodanda sunt.

17 Omnes receptatores, ac defensores hæreticorum sunt etiam fautores, non tamen è conuerso: omnes etiam receptatores defensores dici possunt, non tamen omnes defensores receptatores appellari debent. Sanch. *num.* 18. *dict. cap.* 10.

CAP.

CAPVT XXVI.

De diffamatis de hæresi.

1 DIffamatus de hæresi ille dicitur, *de quo exstat publica vox & fama quòd talem hæresim prædicauerit, defenderit, vel aliàs illi adhæserit.* Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 57. *vbi* Peñ. *comment.* 82. Farin. *de hæresi quæst.* 187. §. 5. *num.* 53.

2 Tribus modis potest aliquis grauiter dici infamatus de hæresi. Primò, si apud bonos viros pluries seu passim notetur infamia. Secundò, si à bonorum consortio repellatur, ac eum viri probi euitent, accedantque indicia, & suspiciones hæresis infamiam augentia. Tertiò, si post magnum aliquod delictum, vt deletas imagines, violata Sacramenta, & similia, statim aduersus illum oriatur infamia, attentis tamen personarum temporum & locorum circunstantiis. Peñ. *ad 3. p. Direct. comment.* 38. *vers.* Sed quæret quispiam.

3 Infamatis de hæresi imponitur purgatio Canonica, tamquam pœna ordinaria. Eymeric. & Peñ. *dict.* 2. *part. comment.* 82. Farin. *d.* §. 5. *num.* 55.

4 Vt infamato de hæresi purgatio Canonica indicatur, necesse est quòd infamia sit grauis, quæ si plenè probetur, sufficit etiam ad tortutam. Eymeric. 3. *part. Direct. quæst.* 61. *vbi* Peñ. *com.* 110. Farin. *d.* §. *num.* 59. & 72. & *item quæst.* 185. *num.* 136.

5 Cùm infamia orta fuerit ab æmulis & inimicis, licèt sufficiat ad dandum initium inquisitioni,

non tamen ad pœnam ordinariam, nisi adsint probationes maiores: orta verò à viris probis, ad pœnam ordinariam sufficiens est. Peñ. *d. part. 2. comment. 82. vers.* Nec refert. *& sequentibus* Farin. *dict. quæst. 187. num. 68. & seqq.*

6 Si pro infamato de hæresi sit coniectura infamiæ contraria, non indicitur purgatio Canonica. Farinat. *num. 71. dict. §. 5.* Repert. Inquisit. *verbo* Purgatio *vers.* Non inducitur purgatio.

7 In eo qui venit ex hæreticorum seu suspectorum terris, maximè animaduertenda sunt dicta, facta, consuetudo, ac vita: vt si qua de eis suspicio fuerit, Ordinario, & Inquisitoribus manifestetur. Peñ. *com. 82. vers.* Ad hæc.

8 Ad imponendam purgationem Canonicam infamato de hæresi, requiritur quòd infamia plenè probetur. Quæ autem probatio sufficiat, dicemus tractatu secundo, cùm de infamia mentionem fecerimus. Interim dico, quòd eam probant duo testes idonei, minus verò idonei non probant, licèt ad inquirendum sufficient; si tamen sunt plures, probant. Peñ. *d. comment. 82. vers.* Ad hanc respondemus, *& 3. part. comment. 19. vers.* Ex his primum Farinat. *num. 65. & 67.*

9 Plura circa hanc materiam dicemus tractatu 2. in cap. de purgatione Canonica, vbi etiam dicemus, qualisnam imponenda sit pœnitentia ei qui non plenè purgatur.

CAP.

CAPVT XXVII.

De excommunicato persistente in excommunicatione per annum.

1 EXcommunicatus propter hæresim, vel apostasiam, si citatus ad respondendum de fide contumax fuerit, per annum in excommunicatione insordescens, vt hæreticus non verus sed præsumptus condemnatur. Eymeric. *in Direct. 2. part. quæst. 47. num. 8. & quæst. 56. num. 5. & 3. part. quæst. 124. num. 1. & 3.* Decian. *crim. lib. 5. cap. 35. num. 20.* Farin. *de hæresi quæst. 192. §. 2. num. 14. 18. & 19. & in fragm. litera C. num. 289.*

2 Idem est dicendum de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, ac quoquo modo officium Inquisitionis impedientibus & recusantibus se purgare. Eymeric. *3. part. Direct. quæst. 123. vbi* Peñ. *comment. 172.* Farinat. *dict. §. 2. num. 15. & 16. quæst. 182. num. 38. 59. & 135.*

3 Excommunicatus in causa fidei persistens per annum in excommunicatione, ipso iure absque alia sententia, nisi declaratoria, reputatur hæreticus. Peñ. *in Direct. 3. tit. de tertiodecimo modo &c. com. 49. litera E. in verbo* Sententiam diffinitiuam. Menoch. *de arbitr. quæst. lib. 2. casu 416. num. 35.* Farinat. *d. §. 2. num. 17. & in fragment. litera C. num. 298.*

4 Excommunicatus in causa fidei, & persistens per annum, si misericordiam petat, recipitur ab Ecclesia. Peñ. *3. part. Direct. ad quæst. 125. comment. 174.*

vers. Et breuiter respondeo. Farin. *d.* §. 2. *nu.* 20.

5 Iustum impedimentum excusat excommunicatum, aut quando non stat per eum, eo quòd instat pro absolutione, aut offert satisfactionem, & similia. Locatus *in iud. Inquisit. verbo* Catholica. *cap.* 25. *num.* 2. Menoch. *dict. casu* 416. *num.* 68. Farinat. *d.* §. 2. *num.* 21. *&* 22.

6 Perseuerans per annum in excommunicatione non ex causa fidei, non hæreticus reputatur, sed solùm leuiter suspectus. Pen. *cum* Eymerie. 2. *part. Direct. quæst.* 47 *num.* 6 *comment.* 72. *litera C. vers.* Quidam verò sunt. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 129. *& cap.* 18. *num.* 33. Farin. *d.* §. 2. *num.* 23. *&* 24.

7 Ex consuetudine Romanæ Curiæ non procedunt Inquisitores contra huiusmodi excommunicatos. Pen. *dict. comment.* 72. *vers.* Excepta. Farin. *dict. num.* 24.

8 Si Inquisitores procedant, & excommunicatio lata sit pro crimine, possunt delinquentem deponere, & beneficiis priuare, etiam si pro tali delicto aliàs non esset priuandus. Menoch. *d. casu* 416. *num.* 48. *& sequentibus.* Farin. *in fragment. litera C. num.* 288.

9 Etiam excommunicatus pro causa ciuili potest beneficiis priuari. Menoch. *d. casu* 416. *num.* 34. *& 52. & pluribus sequentibus.* Farinat. *d. litera C. num.* 285. *&* 287.

10 Vt insordescens per annum in causa fidei iudicetur hæreticus, requiritur quòd lata fuerit excommunicatio, præcedente aliqua probabili suspicione, secus si non præcedat. Farinat. *de hæresi d.* §. 2. *num.* 26.

11 Requiritur etiam, quòd talis excommunitus declaretur, aut quòd præcedat sententia, aut saltem

saltem quòd sit notoriè excommunicatus. Annus insordescentiæ incipit à die declarationis, vel sententiæ, vel notoreitatis. Albertin. *in rubric. de hæret. in 6. quæst. 13. num. 35. & seqq.* Farin. *d.* §. 2. *num.* 29.

12 Annus in quo citatus in causa fidei contumaciter persistit, debet esse continuus, aliàs non potest vt hæreticus declarari. Rojas *singular. 60. num. 3. & 4.* Simanch. *catthol. titul. 14. num. 3.* Farin. *dict.* §. 2. *num.* 30.

13 Prædictus excommunicatus, vt tamquam hæreticus condemnetur, si facilè capi non potest, debet specificè citari ad respondendum de fide, & ad se purgandum de suspicione ex insordescentia orta. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst. 47. num. 7. vbi* Peñ. *com.* 72. Farin. *d.* §. 2. *num.* 31.

14 Quamuis citatio vna fortè sufficiat in dicto casu, tutius est vt triplex præcedat. Decian. *crim. lib. 5. cap. 32. num. 4.* Roias *singular. 29.* Farin. *de hæresi quæst.* 185. §. 7. *num.* 117. *& sequenti.*

15 Moriens ante lapsum annum, non condemnatur vt hæreticus, neque eius bona confiscantur, nisi esset plenè conuictus. Simanch. *dict. tit. 14. num.* 4. Decian. *dict. cap. 32. num.* 10. Farinat. *de hæresi quæst.* 192. §. 2. *num.* 36. *& sequenti.*

CAPVT XXVIII.

De impedientibus officium Inquisitionis.

1 SAnctæ Inquisitionis officium dupliciter ab aliquo impediri potest: directè scilicet, vel indirectè

indirectè. Directè quis impedire dicitur, cùm non circuitu, vel per aliud medium, sed principaliter in id incumbit, ne fiat. Indirectè verò, qui insinuatione vtitur, aut alio modo nititur id ipsum euertere. Peñ. *p. 2. Direct. ad quæst. 54. com. 79.*

2 Inquisitionis officium non solùm factis, sed etiam verbis minatoriis, aut signis impediri potest. Peñ. *d. comment. 79.* & Farinat. *de hæret. quæst. 182. §. 5. num. 84.*

3 Qui facit aut procurat, vt hæreticus iam captus liberetur, fugiat, ne capiatur, iudicetur, puniatur ve, impeditor est officij Inquisitionis, aut fautor hæreticorum. Eymeric. *part. 2. Direct. quæst. 53.* & Peñ. *ad quæst. 52. com. 77.* Farin. *d. quæst. 182. §. 7. num. 95.* & *sequentibus*, & *§. 5. num. 69.*

4 Qui secretum Inquisitionis per malitiam reuelat iis, qui negotium fidei impedire possunt, vt impediens officium Inquisitionis punitur. Si autem ob simplicitatem, vel si illi dixit, qui impedire non potest, mitius punitur. Peñ. 3. *part. Direct. ad quæst. 80. comment. 129.*

5 Domini temporales impedientes familiam Inquisitorum arma deferre, perturbatores sunt Inquisitionis, & vt tales ab Inquisitoribus puniri possunt, tanquam impedientes Inquisitionis officium. Eymeric. 3. *part. Direct. quæst. 56. vbi* Peñ. *comment. 105.* Farin. *§. 6.*

6 Si Inquisitores abutantur facultate concedendi licentiam portandi arma; vt si non necessariis officialibus, aut actu non seruientibus ipsam concedant, vel si ipsi officiales licentia sibi concessa abutantur; qui eos impediunt à delatione armorum, puniendi

non

sunt. Farinat. §. 6. *num.* 92. *& seqq.*

7 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis, ipso facto sunt excommunicati, dummodo id faciant in causis fidei; & si in excommunicatione per annum persistant, vt hæretici condemnantur. Eymeri. *dict. quæst.* 47. 53 54. *&* 123. *vbi* Peñ. Farinat. *d.* §. 5. *num.* 71. *&* 72.

8 Offendentes, aut iniuriantes Inquisitores, aut quosuis Inquisitionis ministros, vel eos perterrere facientes, excommunicantur, & Curiæ seculari traduntur vltimo supplicio puniendi, & eas omnes pœnas incurrunt, quibus puniuntur rei læsæ Majestatis. Pius V. *in constitut. quæ incipit*, Si de protegendis. *relata per* Peñ. *in fine Direct. fol* 174. Farin. §. 5 *num.* 80.

9 Intelligitur hæc constitutio, quando offendentes prædictos Inquisitores & ministros, id faciunt in contemptum, & odium sancti officij. Secus verò si ex alia causa, ex qua per claras probationes id fecisse ostendant non in odium Inquisitionis. Farin. *dicto num.* 80.

10 Dantes consilium, auxilium, vel fauorem ad impediendum sanctæ Inquisitionis officium, ipso facto excommunicantur. Eymer. *d. quæst.* 47. *&* 54. Farinat. *d.* § 5. *num.* 83.

11 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis, & offendentes Inquisitores, vel eorum officiales, & familias, ab ipsis Inquisitoribus puniri possunt, eosque ijdem Inquisitores per censuras compescere possunt, vt ab impedimento desistant, inuocato ad id (si opus fuerit) brachij secularis auxilio Eymer. 2. *par. Direct. quæst.* 64. *vbi* Peñ. *com.* 79. Simanch. *cathol. tit.* 34. *num.* 29. Farin. *d.* §. 5 *num.* 77. *& seqq.*

12 Si

12 Si impedientes officium sanctæ Inquisitionis fuerint Episcopi, Delegati, aut Subdelegati Papæ, vel Prælati Religionum, Prædicatorum, aut Minorum, quando Inquisitores sunt eorum subditi, contra ipsos procedere non possunt Inquisitores, sed Summo Pontifici id notificare debent. Farin. *d.* §. 5. *num.* 78. & 82.

13 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis, licèt sint de fide suspecti, non tamen reputantur hæretici Eymeric. *d. quæst.* 54. *vbi* Peñ. *com.* 79. Farinat. §. 5. *num.* 88.

14 Impedientes sunt etiam fautores hæreticorum. Eymer. *dicta quæst.* 54. Farin. *d.* §. 5. *num.* 69.

15 Qui se fingit illum hæreticum, quem Inquisitores, & ministri fidei capere quærunt, & pro alio ponitur, vt hæreticus ipse fugiat, perpetuo carceri mancipatur, ac bonis omnibus publicatis in perpetuum relegatur. Farin. §. 7. *num.* 98. *d. quæst.* 182.

16 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis effectu non sequuto, non excommunicantur in Bulla Cœnæ. Dixi *supra cap.* 23. *num.* 19. Farinat. *d.* §. 7. *num.* 101. *& seqq.*

17 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis, & ad id dantes auxilium, consilium, vel fauorem, non in odium fidei, sed propter alias causas, probabile est non dici fautores hæreticorum: oppositum tamen probabilius est. Dixi *supra c.* 23. *num.* 6. & 7.

18 Impedientes dictum officium, sunt diligenter examinandi, etiam per tormentum, si causa & eorum conditio id postulauerit, vt constet an personam vel officium Inquisitionis impedierint. Peñ. *d. com.* 79. Farin. *d.* §. 5. *num.* 85.

19 Præ-

19 Prædicti impedientes abiurare debent pro qualitate suspicionis. Peñ. *d. com.* 79. Farin. *dicto* §. 5. *num.* 86.

20 Impedientes dictum Inquisitionis officium, siue directè, siue indirectè, tam in odium fidei, quàm ob alias causas, pœna arbitraria puniuntur. Peñ. *dicto com.* 70. Farinat. §. 5. *num.* 73. & 74.

CAPVT XXIX.

De disputantibus de Fide.

1 Disputare de aliqua re, est *diuersa proferre argumenta, pro & contra circa rem illam.* Disputare de fide, est *circa res fidei diuersa proferre argumenta.* Quod contingit dupliciter, materialiter scilicet vel formaliter. Caietan. *ad* 2.2. *S. Thomæ quæst.* 10. *articulo* 7.

2 Tunc disputatur de fide materialiter, quando exercitij gratia ad acuenda ingenia, & acquirendam facilitatem in disputando, & docendo in scholis disputatio fit: formaliter verò, quando fit ad persuadendam, vel defendendam veritatem fidei. Caiet. *ibid.*

3 Disputatio de fide, tam materialis, quàm formalis inter Catholicos ex se licita est & vtilis, dummodo non vitietur ex circunstantiis. S. Thom. *d. art.* 7. Caiet. *ibidem.* Suar. *de fide tract.* 1. *disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 1. & 5. Farinat. *de hæresi quæst.* 178. §. 5. *num.* 123. & *sequenti.*

4 Disputatio de fide ex quatuor causis potest reddi illicita, videlicet ex fine, ex disputantis conditione, ex astantium qualitate, & ex disputandi modo.

S. Tho.

S.Thom.*d.art.*7.Eymer.1.*p.Direct.quæst.*10. *vbi* Peñ. *com.*25.Sanch.*Decal.lib.*2.*c.*6.*num.* 1.

5 Ex parte finis est illicita disputatio de fide, quando ex aliquo dubio circa fidem procedit; & qui sic dubitando disputat, est hæreticus, aut suspectus, iuxta ea quæ diximus *supra cap.* 11 dummodo disputanti sit fides sufficienter proposita.S.Thom. *d.art.*7. *vbi* Bañ.& Sanch.*d.num.*1.Farinat.*de hæresi quæst.*178. §.5. *num.* 10.Suar.*d.sect.*1.*num.*2.

6 Qui non est sufficienter instructus de fide, licitè potest de illa disputare ad inquirendam veritatem.Bañ.& Sanch.*cit.locis.*

7 Quando nullus speratur fructus, illicitum est de fide disputare, estque venialis culpa. Valent. 2.2, *disput.*1.*quæst.*10.*punct.*4.*concl.*1 Sanch.*dict.cap.*6.*num.* 2.Suar.*num.*13.*d.sect.*1.

8 Ex conditione disputantis potest disputatio reddi illicita,aut ex iure naturæ, aut ex positiuo. Ex iure naturæ requiritur in disputante recta intentio, firmitas in doctrina fidei, quæ expellat periculum.& vt sit sufficienter doctus,magis tamen vel minus,secundum qualitatem illius,cum quo disputat.S.Tho. *dict.art.*7.Suarez *dict.sect.*1.*num.*8.Farinat. *num.*125. *dict.*§.5.

9 Ex iure positiuo requiritur, vt disputans pro fide non sit laicus; quia laico tàm publicè, quàm occultè hoc sub excommunicatione non lata, sed ferenda interdicitur.Sanch.*dict.cap.*6.*num.*3. Eymer.& Peñ.Farinat. *num.* 111.& 112. Suarez *num.*9. *citatis locis.*

10 Laicis,etiam doctis prohibetur disputarede fide,nisi in casu magnæ necessitatis, aut vtilitatis, vt si esset

si esset hæreticus peruertens, & non esset Ecclesiasticus doctus, qui fidei partes susciperet, vel in locis in quibus hæretici grassantur: quia ibi abrogata est prohibitio. Sanch. *dict. cap. 6. num.* 5. & 7. Farinat. *d.* §. 5. *num.* 112. Suar. *num.* 11. *d. sect.* 1.

11 Laicis non solùm interdicitur disputatio de fide cum hæreticis, sed etiam cum Catholicis, dummodo sit formalis ad fidei veritatem confirmandam, ac persuadendam, adducendo argumenta hæreticorum. Sanch. *num.* 9. *dict. cap.* 6.

12 Non prohibetur laicis disputatio materialis, nec etiam contra hæreticos scribere. Simanch. *cathol. tit.* 20. *num.* 9. & 10. Eymeric. Peñ. & Farin. *num.* 121. & 123. *citatis locis.*

13 Laicorum nomine in dicta prohibitione, intelliguntur verè laici, non verò initiati prima tonsura, nec Religiosi, etsi ordinibus careant. Azor *tom.* 1. *Sum. lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 1. & 2. Sanch. *dict. cap.* 6. *num.* 6. & 8. Suar. *num.* 10. *d. sect.* 1.

14 Ex parte auditorum est illicita disputatio, quando fit coram simplicibus, siue coram hæreticis, siue exercitij gratia, nisi simplices ab hæreticis solicitentur, aut quando doctor adeò excellens est, vt commodissimè possit solutiones etiam simplicibus explicare: hic tamen casus rarissimè contingit. S. Thom. *d. ar.* 7. Valent. *concl.* 3. Suarez *num.* 14. *citatis locis.* Sanch. *num.* 10.

15 Ex modo disputandi redditur disputatio illicita, quando magis verborum contentione, quàm argumentorum vi, & sententiarum pondere transigitur. S. Thom. *dict. artic.* 7. Sanch. *num.* 11. Suar. *num.* 13. Farinat. *num.* 127. *citat. loc.*

16 Illicitum etiam est & pernitiosum in publicis concionibus, ad confirmandas res fidei adferre rationes friuolas, & quæ nihil probant, ne audientes præsertim hæretici existiment fidei fundamentum firmum non esse.

17 Quæ diximus circa disputationem de fide, intelliguntur tàm de illa quæ fit cum hæreticis, quàm quæ cum Iudæis, ac Paganis initur.

18 Disputantes de fide, dubitando de veritate illius, hæretici sunt, & cum illis vt cum hæreticis procedendum est. Farinat. *num.* 119. *dict.* §. 5.

19 Disputans de fide in casibus à Iure non permissis, licèt hæreticus non sit, erit tamen suspectus, si defendat falsam doctrinam, & in ea defendenda persistat. Albertin. *de hæret. in 6. quæst.* 13. *num.* 26. Farinat. *num.* 118. *dicto* § 5.

20 Contra disputantes de fide in casibus à Iure non permissis, procedunt Episcopi, & Inquisitores. Sylvest. *verbo* Contentio. *num.* 4. *& verbo* Disputatio, *num.* 2. Armil. *eodem verbo num.* 3. Farinat. *num.* 117. *dict.* §. 5.

21 Pœna disputantium de fide arbitraria est, quæ iuxta qualitatem personæ disputantis, & cum qua disputatur, loci etiam, temporis, & astantium imponenda est. Pen. *ad l.* Nemo. *Cod. de sum. Trinit. ad* 1. *part. Direct.* Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 42. *num.* 5. Farin. *num.* 116. *d.* §. 5.

CAP.

CAPVT XXX.

De baptizatis, qui inter infideles, vel hæreticos sunt nutriti.

1 QVi fidem susceperunt per Baptismum, coercendi sunt, etiam per pœnas corporales ad illam seruandam, siue in ea instructi fuerint, siue non. *Cap.* Maiores. §. Item quæritur. *de Baptismo. cap.* De Iudæis. 45. *d.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Peñ. 2. *part. Direct. in cap.* Quicunque. *num.* 4. Farin. *de hæresi quæst.* 189. §. 1. *num.* 1. Suar. *de fide tract.* 1. *disput.* 20. *sect.* 3.

2 Fictè baptizatus, licèt non sit verè hæreticus coram Deo, est vt hæreticus puniendus ab Ecclesia fictionis ignara. Sayr. *thesauro casuum tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 11. Sanch. *Decalog. lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 35. Suar. *de fide tract.* 1. *disp.* 19. *sect.* 5. *num.* 7.

3 Qui verè voluit baptizari, sed baptismus fuit irritus ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis ministri, & putans se verè baptizatum ita se gessit vt verè baptizatus, si à fide recessit, hæreticus est coram Deo, non verò punibilis est ab Ecclesia, dummodo de inualiditate baptismi constet. Vgolin. *de censur. Pap. reseruat.* 2. *part. cap.* 1. §. 1. *num.* 3. Sayr. Sanch. *num.* 39. Suar. *num.* 8. *citat. loc.*

4 Qui verè baptizati non sunt propter inualiditatem baptismi, quem tamen recipere voluerunt, & credentes se esse baptizatos, recipiebant Sacramenta, cogi possunt ad verum baptismum suscipien-

dum secundùm probabilem sententiam. Sayro. Henriquez. *lib. 2. de Baptismo cap. 25. num. 6.* Sanch. *num. 36. citatis locis.*

5 Baptizati infantes, qui numquam in fide Catholica fuerunt instructi, sed sectam hæreticorum, aut aliorũ infidelium didicerunt, si à Christianis capiantur, instruendi sunt de fide, & post sufficientem instructionem ad illius obseruationem cogẽdi. Quod si in pristinis erroribus pertinaciter persistãt, vt hæretici tractandi sunt. Castro *de iusta hæret. punit. lib. 1. cap. 8. dubio 2*, Simanch. *catholicar. tit. 31. num. 7.* Suar. *num. 1.* Sanchez *cap. 1. num. 8. citatis locis.*

6 Infideles qui in adulta ætate baptisma susceperunt, si ante sufficientem instructionem in hæresim aliquam lapsi fuerint, non sunt statim, propter fidei ignorantiam, vt hæretici damnandi, sed docendi, & cum misericordia admonendi. Castro, & Simanc. *citatis locis.*

7 Recenter conuersos non sufficienter instructos, etiam relapsos, reconciliare possunt Inquisitores, si constet illos verè pœnitentes esse. Simanch. *vbi suprà.*

8 Si quis per vim, minis, & terroribus baptismum suscipit, dummodo vt illa vitaret, baptizari voluerit, cogi potest ad seruandam fidem, cùm verum baptismum susceperit: quia conditionaliter voluit. *Cap.* Maiores. §. Item quæritur, *de baptismo.* Glossa *ibi in verbo.* Conditionaliter.

9 Qui per vim absolutam suscipit baptismum, cui numquam consensit, sed penitus contradixit, non potest cogi ad seruandam fidem; cùm non maneat verè baptizatus. *d. cap.* Maiores.

Dor-

10 Dormientes, & amentes qui in tali ſtatu baptizantur, ſi antè ſomnum vel amentiam baptizari voluerunt, excitati à ſomno, vel ab amentia ſanati, cogendi ſunt ad obſeruantiam fidei. Secùs verò, ſi antequam dormirent, aut amentiam incurrerent, baptiſmo contradicebant. *dict. cap.* Maiores. *Vbi Gloſſa verbo* Perdurare.

11 Si excitatus à ſomno ratum habeat baptiſmum inter dormiendum ſuſceptum, non per hoc cogi poteſt ad fidem ſeruandam; cùm talis ratihabitio non validet baptiſmum. Gloſſa *in d.* §. Item quæritur. *in verbo.* Non ſuſcipiunt.

CAPVT XXXI.

De hæreticis, qui ad terras Catholicorum commercij cauſa veniunt.

1 COntingit aliquando (ſicut noſtris temporibus inter Regem Hiſpaniæ & Regem Angliæ factum eſt) quòd commercij ac negociationis causâ hæreticus permittatur ad Catholicorum terras ſe transferre, ea lege & conditione, vt in iis quæ ad fidem & religionem ſpectant, non moleſtetur, niſi dato ſcandalo, & tunc ratione illius, prout iuris fuerit, puniatur. Circa huiuſmodi hæreticos quomodo procedere debeant Inquiſitores, explicare oportet, ex iis quæ in aliis caſibus à Doctoribus traduntur, cùm de hac materia nullus ſit, qui ſcripſerit.

2 Conditio illa, quòd hæretici non poſſint in-

terrogari de fide, nisi ratione scandali, si solius Regis authoritate fulciatur, nullum habet effectum: sed integrum relinquitur Inquisitoribus contra illos procedere, prout iuris fuerit, quia circa Ecclesiastica negotia, & ad fidem spectantia non extenditur iurisdictio laica. *Cap.* Decernimus, *de iud.* Mart. *de iurisdict. tract.* 1. *&* 2.

3 Pactum illud circa commercium inter hæreticos & Catholicos sub assignata conditione fieri licitè potest, cum approbatione expressa Summi Pontificis, propter bonum aliquod commune.

4 Si conditio prædicta non sit confirmata à Summo Pontifice, simul atque constat aliquem esse hæreticum, possunt Inquisitores contra illum procedere, siue in eorum districto hæresim suam manifestauerit, siue in alio: quia hæreticus vbique peccat, & vbique capi, & puniri potest. Eymer. 2. *parte Direct. quæst.* 42. *vbi* Peñ. *com.* 91. *& p.* 2. *in c.* Vt commissi. *num.* 12. *de hæret. in* 6.

5 In casu præcedenti, si hæreticus habet instructionem, cogendus est ad seruandam fidem: si verò instructus non erat, obligetur ad sumendam instructionem, quam si acceptare noluerit, vt hæreticus puniatur. *Sic c. præcedente* Dixi.

6 Si conditio fuit à Summo Pontifice approbata, possunt Inquisitores procedere contra prædictos hæreticos dantes scandalum, & iuxta scandali qualitatem pœnam imponere. Ita constat ex ipso pacto, & quia ratione delicti sortiuntur forum, & puniri possunt pro tali delicto. *Cap. finali de foro compet. cap.* 1. *de raptoribus.*

7 Probabile est posse Inquisitores interrogare de

de fide, ac obligare hæreticos dantes scandalum ad sumendam instructionem; vel si erant instructi, ad relinquendam hæresim. Quia per delictum cessat conditio, & tollitur impedimentum, manentque prædicti hæretici in terminis iuris. *Sic aliquando practicatum fuit.*

8 Iuxta hanc sententiam, antequam Inquisitores interrogent de fide, & obligent ad illam prædictos hæreticos, debent plenè probare eos dedisse scandalum; cùm dare scandalum sit conditio conferens iurisdictionem.

9 Probabilius est etiam probato scandalo, non posse Inquisitores punire hæreticos istos, nisi propter scandalum, non verò propter hæresim: quia hoc videtur exceptum ratione conditionis à Summo Pontifice approbatæ; nec delictum scandali confert iurisdictionem in aliud delictum exceptum. Doctores *in d.c. fin. de foro compet. & in d.c. 1. de raptoribus.*

10 Hæreticus qui per mare Hispaniæ, verbi gratia, nauigans dedit scandalum alicui Catholico; puniendus est, ac si tale scandalum in terris dedisset, quia conditio contractus fœderis & commercij intelligitur in omni loco pertinente ad illud regnum, cum quo talis contractus fuit celebratus, ac delictum in mari commissum in terra punitur.

11 Si hæreticus in patria sua, aut alibi, extra terminos tamen Hispaniarum, scandalum dedit, non est ratione illius puniendus ab Inquisitoribus Hispaniæ. Eo quòd contractus ille conditionalis solùm prohibet dare scandalum in districto illius regni, ad quod hæretici venire permittuntur.

12 Prædicta conditio intelligitur non solùm te-

ſpectu Anglorum, ſed etiam omnium qui in Anglia taliter habent domicilium, quòd dicantur vaſſalli Regis Angliæ. Quia ſic exprimitur in contractu, cùm ratione domicilij ad iuriſdictionem Anglicanam pertineant.

13 Si aliquis ex prædictis hæreticis ante contractum commercij delatus fuit ad Inquiſitores de actu hæreticali externo, & poſt contractum in Hiſpaniam veniat, eo contractu non obſtante, poteſt apprehendi, & obligari ad recipiendam fidem. Cùm Inquiſitores per denunciationem præcedentem habeant ius acquiſitum contra talem hæreticum, quod ius per contractum non tollitur.

14 Qui in Angliam ex hoc regno domicilium mutauit, vt Inquiſitorum iudicium fugeret, quamuis ante contractum delatus non fuerit, ſed poſt contractum de actu hæreticali ante commiſſo, non gaudet conditionibus dicti fœderis, quia fraus non debet ei patrocinari. Surd. *conſil.* 15. *num.* 13. Farinat. *p.* 1. *quæſt.* 31. *num.* 155.

15 Scandalum, ratione cuius hæreticus poteſt ab Inquiſitoribus puniri, eſt dictum, vel factum minùs rectum præbens occaſionem ruinæ in materia fidei. S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 43. *art.* 1.

16 Hæreticus, qui rationibus, perſuaſionibus, vel alia via perſuadere intentat viro Catholico ſuam ſectam, ſeu errorem aliquem contra fidem, aut ipsũ à doctrina Catholica, & puritate fidei reuocare conatur, puniri poteſt, quia verè ſcandalum præbet.

17 Qui ſacramenta profanauit, vel ipſis, aût ſacris imaginibus iniuriam facit, ad præſentiam diuinæ Euchariſtiæ non allurgit, vel cooperto capite incedit,

cedit, & his similia facit, etiam præbet scandalum, & puniri potest.

18 Pœna prædictis hæreticis imponenda ratione scandali, erit arbitraria, maior vel minor, secundùm scandali, qualitatem. Quòd si fuerit nimis atrox, relaxari possunt scãdalosi cutiæ seculari. Quia hoc licet in grauissimis criminibus. Dixi *in Opusc. de solicitantibus tract. 2. cap. 18. num. 10.*

19 Hæreticis, qui ratione scandali puniuntur, non est ea abiuratio indicenda, quæ secundùm ius hæreticis vel suspectis indicitur: cùm nec de hæresi solùm iudicentur suspecti, nec ad fidem Catholicam redeant.

20 Huiusmodi hæretici cogi possunt ad iurandum, quòd dum fuerint in eo Regno, aut in partibus illi subiectis, nec illam, aut aliam culpam contra fidem Catholicam committent.

CAPVT XXXII.

De celebrantibus Missas in præsbyteratus gradu non constitutis.

1 QVi in presbyteratus gradu non constitutus Missas celebrat, iudicio Inquisitorum subiicitur, factoque Catholicam veritatem impugnat. Paulus IIII. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clemens VIII. *relati per Laertium in Bullario tom. 2. pag. 387. & tom. 3. pag. 128.* Dixi *in Opusculo de solicitantibus tract. 1. cap. 9. num. 1.*

2 Constitutiones prædictorum pontificum tàm seculares, quàm Ecclesiasticos non presbyteros comprehendunt. *Dict.* Bulla Clement. §. 3. Dixi *dict. cap. 9. num.* 3.

3 Vt celebrantes Missas iudicio Inquisitorum subiiciantur, non opus est quòd etiam confessiones audiant. Clemens VIII. Dixi *num.* 18. *dict. cap. 9.*

4 Ex vi prædictorum Decretorum non committitur Inquisitoribus iurisdictio in non presbyteros, qui aliud sacerdotum munus vsurpant, præter celebrationem Missarum, & audientiam confessionum. *Dictæ constitutiones.*

5 Non presbyter, qui sacerdotalibus vestibus induitur, celebrare intendens, si non celebrat, non subiicitur pœnis dictarum Constitutionum, quæ de celebrantibus tantùm sermonem faciunt. Dixi *num.* 19. *dict. cap. 9.*

6 Perfectè huius criminis reus constituitur, qui sacerdotalibus vestibus indutus Missam incipit celebrare, quamuis non perficiat, nec verba consecrationis proferat. Dixi *dict. num.* 19.

7 Malitia huius criminis ad idololatriam pertinet: quia sic celebrantes faciunt Christi fideles adorare panem, & vinum, tamquam verum corpus, & sanguinem Christi Domini. Clement. VIII. §. 2.

8 Non presbyter Missas celebrans, est de fide suspectus, & vt talis puniri debet. Dixi *num.* 8. *dict. cap. 9.*

9 Ad violationem prædictarum Constitutionum sufficit semel Missam celebrare. Dixi *num.* 11. *dict. cap. 9.*

10 Pœna huic nefario crimini debita, est vt qui illud

illud perpetrasse repertus fuerit, curiæ seculari tradatur debitis pœnis plectendus: prius tamen degradetur ab ordinibus, si quos habuerit. Clem. VIII. Dixi *num.* 12. *dict. cap.* 9.

11 Prædicta pœna imponi debet secundùm Ius ciuile; cùm hoc delictum sit falsitas magna, cui debetur mors naturalis: quod maximè tenet verum, si dictum crimen pluries iteratum fuit. Diaz *in pract. crim. can. cap.* 117. *verbo* Falsarij. *num.* 1. Hieronymus Giacarius *ad Clarum lib.* 5. §. Falsum. *litera* bb *verbo* Alij casus *circa finem. vers.* Qui verò multa. Farinat. *de crimine falsi quæst.* 150. *concl.* 4. *num.* 24.

12 Hæc pœna, saltem in Hispaniarum Regnis, hactenus non est in vsu, sed arbitraria pœna plectuntur taliter delinquentes. Dixi *num.* 13. *d. c.* 9. Attamen prædicta pœna traditionis curiæ seculari nunc imponenda præcipitur à Sanctissimo Domino nostro Vrbano VIII. *per epistolam Illustrissimi Cardinalis Melmi ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ* 5. *die Martij anno* 1622. verùm etiam post declarationem istam hoc practicari non vidi.

13 Pœna sic arbitrari potest, vt si fictus sacerdos fuerit laicus, ac vilis persona, fustigetur, ad triremes mittatur, & aliquæ spirituales pœnitentiæ ei addantur. Si verò fuerit persona honesta, aut religiosa, damnetur ad triremes. Quòd si talis sit qualitatis, vt ad triremes mitti non debeat, in exilium mittatur, & si fuerit in aliquo ordine, ab eo suspendatur toto exilij tempore. Si delictum aliquas circumstantias habuerit aggrauantes, addantur aliæ pœnæ secundùm earum qualitatem. Dixi *num.* 14. *d. cap.* 9.

14 Rei huius criminis abiurare debent leuem

hæresis

hæresis suspicionem, quam incurrunt. Dixi *num.* 15. *d.cap.9.*

15 Probationes, & modus, ac forma procedendi in hoc crimine erunt, sicut in crimine hæresis. Dixi *num.*21.*dict.cap.9.*

16 Hoc delictum non est commissum Inquisitoribus priuatiuè ad locorum Ordinarios, sed cumulatiuè. Clemens VIII. *in d. Constitutione.* Dixi *num.*15.*d. cap.9.*

17 Prælati Regularium non possunt esse iudices suorum subditorum, qui hoc scelus perpetrauerint. Dixi *num.*16. *d.c.9.*

CAPVT XXXIII.

De non presbyteris, qui confessiones audiunt.

1 NOn presbyter, siue secularis, siue Ecclesiasticus, qui confessiones audit, & absolutionem impendit, ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis puniri potest. *Constitutiones c.præced.citatæ.*

2 Malitia huius criminis consistit in abusu sacramenti, cum notabili detrimento proximi; & qui hoc facit, est de fide suspectus, factoque approbat, quòd hæretici huius temporis falsò asseuerant. Dixi *in Opusc.de solicitant.tract.*1.*c.9.num.*8.

3 Ad violationem Decretorum, sufficit audire confessionem, quamuis absolutio, siue ex indispositione pœnitentis, siue alia de causa non impendatur. Dixi *d.c.9.num.*3.4. & 7.

4 Non

4 Non presbyter, qui solùm generalem confessionem audit, non tamen specialem peccatorum, subijcitur iudicio Inquisitorum, mitius tamen puniri debet. Dixi *num.* 10. *d. c.* 9.

5 Qui semel confessionem audit, aut vnum tantum peccatum, pœna ordinaria punitur. Dixi *num.* 11. *d. c.* 9.

6 Simplex sacerdos, vel etiam approbatus, suspensus tamen ab audiendis confessionibus, non comprehenditur in prædictis Decretis, quamuis confessionem audiat, & absolutionem impendat. Dixi *num.* 5. *d. cap.* 9.

7 De pœnis, de modo procedendi, ac de iudicibus in hoc crimine idem est dicendum, quod capite præcedenti dixi circa celebrantes Missas non presbyteros.

CAPVT XXXIV.

De Confessarijs solicitantibus pœnitentes ad actus inhonestos in sacramentali confessione.

1 CONfessarij in sacramentali confessione allicientes, & prouocantes, seu allicere; & prouocare tentantes mulieres ad actus inhonestos, Inquisitorum gladio subiiciuntur. Pius IV. *Bulla* 31. *apud Laertium tom.* 2. *Bullar. pag.* 46. Paulus V. *ad Inquisitorem Generalem Portugalliæ anno* 1608. *Refertur in nostro Opusc. de solicitant. in principio.* Gregorius XV.

anno

anno 1622. relatus ad finem dicti Opusc.

2 Solicitare, allicere, & prouocare, est *diligentiam adhibere ad aliquid consequendum.* Illi dicuntur allicientes, & prouocantes iuxta presentem materiam, qui qualem qualem diligentiam adhibent, vt fœminas sibi confitentes ad consentiendum in actus inhonestos trahant, siue verbo, siue factis, siue signis id procurent; qui omnes in his Decretis comprehenduntur. Dixi *Opusc. cit. tract. 1. c. 1. num. 3. & 4.*

3 Actus inhonesti, seu impudici sunt, *qui contra honestatem, & pudicitiam fiunt*, vt actus venerei, & qui venereum actum circumstant, sicut tactus, oscula, & amplexus. S. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art. 1. ad 5.* Dixi *nu. 5. & 6. d. cap. 1.*

4 Vt solicitantes puniantur iuxta hæc Decreta, necesse est vt actus solicitationis sit peccatum mortale; quod si detur, sufficit quicumque actus inhonestus. Dixi *d. c. 1. num. 7. & seqq.*

5 Confessarius, qui in sacramentali confessione mulieris amicitiam procurat, nisi alia addatur circunstantia, quæ animum libidinosum ostendat, non facit contra præfata Decreta. Qui verò eius pulchritudinem & venustatem laudat, licet in terminis antiquarum Constitutionum contra illas non faciat, probabilius est violare nouam Constitutionem Gregorij. Dixi *d. c. 1. num. 10. & 11. & in addition. num. 8.*

6 Si confessarius fœminam solicitet non eligendo confessionem vt medium, peccatum solicitationis erit sacrilegium adulterinum, vel incestuosum, secundum qualitatem speciei luxuriæ ibi repertæ, Dixi *tract. 1. c. 2. num 6.*

7 Si confessarius solicitet eligendo confessionem

nem vt medium, solicitatio potius, & formalius est adulterium, vel alia luxuriæ species, quàm sacrilegium: semper tamen actus solicitationis est sacrilegus. Dixi *d.c.1.num.7. 8. & 9.*

8 Confessarius in actu confessionis sacramentalis fœminam ad actus inhonestos alliciens, est de fide suspectus. Peñ. *in 2.p. Direct.com.* 81. Farin. *in praxi crim. part.4. quæst.* 137. *num.* 28. Dixi *tract.* 1. *c.*5. *num.* 3. *& in addit. num.* 15.

9 Si confessarius non solùm suasionibus mulieris succumbat, sed cum ea suadente aliquem in ipsa confessione actum inhonestum exerceat, in dicta Decreta delinquit. Iacobus à Graffis *consil.*7. *de pœnit. num.* 8. *& seqq.* Dixi *tract.*1. *c.*6. *num.*7.

10 Si confessarius solicitationem amplectens de materia illius loqui desistat, ac libidinis complementum in aliud tempus, & locum differat, neque fœminæ solicitatrici absolutionem impendat, probabilius est Decreta hæc minimè violasse Dixi *d. cap.* 6. *num.* 8.

11 Si confessarius & pœnitens simul ad inuicem sese prouocent, dicendum est confessorem in Decreta delinquere. Dixi *d.c.*6. *num.*9.

12 Mulier solicitans confessarium, neque est de fide suspecta ex vi huius Constitutionis, neque iuxta illam castiganda. D. Rodericus de Acunha *in suo tractatu de solicitant. quæst.* 9 Dixi *tract.*1. *cap.*7. *num.*4.

13 Laicus qui se sacerdotem simulans, fœminam sibi confitentem ad libidinem prouocat, in his Summorum Pontificum Decretis non comprehenditur. D. Rodericns de Acunha *quæst.*13. Dixi *tract.* 1. *cap.*8. *num.*4. *& in Addit. num.*4.

14 Siue

14 Siue laicus, siue sacerdos interpres mulieris confitentis, qui ipsam confitentem solicitat, non comprehenditur in Summorum Pontificum Decretis. Dixi *de solicitant. tract. 1. cap. 10.*

15 Si ex parte sacerdotis & fœminæ pœnitentis, aut ex parte solius sacerdotis detur ignorantia circa iurisdictionem ad absoluendum, quam re ipsa confessarius non habet, & talis confessarius mulierem sibi confitentem solicitet, in hæc Decreta delinquit. D. Rodericus de Acunha *quæst. 14.* Dixi *tract. 1. cap. 11. num. 7.*

16 Sacerdos, qui sciens se iurisdictionem audiendi confessiones minimè habere, mulierem, quæ bona fide ei confitetur, ad actus inhonestos inducit, in dictis Decretis non comprehenditur. Dixi *d. cap. 11. num. 9.*

17 Si mulier confiteatur sacerdoti, quem nouit non fungi iurisdictione, ea tamen intentione, vt ipse à superiore potestatem illam absoluendi petat, probabile est esse huius Decreti reum, si illam solicitet; probabilius tamen oppositum. Dixi *dict. cap. 11. num. 10.*

18 Confessarius, qui ad libidinem mulierem prouocat, quæ ei confitetur, detegens peccata sua, vt excommunicationem Ecclesiæ pro defectu annuæ confessionis fugiat, comprehenditur in his Summorum Pontificum Decretis. Dixi *dict. cap. 11. num. 13.*

19 Solicitans puerum ad actus inhonestos in sacramentali confessione, Inquisitorum iudicio subiicitur. Paulus V. *ita declarauit.* Dixi *tractatu 1. cap. 12. num. 12. & in addition. num. 5.*

20 Confessarius solicitans in sacramentali confessione

fessione ad peccata à venereis diuisa, vel ad venerem in aliis sacramentis, ex vi horum Decretorum discussioni Inquisitorum non subiicitur. Petrus de Ledesma *de matrim. quæst.* 56. *artic.* 2. Param. *de origine Inquisit. lib.* 3 *quæst.* 10. *num.* 121. & 122. Dixi *tractatu* 1. *cap.* 13. *num.* 4.

21 Confessarius fœminam pœnitentem ad lenocinium solicitans, in prædictis Decretis non comprehenditur in terminis antiquarum Constitutionum; secùs verò iuxta Constitutionem Gregorij. Dixi *tract.* 1. *cap.* 14. *num.* 3. & *in addit. num.* 7.

22 Si confessarius in sacramentali confessione mulierem solicitet, vt alteri copiam sui faciat, reus est harum Constitutionum. Dixi. *dict. cap.* 14. *num.* 5. & *in addit. num.* 6.

23 Confessarius tactibus, vel signis fœminam ad libidinem prouocans, dum ipsa alteri confitetur, in hæc Decreta non delinquit. Dixi *d. cap.* 14. *num.* 6.

24 Ignorantia inuincibilis, antecedens, vel concomitans excusat confessarium solicitantem, quando probabiliter moraliter credit pœnitentem nolle confiteri (ignorantia verò consequens, ipsum non excusat) dummodo non simuletur confessio. Dixi *tract.* 1. *cap.* 15. *num.* 2. 3. & 4. & *in addit. num.* 13. Quæ sunt huiusmodi ignorantiæ Dixi *suprà cap.* 12. *num.* 4.

25 Si fœmina solicitata rationes non habeat, quæ probabilius ostendant confessarium in illam solicitando, ignorantia inuincibili antecedente, vel consequente laborasse, de illo denuntiare tenetur. Dixi *d. cap.* 15. *num.* 5.

26 Vnus actus solicitandi sufficit, vt confessarius propriè & verè dicatur hæc Decreta violare, &

vt iuxta tenorem illorum puniatur. Dixi *tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 5.

27 Si prætextu fictæ confessionis confessarius à fœmina vocetur, siue ipsa statim animum libidinosum ostendat, siue in confessione eo animo facta, non delinquit in hanc Cõstitutionem, licet in actum venereum cum illa deueniat, secundùm antiquas Constitutiones. At verò in nouo iure Gregorij aliter dicendum est, si mulier in ipsa confessione se declaret: quia tunc simulatur confessio, & simulata, exercetur actus peccati. Dixi *tract.* 1. *cap.* 17. *num.* 8. *& in addition. num.* 13.

28 Confessarius, qui per metum probabilem in actum venereum cum fœmina pœnitente solicitante ipsum in sacramentali confessione deuenit, puniendus est ab Inquisitoribus arbitraria & extraordinaria pœna, nec debet abiurare. Dixi *dict. cap.* 17. *num.* 9. *&* 10.

29 Probabile est confessarium, qui ad ibidinem pœnitentem allicit in actu proximo antecedente, vel consequente ad confessionem, esse horum Decretorum fractorem iuxta Constitutiones antiquas: certum verò in terminis Constitutionis Gregorij. Petr. Ledesm. *de matrim. quæst.* 56. *artic.* 2. Param. *de orig. inquisit. lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 34. *& multis sequentibus.* Dixi *tract.* 1. *cap.* 18. *& in addit. num.* 9.

30 Ille actus dicendus est proximus ad confessionem, qui ipsi confessioni immediatus fuerit, ita vt inter confessionem & ipsum nullus alius actus mediet. Dixi *num.* 6. *dict. cap.* 18.

31 Actus immediatus ad confessionem censeri debet, si confessarius sciens mulierem velle confiteri, illam

ri, illam solicitet, quamuis confessio non sequatur, vel quia ipsa noluit confiteri, vel quia confessarius eam noluit audire. D. Rodericus de Acunha *quæst.* 14. *num.* 8. Dixi *num.* 6. *& in addit. num.* 10.

32 Non est actus immediatus, si accedens fœmina confessionis causa à confessario præueniatur, vt confessio differatur in aliud tempus, mutatoque confitendi animo, à confessario solicitetur: comprehenditur tamen talis solicitator in Constitutione Gregorij: quia prætextu confessionis solicitat. Dixi *dict. cap.* 18. *num.* 7. *& in addit. num.* 10.

33 Nec etiam est actus immediatus, si post inceptam confessionem à confitendi proposito mulier desistat, dicatque confessario amplius nolle confiteri, sed confabulari, & posteà solicitatio sequatur, longa tamen confabulatione interiecta (dummodo non simuletur confessio, si solicitatio fiat in confessionario) aut si finita confessione confessarius mulierem in domum propriam comitatur, & ibi medio aliquo tempore eam solicitet. Dixi *dict. cap.* 18. *num.* 8. *& 9. & in addit. num.* 13.

34 Confessarius qui in actu proximo ad confessionem pœnitentem solicitat, non est puniendus tota pœna, quæ solicitanti intra ipsam confessionem imponenda erat. Aliter sentio iuxta Constitutionem Gregorij. Dixi *dict. cap.* 18. *num.* 10. *& in addit. num.* 9.

35 Confessarium, qui in actu proximo fœminam solicitat, licèt grauissimè peccet, seuerissimáque animaduersione sit dignus, probabilius est in hoc Decreto non comprehendi, nisi actus ratione alicuius dependentiæ confessionem includat. Oppositum dicendum est, stante Gregorij Constitutione.

Dixi *dict.cap.*18.*num.* 12. *&* 14.*& in addit.num.* 9.

36 Casus includentes confessionem nonnulli assignari possunt. Primus ; si mulier non vt confessarium soliciter,sed vt integrè confiteatur,libidinosum animum , siue circa confessarium ipsum , siue circa quemcumque alium se accusando manifestet , & confessarius dicat : De hoc, finita confessione , erit nobis sermo ; & confessione terminata, eam solicitet.Dixi *dict. cap.* 18.*num.* 14.

37 Secundus ; si confessarius fœminæ persuadeat, vt ipsi confiteatur , intentione eam solicitandi, & statim finita confessione eam ad actus inhonestos prouocet Dixi *num.* 14.

38 Tertius ; si immediatè post confessionem dicat pœnitenti,referendo peccatum ab eodem confessum : Quia alteri carnaliter commisceris , mihi etiam copiam tui fac. *Dixi dict.num.* 14.

39 Quartus ; si confessarius solicitet puerum à se confessum & absolutum , dum eum statim post confessionem in domum , seu cubiculum suum ducit, vt confessionis chyrographum tradat. Dixi *dicto num.* 14.

40 Quintus; si confessarius fœminæ sibi confessæ pœnitentiam imponat , vt ab ipsomet confessario nuda verberetur , & cùm ad hoc peruenisset , manu propria aut scutica vapulat ab ipso.Dixi *d. num.* 14.

41 Sextus;si confessarius suadeat fœminæ, vt ipsi eo loco verenda ostendat, quæ ipsa in eadem confessione morbo affecta habere dixit. Dixi *d.num.* 14.

42 Solicitatio in loco ad audiendas confessiones deputato , non tamen in actu confessionis , non comprehenditur in dictis Constitutionibus, secundum

dum antiqua iura. Secùs in iure nouo, quod comprehendit omnem solicitationem, tàm in confessionario, quàm in loco ad audiendas confessiones deputato, seu vbi confessiones audiuntur, dummodo simuletur confessio. Dixi *tract.* 1. *cap.* 19. *num.* 3. *& in addit. num.* 13.

43 Si aliquis ante promulgationem horum decretorum, fœminam ad libidinem in actu confessionis prouocauit, pro quo delicto fuit legitimè condemnatus vel absolutus, non subiicitur pœnis in iisdem positis. Dixi *tract.* 1. *cap.* 20. *num.* 5.

44 Solicitantes ante promulgationem horum Decretorum, non sunt iuxta eorum dispositionem puniendi ab Inquisitoribus, bene tamen ab Ordinario. Dixi *d. cap.* 20. *num.* 6. *&* 17. *& in addit. num.* 3.

45 Post promulgationem antiquarum Constitutionum factam in hoc Lusitaniæ Regno, Vlyssipone in actu fidei anno Domini 1609. die 5. Aprilis, necessariò requiritur aliquod tempus, vt qui post promulgationem illam solicitarunt, ab Inquisitoribus puniantur. Quantum verò temporis requiratur, Inquisitorum iudicio determinandum est. Dixi *d. cap.* 20. *num.* 14. *& seqq.*

46 Inquisitores sunt veri & legitimi iudices confessariorum, siue secularium, siue regularium solicitantium mulieres ad actus inhonestos in sacramentali confessione, constat ex ipsis Decretis. Dixi *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 7. *& in addit. num* 18. *&* 19.

47 Episcopi sunt etiam iudices suorum subditorum solicitantium pœnitentes ad actus inhonestos in sacramentali confessione. Dixi *d. cap.* 1. *num.* 8. *& in addit. num.* 18. *&* 19.

48 Inquisitores generales in hoc Lusitaniæ Regno possunt ex causa omnes processus contra solicitantes coram Ordinariis factos, sub censuris, & aliis pœnis sibi aduocare. Dixi *d. cap. 1. num. 17. & in addit. num. 21. & in hoc libro cap. 2.*

49 Prælati Regularium non possunt post Decretorum promulgationem contra sibi subditos solicitantes procedere, nec de eis inquirere. Dixi *d. cap. 1. num. 18. & hoc lib. cap. 2.*

50 Contra quas personas in solicitationis crimine procedere non possint Inquisitores, & qua ratione ipsi cum Episcopis contra solicitantes procedere debeant. Dixi *tract. 2. cap. 2. & 3. & in additionib. num. 20. & supra cap. 3. & 4.*

51 Inquisitores procedere possunt contra confessarium, quando dubium est an solicitauerit, certum tamen dictum ab eo, vel factum solicitationem esse. Dixi *tract. 2. cap. 4. num. 8.*

52 Licet probatio dicti, vel facti sit manifesta, si tamen sit dubium, an tale dictum vel factum solicitatio sit, non possunt Inquisitores procedere contra confessarium. Dixi *d. cap. 4. num. 9.*

53 Stante dubio possunt Inquisitores vocare confessarium, & illum interrogare de intentione qua verba illa, vel signa ambigua protulit. Dixi *d. cap. 4. num. 15.*

54 Mulier, cui confessarius verba dubia profert aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre. Dixi *d. cap. 4. num. 16.*

55 Quamuis confessarius de facto dubio corripi non possit, admoneri tamen potest, & à suo Ordinario etiam Regulari puniri. Dixi *tract. 2. c. 5. n. 5. & 6.*

56 Re-

56 Regulariter loquendo, crimen solicitationis quantumcumque occultum, statim denuntiandum est, prætermissa secreta admonitione. Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 17. num. 4. litera* L. Param. *d. quæst. 10. num. 4.* Dixi *tract. 2. cap. 6. num. 8.*

57 Si crimen solicitationis sit occultum, habeaturque moralis certitudo, quòd seruato fraternæ correctionis ordine confessarius emendabitur, denuntiare non licet. Certitudo ex qualitate corripientis, & confessarij solicitantis colligi debet. Petr. de Ledesm. *Sum. tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. dub. 2. & sequentibus*, D. Roderic. de Acunha *quæst. 18. num. 14.* Dixi *dict. cap. 6. num. 9. & 13.*

58 Regulariter excusatur fœmina solicitata à denuntiando, si ex denuntiatione ei sequatur mors, membri abscisio, vulnera, notabilis famæ vel honoris iactura, amissio maioris vel magnæ partis bonorum, aut hæc consanguineis, & affinibus vsque ad quartum gradum probabiliter euentura timeantur. Dixi *tract. 2. cap. 7. vsque ad 10.*

59 Vt quis dicatur sufficienter timere prædicta mala, taliter quòd à denuntiando deobligetur, sufficit quòd probabiliter proximè euentura credantur, facileque eis occurri non possit, & qui illa minatur, possit ac solitus sit illa, aut similia exequi. Dixi *tract. 2. cap. 2. num. 10. & 11.*

60 Si ex omissione denuntiationis fidei bonum periclitetur, non potest omitti denuntiatio, licèt inde denuntianti aliquod ex prædictis malis vel periculis eueniat. Dixi *tract. 2. à cap. 7. vsque ad 10.*

61 Mulier absque iusta causa denuntiationem omittens, peccat mortaliter, & aliquando potest dici

fautrix solicitantis, ac puniri; hoc tamen vltimum regulariter non continget. Dixi *tract.* 2. *cap.* 19.

62 Crimen solicitationis reseruatum non est. Omittens tamen denuntiare absque causa legitima, absolui nost potest, nisi denuntiet: quod etiam tenetur facere regulariter loquendo, quamuis confessarius sit iam punitus propter alias solicitationes. Dixi *tract.* 2. *cap.* 20.

63 De probationibus huius criminis, tam quoad capturam, quàm quoad condemnationem idem est dicendum, quod de probationibus in crimine hæresis dicitur. Constitutio tamen noua Gregorij concedit Illustrissimis Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, vt decernant, an testibus singularibus probetur solicitatio. Dixi *tract.* 2. *cap.* 11. & 12. & *in addit. num.* 24. & *seqq.*

64 Postquàm constiterit confessarium crimen solicitationis commisisse, extorquendum ab eo non est per torturam quid de fide sentiat, nisi aliunde vrgens ratio id persuadeat. Dixi *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 8.

65 Confessarius, contra quem est semiplena probatio quod solicitauit in sacramentali confessione, ipse tamen negat, secundùm ius commune, torqueri potest ad extorquendam veritatem. Æquitati tamen consonum est, non esse ab eo veritatem eruẽdam per tormenti adhibitionem. Cantera *in quæst. crimin. cap. de vera probatione num.* 47. Seraphinus *in addit. ad.* D. Roder. de Acunha *quæst.* 23. *num.* 29. Dixi *dict. cap.* 13. *num.* 10. & *seqq.*

66 Pœna, quæ nefariis solicitantibus imponi debet, tamquam ordinaria est illa, quæ sacrilegio, & speciei luxuriæ, quam committit secundùm ius debetur,

betur,& abiuratio.Dixi *tract. 2.à.cap.14.vsque ad 17.*

67 Pœna, quæ ſolicitantibus determinatur à Gregorio XV. eſt ſuſpenſio ab executione ordinis, priuatio officiorum, & beneficiorum quorumcumque, ac perpetua inhabilitas ad illa, priuatio vocis actiuæ, & paſsiuæ, ſi ſolicitator Regularis ſit, exilium,damnatio ad triremes, carceratio etiam in perpetuum,abſque vlla ſpe veniæ,& aliæ pœnæ, ſecundùm qualitatem delicti, etiam traditio curiæ ſeculari.Dixi *in addit.ad Opuſc.de ſolicit num.22.*

68 Abiurant confeſſarij ſolicitantes in ſacramentali confeſsione, aut in actu proximo antecedente vel conſequente; aut quando prætextu confeſſionis,aut occaſione illius ſolicitant;non tamen abiurant quando ſolicitatio fit ſolùm in confeſsionario, aut in loco vbi audiuntur confeſsiones, aut ad ipſas audiendas deputato.Dixi *tract. 2. cap. 16. & in addit. num. 14. & ſequentibus.*

69 Si confeſſarij dum interrogantur de fide, inueniantur hæretici, tradi poſſunt brachio ſeculari, prout de iure fuerit faciendum; ſeruatis ſeruandis. Dixi *tract.2.cap.18.num.9.*

70 Si ſolicitatio taliter fuerit qualificata, vt iudicio Inquiſitorum grauiſsimum, & enormiſsimum crimen reputetur, poteſt ſolicitator degradari, ac ſeculari iudici puniendus tradi. Dixi *d. cap. 18.num.13. & infra lib.3.cap.30.num.15. & in annot.num.23.*

71 Grauiſsima & enormiſsima ſolicitatio dici poteſt, quando confeſſarius pœnitentem ſolicitaret, & renuentem occideret,aut ſi matrem,vel filiam per vim carnaliter cognouiſſet, aut ſi puerum nefando coitu per vim oppreſsiſſet.Dixi *dicto c. 18.n 14.& 15.*

72 Solicitantes non sunt ita publicè puniendi, vt scandalum sequi possit, sed coram Inquisitoribus & eorum ministris, vel in aula Inquisitionis coram paucis viris religiosis, & aliis non coniugatis, & si aliquis sit morte plectendus, consulerem, vt id occultè fieret. Dixi *tract.2.cap.21. num.12.*

73 Confessarius, qui non declarat fœminæ solicitatæ obligationem denuntiandi, aut qui eidem dicit ad talem denuntiationem faciendam non teneri, ab Inquisitoribus, vel ab Ordinario pro qualitate culpæ potest puniri. Dixi *in Opusculo de solicitantib. in addition. num.27.*

CAPVT XXXV.

De bigamis, quando viuente primo coniuge, alter cum alio contrahit.

1 BIgamus, sicut & bigamia multis modis dicitur secundum Ius, hoc tamen loco ille dicendus est bigamus, *qui viuente primo coniuge cum alio matrimonium contrahit.* Quod dupliciter euenire potest. Primò, quando vterque coniux est matrimonio astrictus. Secundò, si vnus est coniugatus, alter verò non. S. Thom. 2.2. *quæst.* 108. *art.* 4. *& in* 4. *dist.* 27. Sylu. *verbo* Bigamus. *num.* 1.

2 Contrahens secundum matrimonium, primo non soluto, credens id licitum esse, hæreticus est, & cum eo vt cum hæretico proceditur. Albertin. *de agnosc. quæst.* 23. *num.* 52. *&* 69. Farinat. *de delictis carnis, quæst.*

quæst. 140 *part.* 1. *num.* 24.

3 Scienter contrahens binas nuptias, suspectus est de fide, potestque de illa interrogari, & quid de sacramento Matrimonij sentiat, quamuis nullam vxorem carnaliter cognoscat. Albertin. *num.* 49. 55. *& seqq. num. etiam* 60. *&* 66. Farinat. *d. num.* 24. *& num.* 30. Gom. *ad l. Tauri* 80. *num.* 27.

4 Vt quis dicatur contrahere binas nuptias, non opus est, quòd secundum matrimonium sit validum, seu quòd non stante primo, validum esse posset secundum. Albertin. *num.* 10. Farinat. *num.* 25.

5 Vt contrahens binas nuptias puniatur ab Inquisitoribus, necesse est quòd primum matrimonium sit validum, vel saltem quòd illud contrahens validum fuisse credat eo tempore, quo secundum contraxit. Albertin. *num.* 10. Farin. *num.* 26. Dixi *in simili in Opusc. de solicitantibus tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 7.

6 Contrahens matrimonium cum prima, & sponsalia cum secunda, licèt non reddatur suspectus de fide, puniri tamen potest à suo Ordinario. Albertin. *dict. quæst.* 23. *num.* 10. Farin *dict. part.* 1. *quæst.* 140. *num.* 27.

7 Contrahens sponsalia cum duabus, quamuis eas carnaliter cognoscat, non est de fide suspectus, cùm non contrahat matrimonium.

8 Quæ dicuntur de viro habente duas vxores, intelligenda similiter sunt, de muliere ducente duos viros. Anton. Gom. *num.* 28. Iulius Clar. *in pract.* §. Fornicatio. *num.* 26. Farin. *dict. part.* 1. *num.* 18.

9 Mulier, quæ ignoranter contraxit matrimonium cùm viro habente aliam vxorem, vel vir ducens vxorem maritatam, etiam ignoranter, non sunt

suspe-

ſuſpecti de fide, neque ab Inquiſitoribus puniuntur. *l.* Eum qui duas. §. Verum. *in fine Cod. ad l. Iul. de adult.* Farin. *dict. part. 1. num. 34.*

10 Mulier ſecundo nubens non mortuo primo viro, ab omni ſuſpicione & pœna excuſatur, ſi ſufficientem probationem habeat de morte primi viri. *l.* Miles. *ff. ad l. Iul. de adult.* Anton. Gom. *num. 31.* Farin. *dict. quæſt. 140. part. 2. num. 42.*

11 Quæ ſit ſufficiens probatio ad excuſandam mulierem, quæ ſecundum contraxit matrimonium, iudicis arbitrio relinquitur. Couarru. 4. *Decret. part. 2. cap. 7. §. 3. num. 4.* Sanch. *de matrim. lib. 2. diſp. 46. num. 7.* Farin. *dict. part. 2. num. 75.*

12 Probabile eſt minorem probationem requiri ad excuſandam mulierem à culpa & ſuſpicione contra fidem, quàm ad facultatem concedendam ſecundo nubendi. Sanch. *dict. diſp. 46. num. 5.* Farinat. *2. part. num. 59. & 65.*

13 Probabilius eſt eamdem certitudinem requiri ad excuſandam mulierem, quàm quæ exigitur, vt Eccleſia det contrahendi facultatem: & ſic requiritur certa & plena probatio, quæ haberi poteſt. Couarr. *vbi ſuprà num. 3.* Sanchez *num. 6. & 12. dict. diſput. 46.*

14 Si coniux obierit in loco ita diſtanti, vt facilè nequeant aliæ probationes haberi, ſufficit vnus teſtis fide dignus, & qui veriſimiliter deponat. Si verò aliter probari poteſt, non ſufficit vnus teſtis. Hoſtienſ. *Sum. tit. de ſponſa duorum num. 6. & in cap.* In præſentia. *de ſponſalibus. num. 6. vbi etiam* Abb. *num. 6.* Sanch. *dict. diſp. 46. num. 10. & ſeqq.* Farin. *d. part. 2. num. 73.* Maſcard. *concl. 1076. num. 5.*

15 Fa-

15 Fama per seipsam non probat, nisi sufficientibus adminiculis adiuuetur: vtpote longitudo temporis, distantia remota, mors antiqua, si ille de cuius morte agitur, sit senex, vel infirmus. Menoch. *de adipisc. poss. remed. 4. num. 672.* Mascard. *tom. 2. concl. 1075. num. 4. & seqq.* Sanch. *num. 15.*

16 Vt fama probet, debet ipsa plenè probari per testes idoneos, qui reddant rationabilem causam, vnde fama orta sit, vt si is, de cuius morte inquiritur, mare nauigauit, & orta tempestate non apparet, tempore congruo expectatus, nec nauis qua vehebatur: vel si prælium ingressus est, & postea diligenter quæsitus non inuenitur. Mascard. *tom. 2. concl. 149. num. 11. & concl. 1075. num. 8.* Sanch. *num. 16.* Farin. *num. 69. & seqq.*

17 Longa absentia viri non excusat mulierem contrahentem cum alio viro. Farin. *num. 50. d. part. 2.*

18 Stando in iure communi culpa contrahentium binas nuptias, vt dictum est, ad vtrumque iudicem, Ecclesiasticum scilicet & secularem spectabat, nunc autem ad solos Inquisitores. Albertin. *num. 76.* Farinat. *d. quæst. 140. p. 1. num. 1. Extat declaratio Summi Pontificis ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ.*

19 Pœna, quæ prædictis imponitur, arbitraria est, attenta qualitate personarum, & facti. Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 420. num 97.* Farin. *d. par. 1. num. 9.*

20 Regulariter personæ viles fustigantur, & ad triremes per quinquennium mittuntur. Honestiores verò, aut mulieres per idem tempus relegantur, aliis etiam spiritualibus pœnitentiis impositis, & abiurant leuem suspicionem contra fidem.

21 Cùm contrahentes binas nuptias ex hoc de iurisdi-

iurisdictione Inquisitorum efficiantur, reddanturque suspecti de fide, necesse est quòd ambæ nuptiæ sufficienter probentur: sicut antequam probetur adulterium, debet probari matrimonium. Mascard. *tom.* 1. *concl.* 58. *num.* 1. *& seqq.* Baiard. *ad Clarum* §. Adulterium. *num.* 43. Farinat. *in praxi quæst.* 141. *num.* 107.

22 Sufficiens probatio ad hunc effectum illa videtur, quæ sufficit ad probandum matrimonium in accusatione adulterij; cùm vtrobique probetur matrimonium, vt eo probato puniatur delictum illud supponés. Ad hoc autem satis est, probare mulierem habitam fuisse pro vxore istius, illumque eam accepisse, vt communiter solent aliæ vxores accipi, ita vt dicant testes se illos vidisse euntes ad Ecclesiam, & inde venientes, in vna domo simul viuere vt coniuges. Mascard. *concl.* 58. *num.* 4. Baiard. *num.* 44. Ordinatio huius Regni *lib.* 5. *tit.* 25. §. 8.

CAPVT XXXVI.

De communicantibus cum infidelibus.

1 CVm infidelibus dupliciter communicari potest. Primò, in rebus infidelitatis, ministrando eis, aut vendendo ea, quibus ipsi ad ritus suos abuti volunt. Secundò in rebus politicis, & ad humanum commercium spectantibus.

2 Ministrare infidelibus, siue ea quæ ad actus infidelitatis, & ritus superstitiosos proximè conducunt, siue indifferentia, quibus ad bonos etiam vsus

vti

vti possunt, ea tamen intentione, vt illi prauam suam & contra fidem voluntatem exequantur, actus est contra fidem ad idololatriam, vel hæresim spectans. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad* 4. Sylvest. *verbo* Infidelitas. *quæst.* 4. Valent. 2. 2. *disp.* 1. *quæst.* 10. *puncto* 5. Sanch. *Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 1.

3 Vendere infidelibus ea, quæ proximè ordinantur ad falsum cultum, illicitum est, vt idola construere, templa fabricare, &c. Quæ verò indifferentia sunt, quamuis infideles illis malè vtantur, non semper reputatur illicitum, si subsit iusta causa. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 27. *quæst.* 6. Petr. de Ledesm. *Sum. tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 4. *dub.* 1. *post* 13. *concl.* Sanch. *Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 13.

4 Ecclesia potest interdicere fidelibus communicationem cum infidelibus, ratione periculi subuersionis ex ea imminentis. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. Sanch. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 31. *num.* 1.

5 Fidelibus interdicitur assidua communicatio & familiaritas cum Iudæis, præsertim in decem casibus. *Cap.* Ad hæc *de Iudæis.* Angelus, Sylvest. Armil. Tabien. *verbo* Iudæus. Sanch. *dict. cap.* 31. *num.* 3. *&* 4.

6 Primus casus est; cum Iudæis habitare, Idem etiam prohibetur cum Saracenis; quos omnes licèt Christianus possit habere seruos intra eamdem domum, non tamen potest eos habere familiares. *Cap.* Nullus. 28. *quæst.* 1. *Cap.* Iudæi. *de Iudæis. Cap.* Et si Iudæi. *eodem tit.* Sylvest. *quæst.* 3. Sanch. *num.* 6. *dict. cap.* 31.

7 Secundus, Iudæorum azymis vesci, & item idolothytis, nisi in extrema necessitate, dummodo non comedantur vt azyma sunt Iudæorum, vel vt idolothyta, sed vt quidam panis. *dict. cap.* Nullus. Sylvest.

ueſt. *verbo* Iudæus. *quæſt.* 1. *dict.* 3. Angel. *num.* 1. Armil. *num.* 4. *eodem verbo.* Sanc. *num.* 7. *dict. cap.* 31.

8 Tertius, Iudæos vt medicos accerſere. *d. cap.* Nullus, extra caſum neceſsitatis, vt ſi non ſit alius medicus, aut non ſufficienter peritus, aut ſi morbi grauitas, multis medicis indigeret, & non eſſet copia Catholicorum. Armil. *num.* 9. Sylueſt. *dict.* 4. Tabien. *quæſt.* 5. *num.* 6. Sanch. *num.* 8. *dict. cap.* 31.

9 Quartus; à Iudæis medicinas exhibitas accipere. *dict. cap.* Nullus. ita vt Iudæi ipſi eas ægrotis exhibeant, extra caſum tamen neceſsitatis: non tamen prohibetur eas emere à Iudæis, aut ipſis vendere: verùm gratis donare extra caſum pietatis interdicitur Chriſtianis. Archid. *in dict. cap.* Nullus. *num.* 2. Turrecrem. *ibidem num.* 6. Sanchez *num.* 9. & 10. *dict. cap.* 31.

10 Quintus; ſimul cum Iudæis in balneum ingredi, *dict. cap.* Nullus. ita vt Catholicus non accedat ad balneum cum Iudæo, nec propter Iudæum, nec ſe ei in balneo familiarem exhibeat, aliàs enim & neceſsitatis, & etiam recreationis cauſa intrare poteſt balneum, in quo Iudæus ſimul ingreditur. Philiarcus *de officio ſacerdotis. tom.* 1. *part.* 2. *l.* 3. *cap.* 12. Sanch. *num.* 11. *dict. cap.* 31.

11 Sextus; Iudæos inuitare, ad eorumve conuiuia accedere. *Cap.* Omnes. 28. *quæſt.* 1. ad eorum etiam nuptias, dies feſtos, & Synagogas accedere eas frequentando, templa ſimiliter infidelium temporibus, quibus ſuperſtitioſa ibi celebrantur, & cum eis ludos & choreas agitare. Abb. *Cap.* Quam ſit. *num.* 3. *de Iudæis.* Sylueſt. *verbo* Iudæus. *quæſt.* 1. *dict.* 2. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæſt.* 3. Sanch. *num.* 12. & *ſequentibus dict. cap.* 31.

12 Intrare

12 Intrare Synagogas Iudæorum, & templa infidelium nõ frequenter, vt structura & ornatus templi spectetur, prohibitum non est. Imò licitum id erit, vt irrideantur eorum vana & superstitiosa, & commodius confutentur. Azor. *lib. 9. cap. 11. quæst. 3. tom. 1.* Sanch. *num. 18. d. cap. 31.*

13 Missi ad conuersionem Iudæorum & infidelium, cum illis manducare possunt, vt familiaritate cum eis contracta faciliùs eos ad veram fidem attrahant. Sanch. *num. 16. d. cap. 31.*

14 Septimus; Catholicorum filios in domibus Iudæorum nutrire. *Cap.* Ad hæc. *de Iudæis.* Imò etiam extra domum, nisi taliter nutriantur, vt familiaritas omnino vitetur. Sylvest. *quæst. 2. d. 3.* Azor *d. cap. 22. quæst. 9.* Sanch. *num. 19. d. cap. 31.*

15 Octauus; Iudæis famulari. *d. cap.* Ad hæc, siue in domo, siue extra domum, siue frequenter, siue rarò. Azor *dict. cap. 22. quæst. 7.* Sanch. *num. 20. d. cap. 31.*

16 Licitum tamen est Christiano locare operas suas Iudæo, siue extra, siue intra domum, vt colere agros, fabricare ædificium, &c. dummodo Iudæus non sit præsens, ita vt ferè semper assistat. Potest etiã locare illi res suas, vt currus, & boues, &c. Azor *d. ca. 22. quæst. 8.* Sanch. *num. 21. d. cap. 31.*

17 Nequit etiam Christianus Iudæis vel infidelibus aliquid legare in testamento. *Cap.* Sanè. o. 2. 24. *quæst. 2. cap.* Si quis Episcopus. *de hæret.* Alicui tamen particulari in extrema vel graui necessitate existenti aliquid legare potest, numquam verò vniuersitati. Sylvest. *quæst. 1. dicto 6.* Sanch. *d. cap. 31. num. 22.* Farin. *de hæresi quæst. 190. §. 8. num. 113.*

18 Non prohibetur fidelibus in mercibus emen-

dis, vel vendendis cum Iudæis, vel infidelibus contractus inire. Sylueſt. *quæſt.* 1. *dicto* 7. Azor *d. cap.* 22. *quæſt.* 4. Sanch. *num.* 23. *d. cap.* 3.

19 Spectata ſpecialis iuris prohibitione, licitum eſt fidelibus iuſtum bellum gerentibus, aduocare in adiutorium quoſcumque infideles. Regulariter nefas eſt id facere, propter ſcandalum & ſtragem in religione, moribus, & re familiari. Molin. *tom.* 1. *de iuſt diſp.* 112. Bañ. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. Azor *d. lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 13. Sanch. *num.* 24. *dict. cap.* 31.

20 Nonus; ſeruitutis vinculo ſubiici Iudæis. *d. cap.* Ad hæc. Decimus; Iudæos publicis officiis fungi inter Chriſtianos *Cap.* Conſtituit. 17. *quæſt.* 4.

21 Vt fideles cum infidelibus in prædictis caſibus communicare poſſint, ſolus Summus Pontifex diſpenſat, ſtando in terminis iuris, non verò Epiſcopi. Tabiena *verbo* Infideles. *quæſt.* 7. *num.* 8. Sanchez *num.* 27. *dict. cap.* 31.

22 Communicare cum infidelibus, vel hæreticis in iis quæ ad eorum ritus ſpectant miniſtrando abſque vlla iuſta cauſa excuſante, idololatriæ vel hæreſis actus eſt, & contra hoc facientem, vt contra hæreticum vel idololatram procedi poteſt.

23 Vendere infidelibus ea quibus indifferenter vti poſſunt, abuſuris tamen in ſuis ritibus, ſi abſque cauſa id fiat, inducit leuem ſuſpicionem contra fidem.

24 Qui veſcitur azyma Iudæorum, vel idolothyta abſque neceſſitate, vehementer redditur ſuſpectus de fide.

25 Communicare cum Iudæis vel infidelibus in aliis caſibus hic non numeratis, ſi id frequenter fiat,

fiat, leuem inducit suspicionem malæ credentiæ.

26 Pœna communicantis cum infidelibus & Iudæis in dictis casibus prohibitis, in iure statuta est, vt clericus deponatur, laicus verò excommunicetur, non tamen excommunicationem incurrit ipso facto. *d. cap.* Nullus. Azor *d. cap.* 22. *quæst.* 2. Sanch. *num.* 4.

CAPVT XXXVII.

De infidelibus contra fidem Christianam delinquentibus.

1 ECclesia habet potestatem, per quam licitè potest vbique & quibuscumque infidelibus fidem Catholicam prædicare: & hoc negare hæreticum est. Matthæi *cap.* 24. *num.* 14. Marci *vlt. num.* 15.

2 Ecclesia habet non solùm permissiuam facultatem, sed etiam habet ius cum speciali potestate prædicandi Euangelium vbique. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Victoria *relect.* 1. *de Indis part.* 2. *num.* 9. Soto *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica, art.* 10. Suar. *tract.* 1. *de fide dist.* 18. *sect.* 1. *num.* 2.

3 Ecclesia habet ius defendendi prædicatores suos, & expugnandi eos, qui per potentiam & vim, prædicationem impediunt, seu non permittunt. Maior. *in* 2. *dist.* 44. *quæst.* 3. Victor. *citato loco.* Suar. *num.* 4. *d. sect.* 1.

4 Potestas mittendi prædicatores iure ordinario est in pastoribus Ecclesiæ, per delegationem au-

dis, vel vendendis cum Iudæis, vel infidelibus contractus inire. Sylueſt. *quæſt.* 1. *dicto* 7. Azor *d. cap.* 22. *quæſt.* 4. Sanch. *num.* 23, *d. cap.* 3.

19 Spectata ſpecialis iuris prohibitione, licitum eſt fidelibus iuſtum bellum gerentibus, aduocare in adiutorium quoſcumque infideles. Regulariter nefas eſt id facere, propter ſcandalum & ſtragem in religione, moribus, & re familiari. Molin. *tom.* 1. *de iuſt diſp.* 112. Bañ. 2. 2. *quæſt.* 40. *art.* 1. *dub.* 3. Azor *d. lib.* 8. *cap.* 25. *quæſt.* 13. Sanch. *num.* 24. *dict. cap.* 31.

20 Nonus; ſeruitutis vinculo ſubiici Iudæis. *d. cap.* Ad hæc. Decimus; Iudæos publicis officiis fungi inter Chriſtianos (*cap.* Conſtituit. 17. *quæſt.* 4.

21 Vt fideles cum infidelibus in prædictis caſibus communicare poſſint, ſolus Summus Pontifex diſpenſat, ſtando in terminis iuris, non verò Epiſcopi. Tabiena *verbo* Infideles. *quæſt.* 7. *num.* 8. Sanchez *num.* 27. *dict. cap.* 31.

22 Communicare cum infidelibus, vel hæreticis in iis quæ ad eorum ritus ſpectant miniſtrando abſque vlla iuſta cauſa excuſante, idololatriæ vel hæreſis actus eſt, & contra hoc facientem, vt contra hæreticum vel idololatram procedi poteſt.

23 Vendere infidelibus ea quibus indifferenter vti poſſunt, abuſuris tamen in ſuis ritibus, ſi abſque cauſa id fiat, inducit leuem ſuſpicionem contra fidem.

24 Qui veſcitur azyma Iudæorum, vel idolothyta abſque neceſſitate, vehementer redditur ſuſpectus de fide.

25 Communicare cum Iudæis vel infidelibus in aliis caſibus hic non numeratis, ſi id frequenter fiat,

fiat, leuem inducit suspicionem malæ credentiæ.

26 Pœna communicantis cum infidelibus & Iudæis in dictis casibus prohibitis, in iure statuta est, vt clericus deponatur, laicus verò excommunicetur, non tamen excommunicationem incurrit ipso facto. *d. cap.* Nullus. Azor *d. cap.* 22. *quæst.* 2. Sanch. *num.* 4.

CAPVT XXXVII.

De infidelibus contra fidem Christianam delinquentibus.

1 ECclesia habet potestatem, per quam licitè potest vbique & quibuscumque infidelibus fidem Catholicam prædicare: & hoc negare hæreticum est. Matthæi *cap.* 24. *num.* 14. Marci *vlt. num.* 15.

2 Ecclesia habet non solùm permissiuam facultatem, sed etiam habet ius cum speciali potestate prædicandi Euangelium vbique. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Victoria *relect.* 1. *de Indis part.* 2. *num.* 9. Soto *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica, art.* 10. Suar. *tract.* 1. *de fide disp.* 18. *sect.* 1. *num.* 2.

3 Ecclesia habet ius defendendi prædicatores suos, & expugnandi eos, qui per potentiam & vim, prædicationem impediunt, seu non permittunt. Maior. *in* 2. *dist.* 44. *quæst.* 3. Victor. *citato loco.* Suar. *num.* 4. *d. sect.* 1.

4 Potestas mittendi prædicatores iure ordinario est in pastoribus Ecclesiæ, per delegationem au-

tem in iis tantum, qui legitimè mittuntur. Suar. *num.* 5. *d. sect.* 1.

5 Ius supremum, absolutum & vniuersale mittendi prædicatores ad infideles est in solo Summo Pontifice, in Episcopis verò limitatur inter certos terminos sui territorij. Suar. *num.* 6. *d. sect.* 1.

6 Ius defendendi hanc potestatem per coactionem & bellum, si necessarium fuerit, solius est Summi Pontificis, quod exequitur per Reges, & Principes, quibus potest præcipere, vt illam curam assumant. Suar. *num.* 7. *d. sect.* 1.

7 Si infideles semel & iterum rogati nolint admittere prædicatores, & resistant, ingressumque ad prædicandum concedere nolint, cogi possunt, ac mitti prædicatores cum sufficienti exercitu ad ipsos defendendos, non verò vt cogant ad fidem. Suar. *num.* 10. *d. sect.* 1.

8 Licitum est Christianis Principibus cogere infideles sibi subditos ad fidem audiendam. Pezantius, & Bañ. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Suar. *d. disp.* 18. *sect.* 2. *num.* 3.

9 Nullo modo licet Principibus secularibus infideles non subditos cogere ad fidem audiendam. Suar. *num.* 6. *d. sect.* 2.

10 Infideles non apostatæ, tàm subditi, quam non subditi, ad fidem suscipiendam directè cogi non possunt, etiam si sufficientem illius propositionem habuerint. S. Thom. *d. art.* 8. & 12. Soto *in* 4. *d. quæst.* 41. *art.* 3. Syuest. *verbo* Baptismus. 4. *quæst.* 6. Suar. *d. disp.* 18. *sect.* 3, *num.* 4. & *sequentibus*.

11 Coactio indirecta circa infideles subditos non est illicita, si debitis circunstantiis vestiatur; videlicet

delicet quòd non interueniat aliqua iniustitia, & quòd sufficienter probetur conuersionem esse veram; hoc tamen non fiat frequenter. S. Anton. 2. *part. tit.* 12. *cap.* 2. Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 10. *pun.* 6. Suar. *d. sect.* 3. *num.* 8. *& seqq.*

12 Coactio indirecta reperitur in hoc, quòd infidelibus, ad hoc vt conuertantur, maiora imponantur tributa, augeatur pœna delinquentibus, dummodo tamen iustitia seruetur, expellere infideles à Regno, & si sint peregrini, non permittere vt domicilium accipiant. Suar. *num.* 9. *d. sect.* 3.

13 Infideles non subditi per se loquendo non possunt cogi ad suos errores, vel ritus mutandos, per accidens tamen in defensionem innocentis possunt, vt si velint sacrificare idolis innocentem. Victor. *dict. relect. num.* 40. Soto *in* 4. *dist.* 5. *quæst. vnica art.* 10. Couarr. *in regul.* Peccatum. *part.* 1. §. 10. *num.* 3. Suar. *d. dis.* 18. *sect.* 4. *num.* 3. *&* 4.

14 Infideles subditi Principibus Christianis cogi possunt ad non profitendos errores contra rationem naturalem, & contrarios fidei, vt ad non colenda idola, sed vnum tantum Deum. S. Thom. *d. art.* 8. Suar. *num.* 6. *d. sect.* 4.

15 Ritus infidelium, qui sunt intrinsecè mali, aut contra rationem naturalem, tolerari non possunt in terris Christianorum. Alij verò ritus, qui solùm fidei repugnant, tolerari possunt cum nonnullis moderationibus. Prima; vt non exerceantur cum scandalo fidelium. Secunda; vt nouas Synagogas non erigant, licet conseruent antiquas. Tertia; vt Synagogæ ablatæ, & in Ecclesias consecratæ non restituantur. Quarta; vt non faciant aliquid, quod in lege eorum

scriptum non sit. Quinta; vt non habeant Synagoga Ecclesiis Christianorum coniunctas. Sexta; vt in die Parasceues in domibus maneant, ianuis & fenestris clausis. Septima; vt non habeant Iudæi Thalmud, libros Rabbinorum, qui scripturas Sacras corruperunt; libros autem antiquorum, qui sine odio Christianæ religionis scripti sunt, habere poterunt. Suar. *d. sect. 4. num. 9. & seqq.* Azor *Sum. tom. 1. lib. 8. cap. 21. quæst. 12. vers.* Item communis est opinio. Peñ. *ad Eymer. 2. p. Direct. quæst. 46. comment. 71.*

16 Nonnulli sunt casus, in quibus Episcopi, & Inquisitores procedere possunt contra Iudæos & infideles non baptizatos, contenti in Bulla Gregorij XIII. relata per Peñ. *in fine Direct. pag. 179. ex impressione Romæ facta anno 1585.*

17 Primus; si quis Iudæus aut infidelis in iis quæ circa fidem cum illis sunt communia, veluti vnum Deum, & æternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerint, prædicauerint, vel priuatim alicui insinuauerint. Eymeric. *in Direct. p. 2. quæst. 46. vbi* Peñ. *comment. 71.*, Azor *d. quæst. 12. vers.* Si quis Iudæus. Farinat. *de hæres. quæst. 178. §. 6. num. 146.*

18 Secundus; si dæmones inuocauerint, consulerintve, aut eorum responsa acceperint, vel ad illos sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamve causam dicauerint, aut aliquid eis immolauerint, vel thuris alteriusve rei fumigationes obtulerint, aut alia quæuis impietatis obsequia præstiterint. Azor *d. cap. 22. quæst. 12. vers.* Si dæmones. Farin. *d. num. 146.* Eymer. *& Peñ. citatis locis.*

19 Tertius; si Christianos verbo, facto, vel exemplo,

plo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerint, vel ad ea perpetranda perduxerint, aut perducere attentauerint. Azor *d. quæst.* 12. *vers.* Si Christianos.

20 Quartus; si Saluatorem Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremve Dei non esse virginem, & & alias huiusmodi blasphemias, quæ per se hæreticæ dici solent, in Christianæ fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerint. Azor *d. quæst.* 12. *vers.* Si Saluatorem.

21 Quintus; si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio vel fauore aliquis Christianus à fide desciuerit, quamque semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudæorum seu aliorum infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit, vel redierit, seu in hæresim aliquam inciderit, aut qui vt Christi fidem abneget, seu in hæresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodocumque præstiterit. Azor *d. quæst.* 12. *vers.* Si cuius Farinat. *dicti.* §. 6. *num.* 143. Peñes. 2. *part. Director. ad quæst.* 44. *comment.* 69.

22 Sextus; si quis cathecumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus, Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo, facto, aut quocumque alio modo eius voluntatem, à fide, vel fidei institutione, aut à sacra Baptismi susceptione retrahere, auertere, vel dehortari, aut ne ad fidem veniat, neve regenerationis lauacro abluatur, quouis modo impediuerit. Azor. *d. quæst.* 12. *vers.* Si quis cathecumenum.

23 Septimus; si quis apostatas, hæreticosve

scienter in domo sua receptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria vbicumque præbuerit, aut dona, vel munera dederit, vel miserit, aut de loco ad locum eos deduxerit vel associauerit, vel deducendos aut associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces comitesve illis adiunxerit, vel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit; quique dictos apostatas, aut hæreticos scienter occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium vel fauorem quomodolibet præstiterit. Azor *dict. quæst.* 12. *vers.* Si quis apostatas. Simanch. *catholic. tit.* 35. *de Iudæis num.* 11. Farin. *de hæret. quæst.* 182. §. 4. *num.* 66. *& quæst.* 178. §. 6. *num.* 143. *& sequenti.* Eymer. 2. *part. Direct. quæst.* 45.

24 Octauus; si quis libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, vel diuulgauerit, vel in quæcunque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accommodauerit. Azor *d. qu.* 12. *vers.* Si quis libros.

25 Si quis Christianos deriserit, redemptionisque nostræ hostiam salutarem in ara crucis immolatam Christum Dominum ludibrio, & despectui habens, quandocumque, maximè verò in sacro Parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamque conspuerit, siue quid aliud contra ipsam fecerit. Azor *vers.* Si Christianos *quæst.* 12. Simanch. *in Enchiridio tit.* 35. *de Iudæis num.* 11. Farin. *d. num.* 133. *&* 178.

26 Decimus; si nutrices Christianas contra sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificum sanctiones adhuc retinuerit, aut eas

retinens

retinens ea die, qua sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, vel ailis sequentibus diebus lac in latrinas, cloacas, vel alia loca effundere coegerit. Azor *vers.* Si nutrices. *d. quæst.* 12.

27 Iudæi transeuntes ad Saracenos, seu ad alios infideles, vel è contra, non puniuntur ab Inquisitoribus, neque pro peccatis non concernentibus fidem. Decian *crim. lib.* 5. *cap.* 10. *num.* 34. Peñ. 2. *p. Direct. ad quæst.* 44. *comment.* 69. Farinat. *d. quæst.* 178. *num.* 132. & 133.

28 Si hæreticus transeat ad Iudaismum, vel Paganismum, puniri potest ab Inquisitoribus, quamuis non habuerit instructionem circa fidem Catholicam Romanam, sed solum circa Christum, cuius fidem per baptismum profitetur, quia per baptismum ad Ecclesiam pertinet, à qua recessit per veram & formalem apostasiam.

29 Pœna, quæ prædictis infidelibus imponi debet, est arbitraria, maior vel minor pro qualitate delicti, videlicet pœna priuationis communicationis cum Christianis, pecuniaria, carceris, verberum, remigandi etiam in perpetuum; tradi præterea possunt curiæ seculari vltimo supplicio puniendi. *d. Constitutio* Greg. XIII. *num.* 16. *citat.* Peñ. *d. com.* 69. Azor *d. quæst.* 12. *vers.* Et subiungitur. Farin. *d. quæst.* 178. *num.* 146.

30 In punitione prædictorum infidelium, quando iurisdictioni Inquisitorum subiiciuntur, neque Inquisitor sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore procedere possunt. Peñ. *d. comment.* 69. Farinat. *num.* 147.

CAPVT XXXVIII.

De diuinationibus, & sortilegijs.

1 DIuinatio communiter dicta, est *quædam prænuntiatio futurorum.* Huius tres sunt partes. Quædam est diuinatio, quæ à Deo dimanat, & hæc dicitur Prophetia. Altera est naturalis, quæ à causis & signis naturalibus procedit, & appellatur Præsagium. Quædam est dæmoniaca, quæ dicitur Sortilegium. S. Tho. 2.2. *quæst.* 95. *art.* 1. *vbi* Raph. de la Torre.

2 Diuinatio, seu prænotio futurorum quæ à Deo procedit, certissima est: & hoc negare hæresis est manifesta.

3 Nullæ naturæ creatæ potest inesse naturalis vis prænoscendi certò & infallibiliter futura, quæ non habent determinatam omnino causam: secundùm tamen rationem causæ coniecturari possunt nonnulli effectus naturales. S. Thom. Torre. *disp.* 2. *ibidem.*

4 Fatui, stupidi, amentes, dormientes, moribundi, & atra bile abundantes, aliquando diuinant quosdam effectus ex causis naturalibus procedentes, Torre *d. disp.* 2. *ad* 3. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 24. *quæst.* 4. *vsque ad* 8.

5 Qui atra bile abundat, & melancholici, facilius à dæmonibus rapiuntur, & ea prædicunt, quæ ab ipsis dæmonibus sciri possunt. Torre *d. disp.* 2. *ad* 5. Azor *quæst.* 8. *d. cap.* 24.

6 Diui-

6 Diuinatio dæmoniaca, quæ sortilegium dicitur, est *prænuntiatio futurorum*, seu *occultorum euentuum indebitis modis minimèque à diuina prouidentia constitutis*. S. Thom. *d. art.* 1. *vbi* Torre, Azor *d. lib.* 9 *cap.* 12. *quæst.* 1. Sanch. *Decal. lib.* 2. *cap.* 38. *num.* 1.

7 Hoc diuinationum seu sortilegiorum genus semper innititur auxilio dæmonis per pactum, siue expressum, siue tacitum implorati. S. Thom. *art.* 2. *& 3. & Opusc.* 25. *cap.* 3. Sanch. *d. cap.* 38. *num.* 3.

8 Imploratur auxiliũ dæmonis, seu fit cum ipso pactum expressum, seu explicitè, vel quando dæmon expressis verbis inuocatur, vel quando ipsomet facto inuocatio fit; sicut quando quis sciens dæmonem per aliquod signum respondere, aut aliquid facere, tale signum adhibet. Torre *d. quæst.* 95. *art.* 4. *disp.* 1. del Rio *lib.* 4. *disquisit. mag. cap.* 2. *quæst.* 5. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstitione cap.* 9. *num.* 9. *& sequentibus.* Sanch. *d. num.* 3.

9 Tacitè fit pactum, seu imploratur auxilium dæmonis, quando qui rem soli Deo reseruatam mediis vanis & indebitis procurat, quibus dæmon libenter se permiscet; vnde consequenter vult dæmonis implorare auxilium. Doctores *proximè citatis locis.*

10 Ad pactum tacitum non exigitur, quòd aliquis prius cum dæmone pactum inierit sese immiscendi cum his vanis & indebitis mediis à quocumque adhibitis: sed satis est, quòd vtatur illis ad effectum aliquem adipiscendum. Victoria *relect. de magia quæst.* 6. *num.* 28. Caietan. *in Sum. verbo* Incantatio. Sanch. *num.* 5. *d. cap.* 38.

11 Non excludit pactum tacitum, qui vtitur illis vanis

lis vanis & inutilibus, quamuis dicat explicitè inire se nolle pactum cum dæmone: si adhuc vult vanorum mediorum experiri effectus. Suar. *d. c. 9. num.* 17. Sanch. *num.* 4. *dict. cap.* 38.

12 Pactum tacitum cum dæmone tunc in aliquo facto dari præsumitur, quando non est proportio rei cognoscendæ, vel faciendæ ad medium, quo cognosci, aut fieri procuratur; vt quando vnum ex alio sufficienter non infertur. Si verò proportio detur, & vnum ex alio sequatur, non præsumitur. S. Thom. *art.* 5. del-Rio *dict. cap.* 2. *quæst.* 3. Suar. *d. cap.* 9. *num.* 2. *& sequentibus.* Sanch. *d. cap.* 38. *num.* 10.

13 Præsumitur etiam pactum ex parte modi cognitionis, quando scilicet quæritur cognitio omnino certa, aut certior, quam haberi potest, pensata natura causæ, liberi videlicet arbitrij, & defectibilium causarum concurrentium. Secùs verò si sola coniecturalis cognitio quæratur. S. Thom. del-Rio. Suar. & Sanch. *proximè citat. loc.*

14 Præsumitur item pactum, si seriò per media illa vana cognitio occultorum indagetur, vel effectus supra naturam ipsorum mediorum procuretur. Aliter autem si solius ioci, aut vanitatis causa prædictis mediis quis vtatur. Caietan. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. *vers.* Ad euidentiam huius. del-Rio *dict. cap.* 2. *quæst.* 3. Sanch. *dict. num.* 10

15 Diuinationis, seu sortilegij malitia in eo sita est, quòd creaturæ quodammodo tribuatur cultus Deo debitus, siue dæmonibus sacrificium offeratur, siue implorentur ad aliquid faciendum vel cognoscendum, siue hoc naturalem eorum virtutem excedat, siue non S. Tho. *d. q.* 95. *art.* 2. Sanc. *n.* 2. *& 9. d. c.* 38.

16 Faciens

16 Faciens pactum expressum vel tacitum cum dæmone, quodammodo apostatare videtur à Deo, ineundo fœdus cum eius inimico, contra illud quod professus est in Baptismo. Sanch. *num. 6. d. cap. 38.*

17 In conficiendo expressum pactum cum dæmone, aliquando interuenit idololatria, vt si dæmoni exhibeatur cultus soli Deo debitus, aut ceremoniæ in Deum tantùm ordinatæ. Aliquando interuenit idolodolia, vt si dæmon solo Sanctorum cultu propter excellentiam suæ naturæ & scientiæ colatur. Aliquando interuenit promissio renuntiandi Baptismo, & Christo, & quòd soli dæmoni obedientia præstabitur: & hoc ad apostatam spectat. Aliquando creditur dæmoni aliquid dicenti; & tunc si tamquam veritati infallibili, aut res credita sit contra fidem, erit hæresis crimen. Sanch. *dict. cap. 38. num. 36.* Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstitione cap. 8. num. 22. & sequentibus.*

18 Diuinatio, in qua interuenit explicitum pactum cum dæmone, neque excusatur à culpa mortali, neque à suspicione contra fidem, secundùm modum & qualitatem pacti. Valent. 2. 2. *disp. 6. quæst. 12. punct. 4.* del-Rio *dict. cap. 2. quæst. 4.* Sanch. *num. 17. dict. cap. 38.*

19 Diuinatio, quæ solùm includit pactum implicitum, excusari potest à culpa mortali ratione ignorantiæ, quæ nec affectata, nec nimis crassa sit, & aliquando suspicionem leuem vel vehementem excludit. del-Rio *dict. quæst. 4.* Sanch. *num. 19.* Torre *de relig. tom. 2. quæst. 95. art. 2. disp. 2.*

20 Diuinationis duæ sunt species: altera, in qua est pactum expressum cum dæmone: altera, in qua solum-

solummodo est pactum tacitum. S. Thom. *vbi suprà art.3.vbi* Torre *disp.vnica concl.*1.Sanch.*d.cap.*38.*num.* 12.del Rio *d.cap.*2.*quæst.* 5.

21 Diuinatio, in qua est sola tacita dæmonis inuocatio,diuiditur in eam,quæ habetur ex consideratione alicuius dispositionis naturalis existentis in quibuscumque rebus,& in eam, quæ quæritur ex dispositione eorum, quæ homines consultò faciunt. S. Thom.*d.art.3.vbi* Torre.Sanch.*num.*13.*d.cap.* 38.

22 Diuinatio in qua interuenit pactum expressum, quæ generali nomine dicitur Necromantia, continet sub se nouem species, vel quasi species. S. Thom.Sanch.*num.*12.*proximè citatis locis.*

23 Prima species Necromantiæ est prestigium, *cùm dæmon præstigiosis quibusdam apparitionibus se sensibus hominum ingerit ad occulta prænuntianda.*Secunda; diuinatio somniorum, *quando per somnia prædicit.* Tertia;Necromantia strictè dicta, *quando per mortuorum apparitionem,vel locutionem.* Quarta;diuinatio per pythones,*quando per homines viuos.*Quinta Geomantia, *quando per aliquas figuras vel signa ex corpore terrestri formata.*Sexta;Hydromantia, *si per aquam.* Septima;Aëromantia,*si per aërem.*Octaua; Pyromantia, *si per ignem.*Nona; Aruspicium, *si per viscera animalium immolatorum in aris dæmonum.*

24 Sub diuinatione, quæ habetur ex consideratione alicuius dispositionis naturalis existentis, quæ generali nomine dicitur Augurium,continentur aliæ nouem quasi species.S.Thomas,Torre, Sanch.*num.* 13.*citatis locis.*

25 Prima est Genethlia, seu diuinatio Astrologorum,*ex consideratione,situs & motus syderum.*Secunda;Au-

da; Augurium strictè dictum, *ex vocibus animalium, aut hominum sternutatione.* Tertia, Auspicium, *ex auium volatu, aut quorumuis animalium motu.* Quarta, Omen, *ex hominum vocibus præter intentionem dictis.* Quinta, Onirocrita, *ex somniis.* Sexta, Physiognomia, *ex signis totius corporis humani, præcipue faciei.* Septima, Spatulomantia, *si ex spatulæ signis.* Octaua, Metoposcopia, *si ex fronte.* Nona, Chiromantia, *si ex manuum lineis.*

26 Sub diuinatione, quæ fit ex dispositione eorum, quæ homines consultò faciunt, quæ generali etiam nomine diuinatio per sortes dici potest, duæ species continentur. Doctores *proximè citati.*

27 Prima est Geomantia, *cum ex punctorum protractione cognitio quæritur.* Secunda, Sortilegium, seu *diuinatio per sortes* strictè dicta. De his omnibus dicendum est in sequentibus.

CAPVT XXXIX.

De diuinationibus in quibus interuenit pactum explicitum, & primò de Præstigio.

1 PRæstigium est *diuinatio, quæ promanat ex præstigiosis dæmonum apparitionibus occulta homines docentium.* Torre *de relig. tom. 2. quæst. 95. art. 3. disp. vnica, tit. de præstigio.*

2 Dæmones dupliciter apparere solent ad reuelandum occulta. Primò, in corpore assumpto, siue corpus illud ante assumptionem præexistat, siue ab ipsis producto, applicando actiua passiuis, siue efformando

mando illud ex aere, siue immutando sensus, ac si ab obiectis mouerentur. Secundò, efformando voces nullo efformato corpore. Torre *loco cit.*

3 Procurare vt dæmones nobis appareant, aut nobiscum loquantur, nullo modo licet, siue hoc procuretur, vt efficiant vel reuelent ea, quæ eorum virtutem excedunt, siue quæ in ipsorum naturali potentia continentur. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 4. *vbi* Torre *disp.* 1. Del-Rio *disquisit. mag. lib.* 2. *quæst.* 28. *sect.* 3.

4 Apparitiones & responsa dæmonum regulariter habentur præcedentibus sacrificiis, oblationibus, orationibus, aut alio cultu & honore eis exhibito.

5 Apparitiones & dicta dæmonum ex tribus capitibus cognosci possunt; vel ex parte rerum reuelatarum; vel ex parte circunstantiarum, reuelationum, & apparitionum; vel ex parte personæ cui fit apparitio, seu reuelatio. Del-Rio *lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 3. Torre *art.* 3. *disp.* 3.

6 Si apparitio, dictum, vel reuelatio non sit conformis sapientiæ quæ de cœlo est, à dæmone procedit; vt si suadeat aliquid falsum, vtpote contra fidem, sacram Scripturam, traditiones Ecclesiæ, sacros Canones, Concilia, leges communes diuinas, aut Ecclesiasticas. Torre *d. disp.* 3. Del-Rio *d. quæst.* 3 *sect.* 5.

7 Item, si suadeat aliquid contra virtutes, aut si persuadendo aliquod bonum, simul aut temporis successu aliqua misceantur impia; vel si excitat ad opera egregia, quando sunt perfectionum impeditiua, aut non congruunt professioni, officio, & conditioni personæ cui fit reuelatio; vel si moueat ad singularia & extraordinaria ieiunia, orationes, & cere-

monias

monias singulares. Torre *d. disp. 3.* del-Rio *d sect. 5.*

8 Ex parte circunstantiarum, colligi probabiliter potest apparitionem dæmoniacam esse, si lætitia quæ in initio apparitionis mentem occupauerat, postea in horrorem, aut mærorem vertatur; vel si timor aut horror qui à principio mentem inuasit, sensim non amoueatur, sed perseuerat. Torre *d. disput. 3.* del-Rio *d quæst. 3 sect. 6.*

9 Item, si quando aliquis prauis cogitationibus vexatur, statim ei fit reuelatio, vel si ad reuelationem praua desideria sequantur: præsertim si in ipsa pugna cum prauis tentationibus non appareat perfecta victoria ex parte voluntatis renitentis. Torre *d. disp. 3.* del-Rio *d. sect. 6.*

10 Item, si reuelata non eueniant, præsertim quæ erant vtilia & bona, indicium est fuisse à dæmone. Si reuelationes & apparitiones absque necessitate euulgantur, vt si necessitas quæ occurrit, non est spiritualis, sed temporalis & propria. Torre *d. disp. 3.* del-Rio *d. sect. 6.*

11 Item, si apparitio fiat in forma bestiarum, & monstruosa, vel si fiat in forma humana; aliqua in ea videantur deformia; vt si corpus sit atrum, fœtens, gibbosum, nates simæ, aut nimium aquilinæ, oculi flammantes, & similia. Torre *d. disp. 3.* del-Rio *d sect. 6*

12 Ex parte personæ cui fit reuelatio, colligitur apparitionem dæmoniacam esse aut fictam, vel saltem non facilè credendam. Primò, si persona sit hæretica, infidelis, vel apostata à fide, apparitio aut est ficta ab ea, vel facta à dæmone. Secundò, si habens reuelationem sit arreptitius, phreneticus, aut furiosus, si atræ bilis abundantia laborat, si vigiliis attenuatus,

nimis apprehensiuus, si ad decrepitam ætatem declinet, aut puer sit, aut fœmina, si aliquando à dæmone deceptus, aut in falsas reuelationes præcipitatus. Considerandi etiam sunt mores personæ, an perfectioni Euangelicæ conueniant. Torre *d. disp.* 3. del-Rio *disquis. mag. lib.* 4. *cap.* 1. *quæst.* 3. *sect.* 2. 3. & 4.

CAPVT XXXX.

De diuinatione somniorum necromantica.

1 NEcromantica diuinatio somniorum, (de aliis enim suo loco agemus) est *illa quæ prouenit à dæmonibus occulta in somniis homines edocentibus.*

2 Hæc somnia à dæmonibus procedunt, inuocatis per sacrificia, orationes, & cultum, vt contingit in lamiis, seu strigibus, quæ non semper realiter feruntur de loco ad locum, sed media vnctione sopore correptæ, in eodem loco manentes per somnia ea omnia eis repræsentantur, quæ postea se vidisse narrant. del Rio *disquisit. mag. lib.* 5. *sect.* 16. *num.* 4. & 5. Peñ. 2. *p. Direct. comment.* 68. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 16. *num.* 23. & *sequent.* Torre *tom.* 2. *de relig. disp.* 5. *præludio ad quæst.* 9 5. Sanch. *Decalogi lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 6.

3 Qui hanc habent societatem cum dæmonibus, vt in plurimum apostatæ sunt à fide, sicut lamiæ. Roias *singul.* 98. *num.* 6. Simanch. *catholic. tit.* 37. *de lamiis num.* 13. Farin. *de hæresi q.* 181. §. 1. *num.* 45. & 46.

4 Ad

4 Ad hoc diuinationum genus reduci potest Ars notoria, quam etiam Clauiculam Salomonis vocant, quæ ad acquisitionem omnium scientiarum, & ad cognitionem rerum occultarum vtitur inspectione quarumdam figurarum, & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis huiusmodi, quæ à superstitiosis talis artis professoribus explicantur. Ars hæc pactum includit cum dæmonibus. S. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *artic.* 1.

CAPVT XXXXI.

De Necromantia.

1 NEcromantia strictè dicta, seu vt species Necromantiæ generaliter accepta, est *diuinatio per mortuos*. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. *vbi* Torre *disput.* 3. *tit. de Necromantia.*

2 Necromantia tribus potissimum modis exercetur. Primò, cùm quis certa verborum forma, certis carminibus, descriptisque circulis, figuris, literis, aut characteribus à dæmone, mediatè, vel immediatè acceptis, ferè semper adhibito sanguine mortuos suscitare conatur, vt occulta manifestent. Torre *citato loco.*

3 Secundò, cùm quis animas defunctorum præfatis ceremoniis euocare procurat, vt occulta reuelent. Quæ diuinationis species dicitur etiam Psycomantia. Torre *citato loco.*

4 Tertiò; cùm quis ex descriptis lineis, figuris

& signis in mortuorum corporibus, vel ex certo cadauerum contactu vult occulta indagare. Torre *citato loco.*

5 Suscitatio mortuorum, quæ fit per necromantiam, falsa est & impossibilis, ac solummodo apparens. S. Thom. 1. *p. quæst.* 117. *art.* 4, *ad* 2. Torre *vbi supra disp.* 1. *concl.* 1. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 16. *num.* 13.

6 Transmutationes hominum in bestias, & productiones animalium perfectorum, quæ à magis seu necromantibus fiunt, etiam impossibilia sunt, & solùm apparentia. Suar. *d. cap.* 16. *num.* 6. & 14.

7 Euocationes animarum, quæ fiunt ministerio artis necromanticæ, vanæ sunt & fallaces, & responsa quæ dantur, à dæmone sunt. S. Thom. *d. solut. ad* 2. Suar. *d. num.* 14. & *seqq.* Torre *concl.* 6. *d. disp.* 1.

8 Diuinatio, quæ fit per figuras, vel contactum in cadaueribus, ex pacto cum dæmone fit: nec potest isto medio cognosci, nisi illud ad quod virtus naturalis dæmonum se extendit.

CAPVT XXXXII.

De diuinatione pythonica.

1 DIuinatio pythonica, seu per pythones ea est, *qua diabolus occulta prædicit per homines vinos.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. *vbi* Torre *tit. de diuinat. pythonica.*

2 In arreptitiis sæpe inuenitur diuinatio pythonica, arrepti namque à dæmone multa prædicunt. del-

del-Rio *disquis. magic. lib. 4. cap. 1. quæst. 3. sect. 2. vers.* Secundò. Torre *citato loco.*

3 Ad hoc diuinationis genus pertinet diuinatio oraculorum; nimirum responsiones datæ à dæmone certis in locis ministerio hominum viuorum. del-Rio *dict. lib. 4. cap. 2. quæst. 6. sect. 1.* Torre *vbi suprà.*

4 Ministri harum responsionum, & per quos dæmones responsa dabant, multis nominibus sunt vocati, vt Pythonici, Fanatici, &c. del Rio *sect. 1.* Torre *citatis locis.*

5 In arreptitiis raró interuenit pactum: in oraculis verò datur pactum expressum, & communicatio cum dæmonibus.

CAPVT XLIII.

De Geomantia dæmoniaca.

1 GEomantia *superstitio* est *diuinatoria, qua dæmonum industria occulta manifestantur ex signis factis in corpore terrestri.* S. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 3. vbi* Torre *tit. de geomantia.* del-Rio *lib. 4. disquisit. mag. cap. 2. quæst. 7. sect. 3. vers.* Quinta species.

2 Ad Geomantiam spectat diuinatio quæ fit per specula, per ensem leuigatum, crystallum, aut aliquem lapidem politum, per puncta descripta in terra, tabula vel charta, per vngues, quæ dicitur Onichomantia, & per annulos. del-Rio, & Torre *citatis locis.*

3 Geomantia dupliciter exerceri potest. Primò;

dæmone dante responsa per corpus terrestre invocato. Secundò; responsi loco, ostendente dæmone figuras, vel signa in corpore terresti. Torre *citato loco.*

4 Quando responsa per Geomantiam dantur à dæmone, aut figuræ aliquæ ostenduntur ad occultum aliquid manifestandum, semper precedit aliquis cultus dæmoni exhibitus includens pactum, vel illud supponens.

CAPVT XLIV.

De Hydromantia.

1 HYdromantia est *superstitio diuinatoria, qua dæmonum industria occulta manifestantur per aquam vel in aqua.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. *vbi* Torre, del-Rio *disquisit. mag. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 3.

2 Est hydromantiæ vsus in fontibus, vbi repræsentatur imagines in vase amplo aquæ pleno, iniectis laminis auri vel argenti, aut lapidibus pretiosis, & submurmuratis quibusdam incantatoriis verbis, audiuntur responsa de fundo vasis. Torre *vbi suprà.*

3 Fit etiam hydromantia, vtendo vase aquæ pleno, & puero vel puella virgine, iniectis in aquam paleis, pronuntiatisque determinatis verbis; & tunc puero vel puellæ in dicto vase representantur figuræ, ex quibus cognoscitur quod quisque scire vult. del-Rio *d. quæst.* 6. *sect.* 4.

4 Hæc diuinatio cum cultu dæmonum & pacto similiter exercetur.

CAP.

CAPVT XLV.

De Aëromantia.

1 AEromantia est *superstitio diuinatoria, quæ arte dæmonum per aërem occulta prædicit.* Quæ similiter pactum & cultum includit, regulariter non fit, nisi per apparitiones, quæ in aëre, vel ex aëre fiunt. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. *vbi* Torre *tit. de Geomantia.* del-Rio *disquisit. mag. lib.* 4. *cap.* 2. *quæst.* 6. *sect.* 4. *vers.* Septima.

CAPVT XLVI.

De Pyromantia.

1 PYromantia est *superstitio diuinatoria arte dæmonum occulta manifestans in igne.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 2. Torre *ibidem.* del-Rio *lib.* 4. *disquis. magic. cap.* 2. *quæst.* 7. *sect.* 1. *vers.* Tertia.

2 In pyromantia aliquando fiunt apparitiones in igne, vel audiuntur voces; aliquando vero ex sola figura flammæ, certis herbis & lignis, additis etiam certis characteribus & verbis, coniectatio fit. In primo modo semper aut saltem regulariter datur expressa dæmonis inuocatio cum cultu. In secundo verò, vt plurimum inuenitur pactum implicitum. Quod similiter contingit in aliis speciebus Necromantiæ.

CAPVT XLVII.

De Aruſpicio.

1 ARuſpicium eſt *diuinatio ſuperſtitioſa, quæ dæmonum arte ex animalibus in aris dæmonum immolatis occulta cognoſcuntur.* S. Thom. 2.2. *quæſt.* 95. *art.* 3. *vbi* Torre *tit. de Aruſpicio.* del-Rio *diſquiſ. magic. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.* 1.

2 Aruſpicium, ſeu ariolatio ſtrictè dicta, quæ necromantica eſt, fit ab ariolis preces emittentibus circa aras idolorum, illiſque ſacrificia offerentibus, dantur dæmonum reſponſa, & hic datur expreſſa inuocatio, & pactum explicitum. Torre *cit. loco.*

3 Sumitur etiam ariolatio pro diuinatione ex dictis animalibus immolatis, non ex conuentione facta cum dæmone, ſed tamquam ex quibuſdam vanis obſeruationibus. Et hæc ſolum includit pactum implicitum. Torre *vbi ſupra.*

4 Circa has nouem ſpecies diuinationis necromanticæ illud ſciendum eſt, quòd non ſemper in illis fit pactum expreſſum cum dæmone ab eo qui illas exercet, etiamſi expreſſè dæmon ipſe inuocetur, aut ei ſacrificium offeratur: ſemper tamen, ſaltem alius qui præceſſit, fecit huiuſmodi pactum, in illis ſaltem in quibus dantur apparitiones & reſponſa.

CAP.

CAPVT XLVIII.

De diuinationibus sine pacto explicito, & primò de iudiciarijs.

1 ASTrologia *ars* est, *quæ considerat cœlorum & astrorum, ac planetarum motus, eorumque situs & positiones, & ex eis effectus aliquos enunciat.* Quæ duplex est, naturalis scilicet, & iudiciaria. del-Rio *lib.4.disquis.magic.cap.3.quæst.1.* Sanch. *Decal.lib.2.ca.38.num.27.* Torre *tom.2. de religione ad quæstionem 95. artic.5.*

2 Astrologia naturalis ex dictis motibus, & positionibus considerat naturales effectus inde secutos: inter quos quidam sunt absolutè necessarij, vt eclipsis, coniunctiones & oppositiones planetarum: quidam solummodo necessarij necessitate physica, vt pluuiæ, grandines, venti, & similia. Doctores *citati.*

3 Astrologia iudiciaria ex prædictis positionibus & motibus coniectat euentus contingentes, fortuitos & liberos, præterita etiam ac præsentia occulta. Et hæc in quinque partes diuiditur. Doctores *citati.*

4 Prima pars iudicat de reuolutionibus, & prædicit totius anni vicissitudines, aëris salubritatem, pestes, morbos, caritatem & vbertatem annonæ, & similia. Secunda iudicat de rebus insignioribus, vt de legum mutationibus, de fundatione, euersione, & stabilimento Regnorum, de bellorum successibus, de religione, & similibus.

5 Tertia pars, quæ est natiuitatum, iudicat dē complexione nascentis, de statu, fama, honoribus, dignitatibus, officiis, diuitiis, paupertate, nuptiis, sobole, inimicis, ac denique de omnibus fortunis, aut infortuniis.

6 Quarta est de electionibus, & iudicat quid in singulis rebus consultò & vtiliter faciendum sit, quid omittendum, quando egrediendum domo, quandove manendum. Item iudicat de rebus furto sublatis, à quo ablatæ, & vbi absconditæ sint, & similibus.

7 Quinta agit de fabricandis imaginibus, sigillis, & annulis astronomicis ad varios effectus.

8 Astrologia naturalis, quæ solùm considerat naturales effectus, & Astronomia dicitur, licita est ac pars Philosophiæ. Suar. *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstit. cap.* 11, *num.* 2. Sanch. *num.* 28. *dict. cap.* 38.

9 Prima pars Astrologiæ iudiciariæ non est illicita, est tamen valde incerta hominibus, licèt secundùm se certitudinem aliquam contineat. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 5. *vbi* Torre *concl.* 1. Suar. *num.* 5. & 6, *dict. cap.* 11.

10 Secunda pars, tertia & quarta iudiciariæ, quę agant de rebus contingentibus & liberis, illicitæ sunt & superstitiosæ, si absolutè dicant res certò euenturas, aut in astris habere causam per se. S. Tho. *d. art.* 5. Suar. *num.* 13. & *sequentibus*. Torre *conclus.* 2. Sanch. *num.* 30. & *sequentibus*.

11 Non est ex se illicitum astrologo iudiciario, natiuitate pueri obseruata, ex stellarum & cœli dispositionibus coniectare temperamentum, & inclinationem naturalem futuram, & propensionem ad iram, mansuetudinem, ad hæc etiam & illa studia, & similia,

similia, in vniuersali tamen, non autem ponendo certitudinem aut magnam probabilitatem. S. Thom. *d. art.* 5. Suar. *num.* 8. *& sequentibus.* Sanchez *num.* 34. *citatis locis.*

12 Illicitum est vti arte iudiciaria ad cognoscendos effectus, qui ex Dei voluntate dependent, etiam secundùm coniecturas. Suar. *num.* 16. *d. cap.* 11.

13 Illicitum est etiam iudicare de præteritis vel præsentibus taliter occultis, vt humano modo sciri non possint. Alexander Alens. 2. *par. quæst.* 164. *membro* 6. *art.* 3. Suarez *d. cap.* 11. *num.* 27. Sanch. *num.* 36. *d. cap.* 38.

14 Affirmare, vel credere effectus ab astrologis iudiciariis euulgatos, maiorem habere certitudinem, quàm habent, reddit suspectum de pacto & societate cum dæmone. S. Thom. *d. art.* 5. Suar. *num.* 22. Sanc. *num.* 30. Sixtus V. *constitut.* 17. *apud Laertium tom.* 2. *Bullarum.*

15 Iudiciarius de futuris contingentibus à libera hominum voluntate pendentibus aliquid euenturum affirmans, etiamsi id se non certò affirmare asserat, ab Inquisitoribus, & Ordinario puniri potest canonicis pœnis, ac etiam aliis, secundùm eorum arbitrium. Sixtus V. *d. const.* 17. Sanch. *num.* 34.

16 Solummodo permittuntur iudicia astrologiæ iudiciariæ circa agriculturam, nauigationem & rem medicam. Sixtus V. *d. constit.* 17.

17 Imagines, figuræ, & sigilli, de quibus agit quinta pars iudiciariæ, sunt in duplici differentia. Quædam enim sunt necromanticæ, quædam verò astronomicæ. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 2.

18 In imaginibus & figuris necromanticis fiunt expressæ

expreſſæ inuocationes & præſtigia quædam, pertinéntque ad expreſſum pactum cum dæmonibus. Aſtronomicæ verò figuræ, ſeu imagines continent pactum tacitum per quædam figurarum, ſeu characterum ſigna. *S.* Thom. *d. art.* 2.

19 Imagines aſtronomicæ continentes pactum implicitum, ſunt omnes illæ, in quibus inſculpuntur figuræ, characteres, literæ, nomina, & ſimilia, quæ ex natura ſua nullam habent vim naturalem immutandi corpora. *S.* Thom. *d. art.* 2. *vbi* Torre *diſp.* 4. del-Rio *lib.* 1. *diſquiſit. mag. cap.* 3. *quæſt.* 1. Simanch. *cathol. tit.* 63. *num.* 22. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 40. *num* 50.

20 Sigillum in quo non attenditur ad figuram, neque in eo ſignum aliquod imprimitur, ſed ſola materia quæritur apta ad recipiendas cœleſtes impreſſiones, compactum & formatum ſub certa conſtellatione, poſitione & aſpectu ſiderum, licitum eſt, dummodo fiat ad effectum, qui virtutem cauſarum naturalium non excedat, Ferrar. 3. *contra gentes c.* 104. Torre *citato loco diſp.* 2.

21 Quando conſtat res naturales habere aliquas proprietates ad efficiendum aliquid, licitum eſt illis vti ad tales effectus. *S.* Tho. 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 2. Torre *ibi diſp.* 1. *concl.* 1.

22 Si probabiliter creditur res naturales habere virtutem ad aliquos effectus, & ad tranſmutanda corpora, licitum etiam eſt illas ad tales effectus aſſumere. Torre *cit. loc. concl.* 3.

23 Non caret ſuſpicione pacti taciti vti rebus naturalibus ad eos effectus, ad quos conſtat communi hominum iudicio non habere virtutem naturalem, præſertim ſi in earum vſu aliqua ceremonia admiſceatur.

miſceatur. Sanctus Thomas. *dict. artic.* 2. Torre *ibidem concluſione.* 2.

CAPVT XLIX.

De Augurio, Auſpicio, & Omine.

1 AVgurium, & Auſpicium in ſtricta ſignificatione, quod dicitur etiam Auigerium, vel Auigarium (nam amplè pro omni diuinatione ſumitur) eſt *diuinatio, quæ habetur ex auium volatu, garritu, aut paſtu*: & extenditur ad diuinationem ex aliorum animalium motibus, & mugitu, ſaltu, &c. vel ex hominum ſternutatione. Augurium tamen dicit cognitionem habitam per auditum; Auſpicium verò per vilum. S. Thomas. 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 3. & 7. *vbi* Torre.

2 Omen eſt *diuinatio, quæ attendit hominum verba abſque intentione diuinandi dicta quæ quis retorquet ad futurum, quod vult præneſcere.* S. Thom. *dict. art.* 7. *vbi* Torre *diſput.* 3.

3 Ex tribus cauſis prouenire poſſunt voces & motus animalium, vt ab illis auguria & auſpicia ſumantur ex inſtinctu naturæ ex Deo, vel angelo bono, & ex dæmone *S.* Thom. *dict. art.* 7. Torre *diſp.* 1.

4 Ex quibuſdam animalium vocibus, vel motibus coniici licitè poſſunt aliqui effectus naturales, quorum illa ſunt ſigna, vt pluuia, tempeſtas, ſerenitas, & ſimilia, S. Tho. *d. art.* 7. Torre *diſp.* 2. Azor *Sum. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 15. Sanch. *Decal. lib.* 2. *c.* 38. *num.* 38.

5 Con-

5 Coniectari etiam possunt ex prædictis vocibus & motibus animalium aliqui effectus naturales hominum, ad quos mouentur ab astris, debili tamen coniectura, vt ira, rixa, &c. Caiet. *ad d. 7. art.* S. Thom. Valent. 2. 2. *disp. 6. quæst.* 12. *punct.* 3. Sanch. *num.* 39. *dict. cap.* 38.

6 Debilior coniectura ex motibus humani corporis sumi potest, quàm ex motibus aliorum animalium. Valent. *citato loco.* Sanch. *num.* 41. *d. c.* 38.

7 Superstitiosa est diuinatio, quæ extenditur ad prædicendum ex his plura, quàm illa indicant, quæ si prænuntiet effectus liberos vel contingentes, pactum includit. S. Thom. *d. art.* 7. Sanch. *num.* 40. Torre *disp.* 3.

8 Superstitiosa similiter est diuinatio, quę ex iis, quæ homini casu contingunt, prædicit aliquid fæliciter, aut infęliciter illi euenturum, & pactum inuoluit. Azor *d. lib.* 9. *cap.* 22. *quæst. vnica.* Sanch. *num.* 42. *d. cap.* 38.

9 Ex vocibus hominum, quatenus significant, nulla sumitur coniectura effectuum contingentium & hoc ex illis prædicere superstitiosum est, & continet pactum cum dæmone. Valent. *dict. punct.* 3. Azor. *d. lib.* 9. *c.* 18. Sanch. *num.* 43. *d. cap.* 38.

10 Diuinatio ex prædictis vocibus, & motibus animalium, quæ mouentur à Deo vel angelis ad designanda futura vel occulta, licita est. Torre *dict. art.* 7. *disp.* 2. *dict.* 2.

11 Licitum est aliquando cognitionem expectare à Deo per aliquam vocem humanam præter intentionem dictam, oportet tamen diuinum percipere lumen, aut præceptum ad hoc, non tamen licet ex sola

ex sola credulitate de facili moueri ad opus. S. Thom. *dict. artic. 7. ad 3. vbi* Caietan. Valent. *dict. punct. 3.* Sanch. *num. 43.*

12 Diuinatio ex augurio aut auspiciis ex vocibus vel motibus, quæ fiunt dæmone docente, aut quoquo modo mouente, vt sint signa futurorum, illicita est, & pactum includit. Torre *d. disp. 2. d. 3.*

CAPVT L.

De diuinatione per somnia, quæ Necromantica non est.

1 SOmnium est *imaginatricis facultatis operatio, qua phantasmata siue simulacra quædam speculantur animali dormiente.*

2 Causa somniorum duplex est: altera interior somnianti, altera exterior. Rursus interior est duplex. Vna quæ procedit ab anima, & dicitur animalis, quando somnia eueniunt de rebus quibus in vigilia cogitatio valde fuit intenta. Altera, quæ corporalis vocatur, & prouenit ex temperamento corporis. S. Thom. 2. 2. *quæst. 95. art. 6.*

3 Causa exterior, quando nimirum imaginatiua ab extrinseco cogente mouetur, etiam est duplex, corporalis nempe, & spiritualis. Corporalis est aër ambiens dormientem, aut aliud elementum simile, vt corpora cœlestia. Causa spiritualis etiam duplex est; vna Deus per se, vel per angelos bonos: altera, dæmon. S Thom. *d. art. 6.*

4 Som-

4 Somnium significatiuum (nam de non significatiuis nihil ad nos) diuiditur in naturale proueniens à causa naturali; diuinum à Deo immissum; & dæmoniacum à dæmone procuratum. S. Thom. *d. art. 6. vbi* Torre *disp. 3.*

5 Licitum est obseruare somnia naturalia, quatenus bonam vel malam corporis affectionem, & morbos indicant. Azor *Sum. tom. 1. lib. 9. cap. 17.* Suar. *tom 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 13. num. 6.* Sanch. *Decal. lib. 2. cap. 38. num. 49.*

6 Obseruare somnia prauam aliquam affectionem indicantia, licitum est. Vt somnia quæ crebrò nos infestant, territant, & conturbant. Inuestigare etiam licet ex quibus causis accidant huiusmodi somnia, vt rationem inueniamus eam molestiam depellendi. del-Rio *lib. 4. disquis. magic. cap. 3. quæst. 6. conc. 3.* Suar. *d. num. 6.* Sanch. *num. 50. d. cap. 38.*

7 Obseruare somnia naturalia ad cognoscenda futura contingentia, vel libera, aut præsentia, vel præterita occulta, superstitiosum est, & pactum tacitum includit. S. Thom. *d. art. 6. vbi* Torre *tom. 2. disp. 5. dicto vlt.* Valent. *2. 2. disp. 6. quæst. 12. punct. 3.* Sanch. *num. 53.*

8 Ex somniis à Deo missis, siue per se, siue per Angelos bonos, sciri possunt futura contingentia vel libera, aut etiam præterita vel præsentia occulta. Torre. *d. disp. 5. dicto. 5.*

9 Ex somniis à dæmone procuratis sciri non possunt futura contingentia, aut libera: & huiusmodi somnia obseruare suspicionem societatis cum dæmonibus includit & pactum. Torre *dicto 6. d. disp. 5.*

10 Superstitiosum est, & pactum saltem tacitum cum dæmone includit, vti verbis, orationibus,

aut

aut certis quibusdam rebus capiti suppositis, vt per somnia, quid in aliquo negotio euenturum sit cognoscatur.

11 Somnia diuina & dæmoniaca iisdem regulis decernenda sunt, sicut & reuelationes, de quibus dixi *suprà cap.* 39. del-Rio *d. cap. 3. quæst. 6. concl.* 5. Sanch. *d. cap.* 38. *num.* 52. Torre *d. art. 6. disp. 6.* Suarez *num.* 21. *d. capite* 13.

12 Quando dubium est, an somnium à Deo vel à dæmone sit emissum, tutissimum est suspicari à dæmone esse, & consequenter contemni. del-Rio *d. qu. 6. post* 5. *conclusionem.* Sanch. *d. num.* 52.

CAPVT LI.

De Physiognomia, Spatulamantia, Metoposcopia, & Chiromantia.

1 PHysiognomia dupliciter accipitur: generaliter scilicet, vel specialiter. Generaliter sumpta, est *diuinatio sumpta ex consideratione constitutionis, & dispositionis totius corporis humani*, putà coloris, capillorum, capitis, pectoris, &c. præcipuè verò faciei. Specialiter accepta, est *diuinatio sumpta ex consideratione faciei.* del-Rio *lib. 4. disquis. magic. cap. 3. quæst.* 4. Torre *de relig. tom. 2. quæst. 95. art. 7. disp. 3. in notat. ante tit. de præsumpta diuinatione.*

2 Physiognomia generaliter dicta diuiditur in Physiognomiam modò diffinitam, Spatulamantiam, Metoposcopiam, & Chiromantiam. Torre *cit. loco.*

3 Spatulamantia est *diuinatio sumpta ex lineis & signis in scapulis, seu armo repertis.* Ad hanc reducitur omnis consideratio signorum in quocumque membro corporis, excepta facie, fronte, & manu. Sanch. *Decal. lib. 2. cap. 38. num. 13.* Torre *cit. loco.*

4 Metoposcopia, est *diuinatio sumpta ex signis in fronte repertis.* Chiromantia est *diuinatio sumpta ex signis in manibus inuentis.* Sanch & Torre *cit. locis.*

5 Vnaquæque istarum specierum diuiditur in naturalem & astrologicam, seu in eam, quæ de affectibus, & propensionibus diuinat; & eam, quæ de omnibus euentibus, & vita hominum agit. del-Rio *quæst. 5.* Torre *tit. de Chiromantia d. disp. 3.*

6 Physiognomia, & aliæ species quatenus naturales sunt, & ex signis ac dispositionibus membrorum probabiliter tantum coniectant humani corporis affectiones, ingenium, corporis temperiem, bonam vel malam valetudinem, licitæ sunt, & partes philosophiæ. del-Rio *d. cap. 3. quæst. 4. concl. vnica, & quæst. 5. concl. 1.* Sanch. *num. 44. d. cap. 38.* Torre *tit. de de physiognomica diuinatione assert. 1. & tit. Chiromantia, dicto 1. d. disp. 3.*

7 Ex regulis physiognomiæ, & aliarum specierum iudicare tanquam certum naturales illas affectiones, & dispositiones, vanum est: non tamen includit aliquod pactum. Torre *tit. de physiognomica diuinat. assertione 4.* del-Rio *d. quæst. 4.* Sanch. *d. num. 44.*

8 Physiognomia, & aliæ species, vt astrologicæ sunt, iudicantes de futuris euentibus contingentibus vel liberis, de facto & actuali hominis vita, ac de donis diuinis & gratuitis, falsæ omnino sunt, & includunt pactum cum dæmone. del-Rio *dict. quæst. 4. &*

quæst.

quæst.5.concl.2. Azor. *Sum.tom.1 lib.9.cap. 16.* Sanch. *dict.cap.38.num.45.* Torre *assert.2.& dict.2.cit.loc.* Peñ. *2.part.Direct.com.67.*

9 *Si* ex prædictarum specierum regulis tenuissima quadam coniectura iudicentur, seu colligantur propensiones ad aliquos actus, etiam ad eos qui liberè exercentur, vt ad auaritiam, venerem, vinum, &c. non erit illicitum. del Rio *d. quæst. 4. vers.* Vnde sequitur. Torre *assert. 3. d.tit. de physiognomica diuin.* Sanch. *num.46.d.cap.38.*

10 Ex his omnibus speciebus chiromantia minùs certa est, & inefficacior ad coniectandum: imò damnatur, & omnes libri & tractatus illius omnino prohibentur. Sixtus V. *constit. 17. apud Laertium tom. 2. Bullarum.* Index Romanus prohibitorius *regula 9.* Eymeric. *2.part.Direct.quæst. 29.*

11 Sub physiognomia generaliter dicta continetur etiam Vmbilicomantia, quæ est *diuinatio per vmbilicum.* Per hanc prædicunt obstetrices, quot partus puerpera sit in lucem editura, consideratis quibusdam nodulis vmbilici. Hæc tamen prædictio cùm antecedenter sit actus liber, superstitiosa est.

CAPVT LII.

De Geomantia iudiciaria astronomica.

1 GEomantia genus quoddam sortium est, quod fit per quamdam artificiosam punctorum protractionem ad occultorum cognitionem;

cùm autem in natura fundamentum firmum non habeat, vndequaque superstitionem continet, & pactum cum dæmone.

2 Geomantiæ vsus fit descriptis in solo vel tabula, aut charta sexdecim figurarum nominibus, sexdecimque punctorum, addditis diuersis coordinationibus, quæ nomina singula suis astris respondent, & protractis absque præmeditatione punctis, de occultis ac etiam futuris contingentibus iudicant, Del-Rio *lib.4.disquisit.mag.cap.2.quæst.7.sect.3.vers.* Quinta species. Torre *tom.2.de relig.quæst.95.art.8.in explanatione articuli, & disp.1.vers.* Hoc affertur.

CAPVT LIII.

De diuinatione per sortes.

1 SOrtes propriè sunt, *cùm aliquid ab homine fit, vt eius euentu considerato aliquid fiat aut innotescat.* S. Thom. *2.2.quæst.95.art.8.* Sanch. *Decal. lib.2.cap.38.num.56.*

2 Sortes in triplici sunt differentia: quædam sunt diuisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ denique diuinatoriæ. S. Thom. *dict.art.8. vbi* Torre *disp.2.* Sanch. *dict.num.56.*

3 Sortes diuisoriæ sunt, *quæ fiunt vt sortientes sciant quid cuique tribuendum sit in re aliqua de qua est controuersia, vt sine rixa & discordia res & controuersia finiatur.* Doctores *citati.*

4 Stando in solo iure naturæ sortes diuisoriæ sunt

unt licitæ, cùm sint quidam contractus humani. In quibus autem casibus iure humano prohibeantur, non est nostri instituti declarare. Sanch. *num.* 57. *usque ad* 84. Torre *dict. disp.* 2.

5 Si in sortibus diuisoriis dæmon inuocetur, aut expectetur quòd moueat manus extrahentium sortes, aut etiam si certò credatur ab astrorum influxu procedere quòd sors fæliciter eueniet, superstitio in illis inuenitur & pactum. S. Thom. *d. art.* 8. Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 2. *de superstitione cap.* 12. *num.* 16. del-Rio *lib.* 4. *disquisit. mag. cap.* 4. *quæst.* 1. Sanch. *num.* 64. *& sequentibus.*

6 Sortes consultoriæ sunt illæ, *quæ fiunt vt sciatur quid in aliquo negotio faciendum, cauendumve sit.* Quæ licèt rarò licitè exerceantur, non tamen fiunt cum pacto, nisi illarum iudicium expectetur à dæmone. S. Thom. *d. art.* 8. Sanch. *d. cap.* 38. *num.* 85. *& seqq.* Torre *d. disp.* 2.

7 Diuinatoriæ sortes sunt, *quibus aliquis vtitur ad occulta vel futura cognoscenda*, suntque illicitæ, & continent tacitam dæmonis inuocationem. S. Thom. *d. art.* 8. Sanch. *d. cap.* 38. *num.* 88. Torre *d. disp.* 2. Hoc diuinationum genus dicitur *Cleromantia.*

8 Sortes diuinatoriæ dupliciter fiunt, aut prolatis aliquibus verbis, siue notis siue ignotis, orationibusve aliquibus præmissis ante proiectionem, vel in ipsa proiectione sortis, aut sine prolatione verborum. Quæ verbis prolatis fiunt, cùm verba de se vitutem non habeant, nec constet à Deo illam habere, societatem & pactum continent cum dæmone de quacumque re fiant.

9 Sortes quæ mittuntur nullis prolatis verbis

aut orationibus, si fiant circa res contingentes aut liberas sub quacumque credulitate, non verò per iocum, pactum continent implicitum.

10 Sortes etiam, quæ sine verbis aut orationibus fiunt de rebus naturalibus, vt de pluuia futura, & similibus, non carent suspicione pacti, nisi ex leuitate aut ignorantia fiant, aut per iocum.

CAPVT LIV.

De vanis obseruantijs.

1 VAnæ obseruantiæ contingunt, quando mediis inutilibus, & à diuina prouidentia minimè constitutis, effectus aliquis procuratur. Vana obseruantia est *magia superstitiosa, qua commodum aliquod speratur ex re, quæ nec supernaturaliter eò pertinet, neque naturaliter id præstare potest.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 96. *art.* 1 *&* 2. del-Rio *lib.* 3. *disquisit. magic. in postrema parte quæst.* 1.

2 Vanæ & superstitiosæ obseruationes in hoc differunt à diuinationibus, quòd diuinationes ordinantur ad singularium & occultorum cognitionem. Obseruationes verò licèt habeant aliquid cognitionis admixtum, præcipuè tamen effectus externos, & commoditates aliquas respiciunt, videlicet vt aliquid obtineatur, aut vitetur, vel vt nocumentum aliquod inferatur. Torre *de religione tom.* 2. *quæst.* 96. *in principio vers.* Obseruationes istæ. Valent. 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 13. *puncto* 2. Sanch. *Decal. lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 14.

3 Vanæ obseruantiæ quandoque exercentur dæmone

mone expresse inuocato, quandoque verò non inuocato, sed se ingerente, & sic aliquando continent pactum explicitum, aliquando solum implicitum, semper tamen pactum includunt. S. Thom. 2.2. *quæst.* 96. *art.* 2. & *Opus.* 25. Sanch. *d. cap.* 40. *num.* 3. & 11. Torre *citato loco vers.* Nihilominus.

4 Semper committitur vitium vanæ obseruationis, & datur pactum, quando aliquid speratur à dæmone, siue eius excedat facultatem, siue non; siue etiam quando causa quæ applicatur ad effectum, sufficiens quidem est, modus tamen est vanus. Sanch. *num.* 8. *de cap.* 40.

5 Cognoscuntur probabiliter vanæ obseruationes tum ex insufficientia causæ adhibitæ ad effectum intentum, tum ex inutili & vana circunstantia adiuncta. S. Thom. *dict. quæst.* 96. *art.* 2. 3. & 4. Sanch. *num.* 9. *dict. cap.* 40.

6 Cùm difficile sit cognoscere virtutes causarum naturalium, quæ mirabiles aliquando effectus producunt, non est temere tribuendus superstitioni effectus, cuius causa manifesta non est. Victoria *de arte magica quæst.* 3. *num.* 7. del-Rio *lib.* 1. *disquisit. mag. cap.* 2. & 3 Sanch. *num* 42. *d. cap.* 40.

7 Quando non constat effectum excedere virtutem naturalem causæ, sed dubium est an superet illius facultatem, præsumendum est talem effectum à causa naturali prouenire. Sanch. *num.* 44. *d. cap.* 40.

8 Si constet effectum excedere causæ virtutem naturalem, præsumendum est esse à dæmone, nisi maxima operantis sanctitas, vel alia vrgentissima indicia suadeant effectum à Deo vel ab angelo bono prouenire. S. Thom. *d. quæst.* 96. *art.* 2. Simanch. *cathol.*

*tit.6 3.num.33.*Suar.*tom.1.de relig.lib.2.de superstit.cap.15.num.11.13.& 14.*Sanch.*d.num.44.*

9 Quando dubium est an aliquid superstitiosum sit, non erit illicitum id experiri protestatione præmissa, quòd si effectus est à dæmone, non est animus illo vti; erit tamen illicitum, si constet superstitiosum illud esse, quamuis protestatio præmittatur. Phyliarchus *de officio sacerdot.tom.1.part.2.lib.3.cap.11.concl.*4.Sanch.*num.25.d.cap.*40.

10 Inutilis & vana circunstantia illa est, quæ ex se non habet virtutem ad effectum intentum, vt obseruatio certorum dierum fastorum, vel infastorum, quòd verba tali hora, tali charta vel tali atramento scribantur nomina etiam ignota & obscura, characteres etiam ignoti, & similia.Sanch. *dict. cap.*40.*à num.*14.

11 Non reddit licitam hanc superstitionem experientia, quòd effectus per illam intentus eueniat. Sanch.*num.*10.*d.cap.*40.

12 In vanis obseruationibus, in quibus datur pactum expressum, non excusatur qui illas obseruat à grauissima culpa, & suspicione contra fidem. Valent.*d.quæst.*13.*punct.*1.Sanch.*num.*12.*d.cap.*40.

13 Quando solùm interuenit pactum implicitum, licèt operans non excusetur ex paruitate materiæ, excusari tamen potest ex ignorantia, quæ crassa vel affectata non sit, aut ex leuitate; quia credit tales obseruationes vanas esse. Valentia *punct.*3. Sanch.*num.*13.*d.cap.*40.

14 Innumeræ sunt obseruantiæ illicitæ, & quæ pactum aut expressum aut tacitum includunt cum dæmone. Nonnullæ referuntur à S.Thom.*d.quæst.*96.

&

& à Torre *ibi per aliquot disputationes*. Del-Rio *disquisit. mag. lib. 3. parte posteriori per aliquot quæstiones.*

CAPVT LV.

De adiuratione superstitiosa.

1 ADiuratio est, *aliquam personam imperando vel obsecrando inducere ad aliquid faciendum omittendumve inuocatione alicuius rei sacræ.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 90. *art.* 1. Armilla *verbo* Adiuratio. *num.* 1. Sanch. *Decal. lib.* 2. *cap.* 42. *num.* 1.

2 Adiuratio est duplex: quædam deprecatiua, quæ fit deprecando: altera imperatiua, quæ fit imperando. Sanch. *d. num.* 1.

3 Cùm res per quam fit adiuratio, debeat esse aliquod sacrum, fieri debet non per creaturas inferiores in natura aut in statu gratiæ, sed per Deum, Angelos, & Sãctos, ac etiam per iustos viatores. Sanchez *num.* 2. *d. cap.* 42. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract.* 5. *lib.* 4. *de adiuratione. cap.* 3.

4 Adiuratio imperatiua, seu coactiua dæmonum licita est per imperium, arcendo illos exorcismis ab Ecclesia ordinatis, ne hominibus, aut rebus suis noceant. Sanch. *d. c.* 42. *num.* 15. Bellarm. *tom.* 2. *de sacram. lib.* 1. *cap.* 25. Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. S.* Thom. *quæst.* 65. *art.* 4. *disp.* 15. *sect.* 4.

5 Adiuratio dæmonum deprecatiua, vt ob Dei nomen cessent à damno inferendo, vel vt beneficium aliquod præstent, etiamsi hoc vltimum imperatiuè

præcipiatur, illicita est, pactúmque & societatem cum dæmone includit. S. Thom. *d quæst. 90. art. 2.* Sylvest. *verbo* Adiuratio. *quæst. 7.* Suarez *dict. lib. 4. cap. 2. num. 8. & 9.* Sanch. *num. 19. & 22. d. c. 42.*

6 Quamuis non liceat adiurare dæmonem, vt scientiam aut cognitionem alicuius rei naturalis demonstret, si tamen illam doceat, licitum erit illa vti, dummodo in conseruari iam non pendeat à dæmonis ope. Del-Rio *disquisit. mag. lib. 2. quæst. 4. vers.* Pactum tacitum. Suar. *tom. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. num. 24. & cap. 17. num. 1. & 2.* Sanch. *num. 20. dict. cap. 42.*

7 Non licet adiurare dæmonem superiorem, etiam imperatiuè, vt inferiorem à corpore pellat, vel vt ab alio nocumento inferendo cesset. S. Thom. *art. 2. quæst. 90.* Soto *lib. 8. de iustit. quæst. 3. art. 2.* Suar. *d. lib. 2. cap. 18. num. 8.* Sanch. *d. cap. 42. num. 21. & 22.*

8 Licitum est adiurantí dæmonem in energumeno imperatiuè interrogare ea, quæ conducunt vt à corpore expellatur, vt nomen, causam, ingressum, & quot sint numero. Sylvest. *quæst. 5.* Valent. *2. 2. disp. 6. quæst. 8. puncto 2.* Sanch. *num. 23. d. cap. 42.*

9 Licitum est aliquando exorcistæ imperatiuè dæmonem in energumeno interrogare aliquam veritatem ad peculiarem Dei gloriam: hoc tamen facere debent sanctissimi viri, qui à Deo potestatem ad compellendos dæmones accepere. S. Thom. *2. 2. quæst. 95. art. 4. ad 1.* Soto *art. 2. ad 2.* Sanch. *num. 24. d. cap. 42.*

10 Interrogare dæmonem in energumeno vnũ vel alterum verbum tantum, non deprecatiuè, nec animo addiscendi, nec firmiter credendi, ac sine periculo, ne aliquod peccatum occultum detegat, sed so-

la leui-

la leuitatis causa, erit venialis culpa, aliàs erit mortalis. Sylvest. *quæst.* 5. *fin. & quæst.* 7. Valent. *d. quæst.* 8. *punct.* 1. Sanch *num.* 25. *d. cap.* 42.

11 Licitum est applicare aliquas herbas, aut medicinas, non quasi habeant virtutem ad dæmonem expellendum, sed ad medendum morbo, quo dæmoniacus à dæmone aliquando cruciatur; sicut etiam licitum est nonnulla facere in contemptum dæmonis, vt confundatur. Sanch. *num.* 29. *& sequent. d. cap.* 42.

12 Suspectus est de pacto cum dæmone, qui cùm exorcista non sit, munus exorcizandi sibi assumit quasi ex officio, & speciali Dei priuilegio; aut si exorcista peculiariter sibi vendicet virtutem expellendi dæmones; aut si aliis formis, & ritibus vtatur, quàm ordinatis ab Ecclesia; aut denique si vocibus ignotis vtatur, verbaque ad aures dæmoniaci proferat. del-Rio *post lib.* 6. *disquisit. magic. monit.* 10. Sanch. *d. cap.* 42. *num.* 35.

13 Vanum est adiurare creaturas irrationales, & insensibiles, dirigendo sermonem ad ipsas quasi ipsæ se moueant ad nocendum, sed adiurandæ sunt, vt ab alio mouentur deprecatiuè ad Deum, imperatiuè ad dæmonem. S. Thom. *d. quæst.* 90. *art.* 3. Sanch. *d. cap.* 42. *num.* 37. *&* 38. Valent. *d. quæst.* 8 *punct.* 2.

14 Superstitiosum est constituere se iudicem inter irrationalia vel insensibilia & plebeia, formando processum, & ferendo sententiam. Soto *lib.* 5. *de iustit. quæst.* 12. *art.* 2. *& lib.* 8. *quæst.* 3. *art.* 3. Sanch. *num.* 39. *d. cap.* 42.

15 Superstitiosi, ac suspecti de pacto cum dæmone, sunt, qui iactant se habere virtutem ac potestatem in nubes, & reliqua frugibus contraria ex cer-

to

to loco expellendi.del-Rio *post lib.6.monit.*11. Sanch. *num.*40.*d. cap.* 42.

CAPVT LVI.

Traduntur aliæ sortilegiorum species

1 VVlgares sortilegiorum species hactenus tradidimus, & quæ à doctoribus passim explicantur:ex aliis penè infinitis, quæ in necromanticorum libris reperiuntur,nonnullas numerabimus. vt Inquisitores ex earum notitia speciali reliquas facilè cognoscant,& in sacrilegæ necromantiæ professores seuerè animaduertant,

2 Antropomantia coniurationibus, suffumigationibus, & signaculis præmissis, pro victimis extis puerorum vtitur, vt ex his quæ vnusquisque vellet, præsciat.

3 Lecanomantia vtitur aqua exorcizata, & in peluim missa, vt aliquem dæmonem ibi submergat, qui modò resideat in fundo, & modò se erigat in altum,vt videatur,& interrogatis voce exili & obscura respondeat.

4 Gastromantia vtitur similiter aqua in vase vitreo, ac cereis accensis, ac obmurmuratis vocibus partim intellectis partim non intellectis, & puero, aut prægnante aquam inspiciente,vt rerum quæ sciri volunt,imagines inspiciat.

5 Captromantia, seu Capnomantia spiritus aërios in peluim quoque aqua redundantem, speculo tamen subiecto,ritibusque certis additis, solerter co-

git

git (sicut falsò credit) vt puero castitate pollenti, aut mulieri grauidæ vsque ad certum mensem in speculo ostendant notas rerum quarum cognitio inquiritur.

6 Onimantia iubet illinire fuligine & oleo pollicis vnguem, vel manus volam seu palmam in puero tenello, tacito susurramine verborum accedente, vt hinc speciem videat, aut imagines pro sua re conuenientes.

7 Ceromantia, facta euocatione ceram per ignē in aquam decidere facit, vt hìc singulares oriantur figuræ, ex quibus prænuntiat quid futurum sit circa aliquam rem.

8 Ichthiomantia docet qua ratione preculis additis ex piscibus sumpta esca rei successus demonstratur.

9 Onomantia, quæ & Arithmantia, seu Arithmomantia dicitur, prædicit mortem aut vitam ægrotantibus, prosperam vel aduersam fortunam, consideratis primis literis proprij nominis cum suis numeris, die Lunæ aut Solis, dictorum numerorum additione & subtractione, ac residuo totius subtractionis, & fit hoc per rotam, quam Pythagoræ vocant.

10 Tephramantia diuinatio est ex cinere, additis exorcizationibus, & literis in ipso cinere scriptis, quæ in verba coalescerent.

11 Botonomantia saluiæ foliis vtitur, inscripto rei quæsitæ nomine, clam obmurmuratis verbis ad declarandum furem, & furtum.

12 Sycomantia fici folium pro basi suæ diuinationis habet, verbis necromanticis, folium hoc imphiltratum.

13 Axi-

13 Axinomantia cognoscebatur culpæ alicuius reus, securi vel ascia infixa trunco, filoque suspensa perpendiculi more sub alicuius nomine: tunc ex motu significabatur innocensne an reus esset: alij idipsum diiudicabant ex prædictarum motu in aquam proiectarum.

14 Libanomantia ex thure igni addito fælicem vel abominandum coniectabat euentum: non tamen circa mortē aut nuptias quidquam scisscitari licebat.

15 Coscinomantia, dæmone vrgente per cribrum, diuinationem scisscitari docet, quis rei patratæ author sit, quis furtum commiserit, clibano per forficem suspenso, & deieratione seu adiuratione facta per ignota verba.

16 Clidomantia per clauem diuinatio est, cùm clauis inscripto nomine furis suspecti circumlata, & sacræ scripturæ libro alligata, digitisque virgineis sustentata sua rotatione, furtum (vt falsò aliqui existimant) indicat, susurratis quibusdam verbis.

17 Aliæ innumeræ superstitiones includentes pactum cum dæmone, quæ fiunt per verba, characteres, ac res aliquas naturales applicatas ad curationes & effectus mirabiles dignosci possunt, consideratis regulis à S. Thoma traditis. 2. 2. *quæst.* 96. quas latè exponit ibidem Raphael de la Torre per multas disputationes.

18 Prima; si voces, aut scripturæ contineant aliquod falsum, manifestum est effectus inde secutos à dæmone proficisci.

19 Secunda; si per orationem petatur, aut expectetur à Deo aliquid iniustum, & quouis modo peccatum, etiamsi verba, vel scriptura sint sancta, dubitari

tari non potest interuenire aliquod pactum cum dæmone.

20 Tertia; si vsurpentur characteres aut verba incognita, siue dicantur esse Dei, siue Angelorum, communiter nomina sunt dæmonum, aut ab eis conficta ad firmandum pactum cum magis.

21 Quarta; quando rebus, aut verbis sacris adduntur aliqua vana, profana, & incognita à dæmone medio pacto procedit effectus.

22 Quinta; quotiescumque adhibetur aliquid siue sacrum, siue naturale, quidquid illud sit, siue res siue verba ad aliquem effectum, ad quem constat non habere virtutem naturalem, neque diuinitus communicatam, credendum est interuenire ibi pactum cum dæmone.

23 Ex his deducitur superstitiosos & necromanticos esse sigillos, quos vocant & annulos cum imaginibus, characteribus necromanticis, vel etiam astronomicis cum nominibus ignotis aut etiam cognitis, ad quorum gestationem mirabiles effectus resultant. Raphael de la Torre *de relig. tom. 2. quæst. 96. art. 2. disp. 4. & art. 4. disp. 1. vers.* Eadem. Martin. Del-Rio *disquisit. mag. lib. 1. cap. 4. quæst. 1.* Suar. *de relig. tom. 1. lib. 2. de superstit. cap. 15. à num. 15. vsque ad 22.*

24 *Suspectæ* sunt de pacto ac superstitione curationes quæ fiunt prolatis quibusdam verbis sanctis, & communiter dicuntur *Ensalmos.* Torre *d. art. 4. disp. 1. vers.* Ad quartum respondetur, *& vers. sequenti.* Del-Rio *dicto lib. 1. cap. 3. quæst. 4.* Suar. *d. c. 15. à num. 23. vsque ad 27.*

25 Non carent etiam suspicione pacti illi, quos Lusitani *benzedores* vocamus, Hispani *saludadores*, si vtantur

vtantur in suis curationibus certis quibusdam verbis aut signis, si tamen non vtantur verbis, aut signis determinatis, & sint viri aliàs pij, præsumi potest in iis gratia gratis data. Del-Rio *d. lib. 1. cap. 3. quæst. 4. vers.* Dico Secundò, Suar. *d. c. 15. num. 25. & seqq.*

26 Cùm ea quæ tribus præcedentibus numeris explicantur suos habeant defensores, licèt nullo solido fundamento nitantur: qui illis vtuntur, non semper sunt suspecti de pacto, sed pro qualitate personæ, circunstantiarum ac modorum operandi pro illis, vel contra illos præsumendum est.

CAPVT LVII.

Quæ sortilegia, & diuinationes hæresim sapiant manifestè.

1 VVlgaris sortilegiorum ac diuinationum hæreticalium diuisio est in eas, quæ sapiunt hæresim manifestè, & in eas, quæ hæresim manifestè non sapiunt. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst. 42. vbi* Peñ. *comment. 67.* Del-Rio *disquisit. magicar. lib. 5. sect. 15.* Azor *Sum. tom. 1. lib. 9. cap. 26. quæst. 4.* Farinat. *tom. 1. quæst. 20. num. 79. & de hæresi quæst. 181. §. 1. nu. 2.* Torre *de religione tom. 2. quæst. 96. art. 4. disp. 2. tit. de qualificatione superstitionum.*

2 Sortilegia & diuinationes tàm quæ manifestè, quàm quæ non manifestè hæresim sapiunt, quædam fiunt cum expressa dæmonum inuocatione, quædam cum sola tacita. Torre *cit. loc.* Farin. *d. q. 20. n. 77.*

3 Expressa

3 Expressa dæmonum inuocatio tripliciter contingit. Primò ; exhibendo dæmoni latriæ cultum, vt adorare, sacrificare, iurare vel adiurare, sal in ignem proiicere, &c. Secundò; exhibendo cultum duliæ, vt nomina dæmonum inter nomina sanctorum vel angelorum numerare, cereos accendere, & per eorum nomina inuocare. Tertiò; inuocando absque vllo cultu, sed solùm vocando vt sapientem qui consulat, vt potentem qui adiuuet, siue in iis quæ ipse suis viribus potest, siue in iis, quæ eius vires excedunt. Torre *vbi suprà.*

4 Sortilegia aut sunt hæreticalia ex parte operantis, quando ipse præsumitur ex operatione vel modo operandi aliqua hæresi imbutus, aut sunt hæreticalia ex parte operis, quando ex ipso opere aliqua hæresis infertur.

5 Diuinationes & sortilegia, quæ fiunt cum inuocatione dæmonis, exhibendo ei cultum, siue latriæ, siue duliæ, sapiunt hæresim manifestè ex parte operantis; si verò per modum imperij vocetur, non semper hæresim sapiunt manifestè. Farinat. *d. quæst.* 20. *num.* 81. *&* 82. *& d. quæst.* 181. *num.* 67. *& sequentibus.* del-Rio *d. sect.* 15. *dicto* 6.

6 Sortilegia quæ fiunt à sortilego habente expressum pactum cum dæmone, sapiunt hæresim manifestè ex parte operantis. Del-Rio *axioma.* 2.

7 Sortilegia in quibus dæmon inuocatur ad ea quæ eius virtutem superant, siue exhibito cultu, siue non, hæresim sapiunt manifestè ex parte operis, Del-Rio *d. sect.* 15. *axioma* 1. Torre *cit. loc. dicto* 1. Farin. *d. q.* 20. *num.* 79. *reg.* 1. *& d. quæst.* 181. *num.* 5. *& seqq. & num.* 72. *& seqq.*

8 Sortilegia in quibus dæmon inuocatur ad ea quæ scire aut facere potest, ex parte operis hæretica-lia non sunt. Del-Rio *d. axioma* 2. Farin. *dict. quæst.* 20. *num* 80. Torre *citat. loc. dicto* 2.

9 Si in sortilegio abnegetur Deus, vel adhibeantur hostiæ consecratæ vel aliud sacramentum, aut etiam sacramentalia, reliquiæ, Agnus Dei, res sacræ aut benedictæ, vel Ecclesiastico cultui dicatæ, tale sortilegium hæresim sapit manifestè. Peñ. *d. com.* 67. Del-Rio *d.* 3. *&* 4. Farin. *d. quæst.* 20. *num.* 82. *vsque ad* 86. *& d. quæst.* 181. *num.* 19. *vsque ad* 27. *& num.* 49. Torre *d. tit. de qualificatione superstitionum vers.* Hæc quando.

10 Si ad res quas potest dæmon facere vel cognoscere sciendas vel efficiendas misceantur res non sacræ vel hostia non consecrata, etiam si sacerdos Missam dicat, probabile est non esse sortilegium hæreticale, dummodo non fiat ab habente pactum cum dæmone, aut hostiam non consecratam populo adorandam ostendat, nec malè sentiat de præsentia corporis Christi in sacramento. De his est reus specialiter interrogandus & examinandus. Del-Rio *dict.* 5. Farinat. *dict. quæst.* 20. *num.* 84. *& d. quæst.* 181. *num.* 20. Torre *cit. loc. vers.* Et si Reges.

11 Probabilius censeo sortilegium, in quo ponitur aut quod fit cum hostia non consecrata, aut cum re aliqua supra quam sacerdos Missam celebrat, hæresim sapere manifestè tàm ex parte operis, quàm operantis, tum quia sacrificium Missæ ordinat ad sacrilegium, licet mediatè; tum etiam præsumitur quòd hoc faciens credit illum vim habere ad maleficium operandum, & hoc ipsum in facto ostenditur.

12 Sorti-

12 Sortilegia facta pro inueniendis furtis cum expressa dæmonum inuocatione, hæresim sapiunt manifestè. Si verò sine expressa inuocatione fiant, sapiunt quidem hæresim, sed non manifestè. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 42. & 43. Del-Rio *dict. sect.* 15. *axioma* 1. *circa medium.* Farinat. *dict. quæst.* 181. *num.* 11. & *seqq.*

13 Hæreticale sortilegium est, sapiensque hæresim manifestè, si ad aliquid sciendum accipiatur phiala plena aqua, & ante eam ponatur puer vel puella virgo cum candela accensa respiciens dictam aquam inuocato angelo sancto, vt ostendat quod sciri desideratur, Peñ. 2. *part. Direct. com.* 68. Farin. *d. quæst.* 181. *num.* 15. & *sequentibus.*

14 Illud sortilegium sapit hæresim manifestè, quod sine aliqua hæresi nequit exerceri, & quod prima fronte hæresis odorem aut saporem fert. Simanc. *cathol. tit.* 62. *num.* 3. Farinat. *d. quæst.* 181. *num.* 94.

15 Hæretica est dæmonem (vt sortilegi credunt) tenere ligatum in annulo, vel in alia re, quod *familiare* vocant. Simanch. *catholic. tit.* 63. *num.* 29. & *sequentibus.* Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 43. *num.* 9. Farin. *d. quæst.* 182. *num.* 28.

16 Lamiæ seu Stryges, vt plurimum apostatæ sunt à fide Catholica, & sic semper de fide suspectæ, quæ suspicio rarò fallit. Simanch. *cathol. tit.* 37. del-Rio *dict. lib.* 5. *sect.* 5. Eymer. *dict. quæst.* 43. *num.* 8. Farinat. *d. quæst.* 181. *num.* 46.

17 Pacta aliqua facere cum dæmone, hæreticale est, sapitque hæresim manifestè. Simanch. *tit.* 30. *num.* 13. & *tit.* 63. *num.* 11.

18 Sortilegium quo homo ligatur ne vxorem

suam cognoscere valeat, ope dæmonis fit, & hæreticale est, del-Rio *lib. 3. part. 1. quæst. 4. sect.* 8. Farin. *d. qu.* 181. *num.* 50.

16 Quando pocula amatoria propinantes (*philtrum vocant*) suspicionem hæresis manifestam incurrant, colligi debet tum ex modo quo dæmon inuocatur, tum ex iis quæ tali inuocationi, & poculis conjunguntur. De qua re Simanch. *tit.* 30. *num.* 16. Eymeric. *d. quæst.* 43. *vbi* Peñ. *comment.* 68. del-Rio *d. part.* 1. *quæst.* 3. Farin. *d. quæst.* 181. §. 3.

20 Describere circulos in terra, illosque aliquibus signis munire, puerum in medio ponere, aut quid simile facere & dæmonem inuocare, hæreticale est, & hæresis suspicionem inducit. Campeg. *ad Zanchin. de hæret. cap.* 27. *litera C. in verbo* Inquisitor. Farinat. *num.* 70.

21 Omnia sortilegia & diuinationes, & vanæ obseruationes, quæ fiunt cum pacto expresso, vel tacito, hæresim sapiunt manifestè, cùm omnis familiaritas, & pactum cum dæmone hæresim vel apostasiam inuoluat..

CAPVT LVIII.

De iudicibus, ac pœnis sortilegorum.

1 CVm sortilegorum crimina sint mixti fori, tam ab Ecclesiastico, quàm à seculari iudice possunt sortilegi puniri, vt à propriis iudicibus. del-Rio *lib. 5. disquisit. mag. sect.* 14. *fin.* Farinat. *de hære. quæst.*

*quæst.*181.§.4.*num.* 92. *ver.f* Numquid.

2 Secundùm ius commune Inquisitores cognoscere non possunt, nec procedere contra sortilegos, nisi sortilegia hæresim sapiant manifestè, *Cap.* Accusatus.§.Sanè.*de hæret.lib.*6.Eymeric.2.*par.quæst.*42.*vbi* Peñ.*com.* 67. Farinat.*d. num.* 91. Torre *tom.* 2.*de relig. quæst.*96.*art.*4.*disp.* 3.

3 De iure nouo inquirunt & procedunt Inquisitores, etiamsi sortilegia hæresim non sapiant manifestè;contra omnes,superstitiosam quamuis diuinandi artem exercentes,profitentes,discentes, docentes, & diuinationibus vanis vtentes, aut in eis se quomodolibet ingerentes. Sixtus V. *Constit.* 17. *apud Laert. tom.*2.*Bullarum.* Azor *Sum. tom.*1.*lib.*9.*cap.*26. *quæst.*4. Sanch.*Decal.lib.*2.*cap.*38.*num.* 92. Farin. *d.*§. 4. *num.* 101.Torre *d. disp.* 3.

4 Sortilegia in quibus est hæresis suspicio, ad Inquisitores spectant; quando verò non est suspicio hæresis,sunt mixti fori,& datur præuentio.Suarez *de relig.tom.*1.*lib* 2.*de superstit.cap.*19.*num.* 11. Sanch.*dict. num.*92.Farin.*d num.* 101.

5 Si sortilegi inueniantur hæretici, ipso iure sunt excommunicati,hæreticorumque pœnas incurrunt, & in omnibus proceditur cum illis, sicut cum hæreticis.Suarez *d.cap.*19.*num.* 8. Farinat.*de hæresi q.* 181.§.1.*num.*4.*& seqq.& quæst.*192.§.1.*num.* 12.*& to.* 1.*quæst.*20.*num.* 87.

6 Quando sortilegia hæresim sapiunt, interrogandi sunt sortilegi quid de fide sentiant, & secundùm qualitatem suspicionis & probationis torqueri possunt,& abiurare debent. Peñ.*d. comment.*67.

7 Vehemens suspicio hæresis contrahitur ex

sortilegio, in quo dæmon expressè inuocatur, aut expressum pactum cum illo efficitur, si postulatur ab eo quod à solo Deo cognosci, reuelari, aut fieri potest, si interueniat adoratio, siue latriæ, siue duliæ: si detur extrema fidei abnegatio, renunciatio Christi, aut Sacramentorum, aut eorum abusus interueniat. Suar. *d. cap.* 19. *num.* 10. Farin. *d. q.* 181. §. 1. & 2.

8 Leuis suspicio datur, quando in sortilegio petitur à dæmone illud, quod naturalem eius virtutem non excedit, aut quando pactum est solummodo implicitum, nec additur aliqua circunstantia, maximè ex proximè numeratis. Suar. *d. num.* 10.

9 Sortilegi seueriùs puniendi sunt Canonicis pœnis, & aliis arbitrio Inquisitorum & Episcoporum taxandis. Sixtus V. *d. Const.* 17. Peñ. *d. com.* 67. Fari. *tom.* 1. *quæst.* 20. *num.* 89. & 94.

10 Si sortilegus Ecclesiasticus sit, & bono zelo, ac simplicitate conficit sortilegium non hæreticum, suspenditur à diuinis & ministerio altaris per annum, & aliis pœnis arbitrariis plectitur, elapsoque anno, ad pristinam administrationem ipso facto reuertitur. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *cent.* 4. *casu* 388. *num.* 8. & 9. Farin. *d. quæst.* 20. *num.* 91. *ac de hæresi d. quæst.* 181. §. 1. *num.* 51. del-Rio *lib.* 5. *quæst.* 16.

11 Clericus qui dolo malo conficit sortilegia non hæretica etiam ad bonum finem, deponitur ab ordine sacro, omnibus beneficiis priuatur, perpetuò in monasterio includitur, efficitur infamis, & verbaliter degradatur. Menoch. *d. casu* 388. *num.* 10. Farinat. *d. quæst.* 20. *num.* 92. 95. & *seqq.* & *quæst.* 19. *num.* 49. & *de hæresi d.* §. 1. *num.* 51. del-Rio *d. quæst.* 16. Suar. *d. cap.* 19. *num.* 12.

12 Sacer

12 Sacerdotes qui causa doloris spoliant altaria, extinguunt luminaria consueta, vel quid simile funeris causa faciunt, honore & dignitate priuantur, & sic efficiuntur infames. Si verò sumpta veste lugubri Missas defunctorum celebrans pro viuentibus vt moriantur, à proprio ordinis gradu priuantur, & perpetuo exilio relegantur vnà cum eo qui hoc consuluit, aut fieri mandauit. Menoch. *d. casu* 388. *num.* 15. Farin. *num.* 106. *&* 107. *d. quæst.* 20.

13 Sacerdos qui celebrat Missas super rebus profanis aptis ad sortilegia peragenda, aut qui vasibus vel vestibus sacris & his similibus in sortilegiis abutitur, aut qui in celebratione sacrorum nefandas, & turpes preces porrigit, deponitur, beneficiis priuatur, & in perpetuum carcerem detruditur. Menoch. *dict. casu* 388. *num.* 12. *&* 14. Farinat. *num.* 107. *& duobus seqq. dict. quæst.* 20.

14 Si sortilegus hæreticus tam Ecclesiasticus, quàm laicus fateatur in sortilegiis fecisse homicidium & pœniteat, paratúsque sit corripi, non possunt eum Inquisitores aut Episcopi tradere curiæ seculari, sed debent eum ad reconciliationem admittere. Albert. *de agnosc. quæst.* 25. *num.* 66. *& seqq.* Farin. *dict. quæst.* 20. *num.* 105.

15 Si sortilegus sit laicus & conficiat sortilegium non hæreticum, pro prima vice excommunicatur, & ab Ecclesia remouetur. Si autem admonitus iterum in iisdem sortilegiis perseueret, si est vilis persona, debet publicè fustigari, & infami mitra dehonestari. Si verò persona honestior, relegatur, vel perpetuo carceri mancipatur. Menoch. *d. casu* 388. *n.* 16. Farin. *d. q.* 20. *num.* 93. Suar. *num.* 13. *d. cap.* 19.

16 Pœna arbitraria quæ sortilegis imponitur, est quòd sortilegi, attenta eorum qualitate & criminis grauitate, excommunicantur, officiis & dignitatibus priuantur, suspendũtur, in exilium mittuntur, aut in carcerem monasterij, verberantur, cum infamj mitra in publicum producuntur, aut scalis alligati ad fores Ecclesiæ constituuntur, à diœcesi pelluntur, pecunia mulctantur, imò & curiæ seculari traduntur. Peñ. *d. comment.* 67. Farinat. *dict. quæst.* 20. *num.* 89. & 94.

17 Non ita sortilegiorum iudicibus arbitrium committitur, vt pro libito possint pœnam imponere, sed arbitrium iuris regulas debet attendere: nec pœnas per Canones statutas iudex minuere debet, nisi adsit iusta causa, qua etiam interueniente iuris pœnis alias potest superaddere. Farinat. *d. quæst.* 20. *num.* 94.

CAPVT LIX.

De Sodomitis.

1 SOdomia propriè dicta, est *actus luxuriæ inter personas eiusdem speciei, ac eiusdem sexus, non tamen per vas naturale*, vt masculus cum masculo, fœmina cum fœmina. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 11. Caietan. *ibi.* Syluester. & Tabien. *verbo* Luxuria. *num.* 7. Armilla *verbo* Sodomia. Farinat. *de delictis carnis, quæst.* 148. *num.* 2.

2 Concubitus masculi cum fœmina per vas

Præpo-

Præpostérum est diuersa à sodomia species, tam in esse naturæ, quàm in esse moris, éstque species innominata. S. Thom. Caietan. Sylvest. Tabiena, Armil. *cit. loc.*

3 Ad pœnæ impositionem reputantur sodomitæ non solùm masculus cum masculo per vas præpostérum coïens, sed etiam masculus cum fœmina, qua contra naturam abutitur: imò & fœmina cum fœmina medio aliquo instrumento se corrumpentes; non verò si id media tantùm fricatione fiat. Anton. Gom. *in l. Tauri* 80. *num.* 33. *&* 34. Couar. 4. *Decret. part.* 2. *cap.* 7. §. 5. *num.* 7. Farinat. *vbi suprà num.* 35. 40. *& sequentibus.* Martha *de iurisdictione parte* 2. *cap.* 15. *num.* 15. *& seqq.*

4 Grauiùs peccat vir, qui sodomitico coitu propriam vxorem cognoscit. Reus etiam sodomiæ constituitur, qui medio materiali instrumento accessum habet ad mulierem. Anton. Gom. *dict. num.* 33. *&* 34. Couar. *dict. num.* 7. Farinat. *num.* 37. *&* 42. *dict. q.* 148.

5 Veram sodomiam committit, qui dormientem puerum sodomitauit. Secùs verò si dormiens masculus masculum sodomitico coitu agnouit, credens esse fœminam. Anton. Gom. *de delict. cap.* 3. *num.* 26. Baiard. *ad Clarum* §. Sodomia. *num.* 21. Farina. *num.* 52. *&* 53. *dict. quæst.* 148.

6 Non est puniendus pœna ordinaria, qui tentauit committere actum sodomiticum, non tamen cósummauit, siue per eum stetit siue non. Ant. Gom. *d. l.* 80. *num.* 34. Clar. §. Sodomia. *num.* 8. *vers.* Quæro numquid. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 286. *num.* 27. Farinat. *num.* 61. *& seqq. d. quæst.* 148.

7 Non punitur vt sodomita, qui mollitiem

committit cum puero, etiamsi inter femora semen effundat, siue in os, qui dicitur fellator, dummodo membrum intra anum non mittat. Ant. Gom. *d. num.* 34. Clar. *d. num.* 8. *vers.* Quæro numquid. Farin. *num.* 64. *d. quæst.* 148.

8 Si quis posuit membrum intus anum, quamuis extra semen effundat, probabile est esse puniendum pœna ordinaria sodomitæ. Farin. *num.* 63. Hoc tamen non intelligo pro vno actu, sed pro actibus huiusmodi repetitis. Quia quod deficit ad complementum actus sodomitici, suppletur ex repetitione actuum in fraudem legis.

9 Sodomiæ crimen est mixti fori, ita vt Ecclesiastici contra laicos procedant. Attamen vt laici in Ecclesiasticos sodomitas animaduertant, præcedere debet iudicis Ecclesiastici declaratio, & degradatio: quod crimen etiam in infidelibus à iudice laico puniri potest. Martha *d. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. *&* 7. *vers.* Sed circumscripta *& cap.* 15. *num.* 20. Farinat. *d. quæst.* 148. *num.* 55.

10 Ex commissione speciali Summi Pontificis contra sodomitas per denuntiationem, accusationem, aut inquisitionem, sicut in causis fidei procedunt Inquisitores Lusitaniæ. Pius IV. 20. *Februar. anno* 1562. Greg. XIII. 13. *Augusti anno* 1574. per specialia decreta, quæ in archiuo sanctæ Inquisitionis reseruantur.

11 Particulæ, *sicut in causis fidei*, positæ in dictis concessionibus, intelliguntur solùm quoad modum procedendi. Extat declaratio Sanctissimi D. Vrbani VIII. ad Illustrissimum Inquisitorem generalem Lusitaniæ anno 1622. die 5. Martij in epistola Illustrissimi

mi Cardinalis Mellini.

12 Cùm sodomiæ crimen sit occultum, coniecturis, ac præsumptionibus, necnon etiam inhabilibus testibus, non tamen inimicis probari potest. Mascard. *de probat. tom. 3 concl. 1319. num. 2. & 6. & seqq.* Farin. *num. 66. & tom. 1. quæst. 2. num. 24.*

13 Sodomiti corpus probatur per obstetrices, & alios peritos, qui inspiciendo deponant an talis iudicio suo sit stupratus. Mascar. *d. concl. num. 5.* Farinat. *d. q. 148. num. 74.*

14 Testes deponentes se audiuisse tergiuersationes, & quassationes, aut clamantem & vociferantem sodomitam, probant ad torturam. Farin. *d. quæst. 148. num. 67. & 68.*

15 Testes deponentes se vidisse linteamina sanguinolenta, aut camisiam sanguine fœdatam, ad torturam etiam probant Mascard. *num. 6.* Farin. *num. 70. proximè citatis locis.*

16 Socius criminis in sodomia probat saltem ad torturam, etiamsi minor viginti aut quatuordecim annorum, dummodo adsint adminicula. Fari. *d. quæst. 148. num. 75. & de indicijs, & tortura quæst. 43. num. 89. & seqq. & num. 99.*

17 In sodomiæ crimine fama multum adminiculatur ad probationem. Decian. *cons. 83. num. 4. & 29. lib. 3.* Farinat. *d. quæst. 148. num. 73.*

18 Testes de auditu ab alio non probant in sodomia, sed requiruntur de visu. Mascard. *num. 14. d. concl. 1319.*

19 Iuxta leges huius Regni probatur hoc crimen per duos testes etiam deponentes de diuersis actibus, dummodo tamen testes legales sint. Ordin.

Reg.

Reg. *lib.* 5. *cap.* 13. §. 7.

20 Sodomiam passus non potest interrogari de lenonibus, aut an ab aliis fuerit sodomitatus, nisi adsint indicia quòd in confesso delicto alij interuenerint, aut deliquerint. Farin. *dict. quæst.* 43. *num.* 100. Secundùm legem huius Regni. *dict. tit.* 13. §. 8. possunt delinquentes in tortura interrogari de complicibus, & de aliis qui tale delictum commiserunt, vel de illo notitiam habent.

21 Pœna ordinaria in sodomia secundùm communes leges ciuiles, est mors naturalis, & post mortem iuxta consuetudinem receptam ignis concrematio. Albert. *de agnosc. quæst.* 23. *num.* 23. Farin. *dict. quæst.* 148. *num.* 4. *& seqq.* Martha *dict. cap.* 15. *num.* 7. *& seqq. de iurisd. part.* 2

22 Sodomita infamis est ipso iure, & dominio suorum bonorum, etiam ipso iure priuatur. Est etiam intestabilis, eiúsque testamentum post mortem annullatur; probabilis tamen opinio tenet hæc omnia iudicis sententiam requirere. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 286. *num.* 9. 19. 20. *&* 21. Farinat. *dict. quæst.* 148. *num.* 11. *vsque ad* 17.

23 Secundùm ius commune canonicum sodomita laicus excommunicatur, & à cœtu fidelium penitus arcetur. Mascard. *dict. lib.* 3. *conclus.* 1319. *num.* 1. Menoch. *dict. casu* 286. *num.* 9. Farinat. *dict. quæst.* 148. *num.* 23.

24 Clericus sodomita secundùm ius canonicum commune, beneficiis priuatur, deponitur, & in monasterium detruditur Menoch. *dict. casu* 286. *num.* 9. Decian. *lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 15. Farinat. *num.* 25. Martha *dict. cap.* 15. *num.* 3. *& seqq.*

25 Iuxta

25 Iuxta decretum Leonis X. *apud Laertium tom. 1. Bullarum Bulla 7. §. 35.* tam laicus, quàm clericus conuictus de sodomia, pœnis per sacros Canones, aut ius ciuile impositis puniri debet.

26 Iuxta decretum Pij V. *apud eumdem Laertium tom. 2. Bulla 7. §. 12.* qui perpetrauerit crimen sodomiæ, curiæ seculari traditur, & si fuerit Clericus, priùs degradetur. Et *Bulla 72. §. 3.* Clericos sodomiam exercentes priuat omni priuilegio clericali, omniqúe officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, ac degradatos curiæ seculari tradi iubet.

27 Quamuis iuxta dictam Bullam 72. Pij. V. videatur requiri frequentia actuum, vnus tamen sufficit, secundùm probabiliorem sententiam. Farinat. *dict. quæst. 148. num. 30. & seqq.* Martha *dict. cap. 16. num. 3. & seqq.*

28 Pius IV. *vbi suprà num. 10. huius capitis relatus*, concedit Inquisitori generali Lusitaniæ, vt procedat contra incorrigibiles sodomitas, vt eos puniat etiam iuxta leges seculares, & municipalia statuta, vel prout ei expedire visum fuerit. Quæ potestas Inquisitoribus ordinariis commissa est.

29 Gregorius XIII. *citato etiam loco d. num. 10.* eidem generali Inquisitori Lusitaniæ concedit, vt in crimine sodomiæ procedat sicut in crimine hæresis, eisdem modo & forma seruatis, quod etiam Inquisitoribus ordinariis committitur.

30 In Ordinationibus huius Regni Portugalliæ *lib. 5. tit. 13. in principio*, sodomitis determinatur pœna mortis, & ignis crematio, ac omnium bonorum confiscatio, eorumque filij ac nepotes manent infames. Et §. 1. extenditur dicta lex & pœna ad mulieres,

quæ

quæ inter se peccatum sodomiæ committunt.

31 Post mortem naturalem sodomitæ, delicto non probato, non potest contra ipsum procedi, neque quoad culpam, neque quoad confiscationem bonorum, quamuis legitimis testibus probari possit; cùm crimina non excepta, quorum est sodomia, morte delinquentis extinguantur. Ant. Gom. *tom. 3. de delict. cap. 1. num. 78.* Farinat. *tom. 1. quæst. 10. num. 36.* Martha *decis. 63. num. 20.*

32 Neque proceditur contra sodomitam mortuum, neque eius bona confiscantur, quamuis viuens conuictus fuerit, vel confessus. Ita contingit in aliis delictis. Menochius *de arbitrar. lib. 2. casu 285. num. 1.* Farinacius *dict. quæst. 10. num. 57. vers.* At verò, *& num. 77.*

33 Non confiscantur bona sodomitarum, quæ veniunt in consequentiam delicti, neque contra ipsos mortuos proceditur, etiam post latam sententiam, quæ non transiuit in rem iudicatam, aut durante appellationis termino. Si verò sententia transiuit in rem iudicatam, confiscari possunt eorum bona, quia in aliis delictis ita practicatur. Antonius Gomezius *de delictis cap. 1. num. 82.* Farinacius *dict. quæst. 10. num. 45. & seqq.*

34 Sodomita conuictus, aut confessus, qui seipsum interficit, non est relaxandus post mortem, cùm sic etiam in aliis delictis seruetur. Farinat. *d. quæ. 10. num. 80. vers.* Ego itaque.

35 Sodomita interficiens seipsum postquam est comprehensus, si probetur quòd ex conscientia delicti morte sibi asciscerit, potest cõdemnari quoad confiscationem bonorum. Circa alia crimina hoc tradunt

tradunt Anton.Gomez. *de delict. cap. 1. num. 79.* Decian. *crim.lib. 9. cap. 4. num. 1. & seqq.* Farin. *dict. num. 80. vers.* Vbi autem.

36 Si in crimine sodomiæ procedatur ad confiscationem bonorum, debet procedi intra quinquennium à die mortis criminosi, non autem vltra. Anton.Gomez. *dict. cap. 1. num. 81.* Farinac. *dict. quæst. 10. num. 81.*

37 Pœna sodomiæ, plenè probato crimine, non potest à iudice ordinario minui. Inquisitores tamen Lusitaniæ non ita limitatam habent iurisdictionem, sed circa pœnæ impositionem procedere valent, provt eis expedire visum fuerit. Farinac. *d. quæst. 148. nu. 51.* Bulla Pij IV. *supra citata.*

38 Minores mitiùs puniuntur pro crimine sodomiæ. Baiard. *ad Clar.* §. Sodomia. *num. 13.* Farin. *num. 66. d. quæst. 148.*

39 Qui per vim patitur sodomiam, nulla pœna punitur. *L.* Fœdissimam, *& ibi* Glossa, & Doctores. *C. ad l. Iul. de adult.* Farin. *num. 79.*

40 Præsumitur vis in puero, vel in muliere ex clamore & ploratu. Farin. *num. 80.* & in simili *quæst. 145. num. 146.* Anton. Gom. *d. l. 80. num. 44.*

41 Qui voluntariè se accusat, non punitur pœna ordinaria, nec ei nocet eius confessio, iuxta leges huius Regni. Ord. Reg. *tit. 13. §. 5. lib. 5.*

42 Venia quæ promittitur sodomitæ voluntariè se deferenti in dicta Ordinatione Regni, intelligitur de prima confessione, quia verba indifinitè posita intelliguntur de primo actu, iuxta tradita per Tiraquell. *ad lib.* Boues. §. Hoc sermone, *ff. verbor. signific.*

43 Con-

43 Confitenti crimen sodomiæ, occultanti primam confessionem iam factam, non suffragatur secunda confessio, etiamsi ab Inquisitore ignorante primam confessionem absoluatur, potestque apprehendi, & curiæ seculari tradi, iuxta Glossam *in l. 3. Cod. Episc. aud.* Glossa *in cap. 3. de adult.* Henriq. 2. *part. lib. 4. de irregularitate cap. 17. num. 3. circa finem.* Nauar. *consil. 1. de consanguinit. & affinit.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 22. num. 2. & 20.*

44 Inquisitores Lusitaniæ procedere possunt per inquisitionem, accusationem, & denuntiationem contra sodomitas, etiam regulares, exemptos, & immediatè Sedi Apostolicæ subiectos, etiam ordinis militaris, & presbyteros. *Dictæ Bullæ* Pij IV. & Gregorij XIII. *relatæ num. 10.*

45 Circa illum qui primum lapsum criminis sodomiæ confitetur, non tenentur Inquisitores pœnam ordinariam remittere, sicut remittitur hæreticis pœnitentibus. Constat ex declaratione Summi Pontificis relata suprà *num. 11.*

46 Attentis circunstantiis, possunt Inquisitores remittere pœnam ordinariam sodomitæ, qui de primo lapsu se accusat, antequam apprehendatur, imò & postquam est delatus, & apprehensus; quia iuxta citatam *num. 10.* Bullam Gregorij, habent arbitrium, & has vel illas pœnas applicare possunt, provt eis visum fuerit.

47 Qui voluntariè secundò se Inquisitoribus præsentat, & non delatus confitetur crimen sodomiæ, non est improbabile quòd potest releuari à pœna ordinaria; cùm probabile sit posse relaxari pœnam ordinariam hæretico relapso, qui voluntariè se accusat.

accusat. Farin. *de hæres. quæst.* 193. §. 1. *num.* 36. Castro. *de iusta hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 2.

48 Probabilius est & ferè certum, non esse admittendam ab Inquisitoribus secundam confessionem sodomitæ ad relaxationem pœnæ ordinariæ, præsertim si iam sit delatus qui confitetur; quia censetur incorrigibilis, & quia ex remissione scandalum imminet. Martha *dict. capite.* 15. *num.* 11. *vers.* Nec videtur.

49 In crimine sodomiæ absolutus ab Inquisitoribus ob non probatum crimen, aut condemnatus ad pœnam arbitrariam, etiam propter insufficientiam probationis, potest à iudice seculari iterum apprehendi, & condemnari, si sufficientem in eo foro habeat probationem. Sic de criminibus mixti fori. Ant. Gom. *tom.* 3. *tit. de delictis cap.* 1. *num.* 40. Farin. *tom.* 1. *qu.* 4. *num.* 7. *& seqq.*

50 Non est textus in quo sodomita vt sodomita est, suspendatur; quamuis Couar. *in Clem* Si furiosus. *part.* 1. §. 1. *num.* 6. cum multis dicat esse suspensum etiam in foro animæ.

51 Pius V. *d. Bulla* 7. sodomitam videtur ipso iure suspendere, cùm dicit: *Omni officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis Canonis authoritate priuamus.*

52 Sodomita notorius est irregularis. Sayro *de censuris lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 24. Est etiam in famis, *Cap. Infames.* 3. *quæst.* 7. Farin. *de delictis carnis quæst.* 248. *num.* 11. Quæ omnia ipso iure incurruntur, expectata tamen sententia declaratoria.

53 Huiusmodi sodomita notorius non potest in irregularitate ab alio quàm à Summo Pontifice

dispensari. Sayro *de censuris lib. 4. cap. 17. num. 23.* Erit hoc intelligendum, quando ipse aut confitetur, aut plenè conuincitur, iuxta Concilium Trident. *sess. 24. de reformat. cap. 6.*

54 Si sodomita propter suspicionem, quæ ex probatione non plena oritur, suspendatur ad tempus, finito tempore suspensionis, non erit amplius suspensus. Idem dicendum est, si ab Inquisitore generali in toto, vel in parte illius temporis dispensetur, quia pœna suspensionis in hoc casu non est incursa à iure.

APHORISMORVM.

LIBER II.

DE FORMA PROCEDENDI INQVISITORVM.

CAPVT I.

De modo procedendi in communi.

TRipliciter in cauſis fidei procedunt Inquiſitores: per accuſationem ſcilicet, denuntiationem, & inquiſitionem. Eymeric. *3. part. Direct. à num. 66. vbi* Peñ. *comment.* 13. Farin. *de hæreſi q.* 185. §. 1. *num.* 2.

2 In fidei negotijs poſſunt Inquiſitores procedere ſummariè, ſimpliciter, de plano, ſine forma, & figura iudicij, & abſque aduocatorum & iudiciorum ſtrepitu. Ad hunc tamen procedendi modum non obligantur. Eymer. *d. 3. part. quæſt.* 54. *vbi* Peñ. *commen.* 103. Farinac. §. 2. *num.* 13. *d. quæſt.* 185.

3 Iuxta hunc procedendi modum non vitiatur proceſſus ex cuiuſque iuris ordinis omiſſione, dummodo ſubſtantialia cauſæ & iudicij ſeruentur. Peñ. & Farin. *citatis locis.*

4 Quando Inquisitores procedunt de plano, non tenentur libellum exigere, nec litis contestationem expectare, tempore feriarum procedere valent, possunt amputare materiam dilationum, litem facere breuiorem, appellationes dilatorias & frustratorias repellere, partium, aduocatorum, & procuratorum contentiones & iurgia, testiúmque superfluam multitudinem refrænare. Eymeric. *d. 3. part. quæst.* 55. *vbi* Peñ. *comment.* 104. Farin. *d.* §. 2. *num.* 14.

5 Substantialia iuris, quæ omitti non possunt, illa vocantur, sine quibus iudicium iustè expediri nequit, vt citatio, iuramentum de veritate dicenda, probationes legitima, exceptiones vtiles, appellationes necessariæ, inducíæ, seu termini competentes, & alia huiusmodi, quę ad delicti probationem, & rei defensionem necessaria sunt. Eymeric. *dict. q.* 55. *vbi* Peñ. *comment.* 103. & 104. Albert. *de agnoscend. quæst.* 34. *num.* 31. Farin. *d.* §. 2. *num.* 16.

6 In præparatorij iudiciorum circa res fidei seruare debent Inquisitores consuetudines approbatas, & statuta Inquisitionis. In simili Panorm. *in cap.* 1. *de const. & in cap.* Quòd clericus. *num.* 10. *de foro compet.* Martha *de iurisdict.* 4. *part. centur.* 1. *casu* 5. *num.* 19.

7 In decidendis causis fidei, sequi debent Inquisitores leges Ecclesiasticas, imperiales autem ea tantùm ratione, qua Ecclesiasticis legibus non aduersantur, vel secundùm quòd ab Ecclesia approbantur. Martha *d. cent.* 1. *casu* 50. *num.* 1. & *casu* 156. *num.* 2. & 3. Marant. *de ordine iud. part.* 3. *num.* 73. Farin *dict.* §. 1. *num.* 4.

8 Omnes leges seculares fauentes persecutioni hæreticorum, approbatæ sunt, & eas sequi debent Inqui-

Inquisitores. Peñ. *in disp. de authoritate literarum Apostolicarum num.* 4. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 26. *num.* 1. & 2. Surd. *cons.* 386. *num.* 2. & 3. Farinat. *d. num.* 4.

9 Quando deficit determinatio iuris Canonici, aut res secundùm ius Canonicum est dubia, decisa verò secundùm ius ciuile, ius ciuile sequendum est. Maranta *d. num.* 73. Panorm. *cap.* 1. *de noui operis nuntiat. num.* 6.

10 Si circa leges, & statuta aliquod dubium occurrat, interpretari possunt Inquisitores tales leges, vel statuta; eorum tamen interpretationem alij sequi non tenentur. In simili Panorm. *in cap.* 1. *de postul. prælat. num.* 20. *cap.* Licet. *num.* 3. *de feriis, cap.* Vt debitus honor. *num.* 28. *de appellat.*

11 Occurrentibus æquè probabilibus opinionibus in iure, poterunt Inquisitores quam maluerint eligere, imò cessante scandalo, nunc secũdùm vnam, nunc secundùm aliam iudicare. In simili Medina 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Salon. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *controuer.* 2. *concl.* 1. Valent. 2. 2. *disp.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. Sanch. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 45.

12 Probabilius est non posse Inquisitorem sequi minùs probabilem opinionem, nisi fortè sit magis praxi recepta, & ipse rectè nouerit reuocandam esse eius sententiam à supremo Senatu. In simili Ledesm. 2. 4. *quæst.* 59 *art.* 6 *fol.* 472. Bañ. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disp.* 64. *cap.* 2. *num.* 5. Sanch. *dict. cap.* 9. *num.* 47.

13 Quando occurrunt contrariæ Theologorum, & Canonistarum opiniones in iis quæ pertinent ad spiritualitatem, veræ fidei cognitionem, ad diffinitionem & declarationem propositionum, qua-

lificationem actuum an sint hæreticales, præferenda est Theologorum opinio. In ordinationibus verò exterioribus, & in processu iudiciali formando, Canonistarum opinio attenditur. Roias *de hære. part. 1. num.* 384. *& seqq.* Decian. *crim. lib. 5. cap. 26. num. 5.* Farin. *dict.* §. 1. *num.* 5.

CAPVT II.

De accusatione.

1 ACcusatio est *delatio alicuius criminis ad vindictam publicam in iudicio, legitima interueniente descriptione.* Clar. §. *fin. quæst. 12. num. 1.* Decian. *crimin. lib. 3. cap. 1. num. 2.* Anton. Gomez. *de delictis tit. Qualiter formetur accusatio,* & sic accusatio in causa fidei est *delatio criminis contra fidem, &c.*

2 Accusatio debet fieri per libellum oblatum, & cum iuramento, quod non malitiosè fiat, etiamsi à promotore formetur. Valida tamen est, si verbaliter proponatur, dummodo redigatur in scriptis à notario. Simanch. *cathol. tit. 4. num. 12.* Peñ. *d. comment. 14.* Paramus *de orig. Inquisit. lib. 3. quæst. 9. num. 14.* Farin. *d. §. 3. num. 42.*

3 In accusatione non necessariò est exprimendus locus aut dies commissi criminis; si tamen petatur à reo, non est ei denegandum, si Inquisitori necessarium esse videatur. Fieri autem debet cum cautela, ne testes aliquod detrimentum patiantur; non est tamen declarandus locus loci, nec tempus præcisum.

Simanch.

Simanch. *d. tit.* 4. *num.* 9. & 10. & *tit.* 41. *num.* 21. Carrer. *de hæret. num.* 109. Param. *d. quæst.* 9. *num.* 16. & *num.* 93. & *seqq.* Farin. *d.* §. 3. *num.* 30.

4 Ad accusationem in causa fidei, non necessariò debet se accusator inscribere ad pœnam talionis; si tamen accusatio calumniosa appareat, pœnas calumniosæ accusationis accusator luat. Peñ *d. comment.* 14. & *ad quæst.* 55. *comment.* 104. Simanch. *d. tit.* 4. *num.* 8. Roias *singulari* 6. Farin. *num.* 33. *d.* §. 3.

5 Modus procedendi per accusationem rarò admittitur in causis fidei, nisi ad instantiam partis. Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 67. *vbi* Peñ. *comm.* 14. Farin. *de hæresi quæst.* 185. §. 3. *num.* 1.

6 Ad accusandum in causa hæresis, omnes, etiã inhabiles admittuntur, dummodo sint præsentes; nam absentes accusare non possunt: pupilli etiam & minores, dummodo sint doli capaces ad accusandum tutoris, & curatoris authoritate indigent. Decian. *lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 5. Farin. *d.* §. 3. *num.* 41.

7 Inimicus capitalis etiam ad accusandum admittitur in crimine hæresis, stricto modo sumpto; eius tamen dictum nihil probat. Decian. *crim. lib.* 3. *ca.* 25. *num.* 7. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 35. & *seqq.* Farin. *d.* §. 3. *num.* 29. & *tom.* 1. *quæst.* 12. *num.* 39.

8 Accusator in crimine hæresis potest etiam esse testis, dummodo inimicus non sit. Repert. Inquis. *verbo* Accusatio. *vers.* Sed vtrum idem. & *verbo* Testes. *vers.* An iudex. Rojas *singulari* 7. *num.* 1. & 2. Farin. *d.* §. 3. *num.* 32.

9 Si accusator velit ab accusatione desistere in crimine hæresis, non est facilè audiendus. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 12. Peñ. *d. com.* 14.

10 Propter periculum accuſatoris promotor fiſcalis deputatur, qui calumniatoris pœnam non timet, cùm ex officio accuſet. Peñ. *dict. com.* 14. Decian. *d. cap.* 28. *num.* 8. Farin. *d.* §. 3. *num.* 40. Simanch. *cathol. tit.* 4. *num.* 8. *& tit.* 53. *num.* 4.

11 Non ceſſat inquiſitio contra hæreticum, ſuperueniente accuſatione. Decian. *dict. cap.* 28. *num.* 9. Roias *ſingulari* 8. Farin. *d.* § 3. *num.* 31.

12 Quilibet accuſari poteſt de crimine hæreſis, quamuis non omnium accuſationes Inquiſitores recipiant, taliter quod contra accuſatos procedant, cùm nonnulli ſint exempti. Decian. *d. cap.* 28. *num.* 17. Dixi *ſupra lib.* 1. *cap.* 4.

13 Reus in crimine hæreſis tenetur tradere accuſatori, & fiſco ſcripturas, libros, & omnia alia, quæ iuuare poſſunt ad veritatem inueniendam. Peñ. *in 3. p. Direct. ad quæſt.* 39. *comment.* 88. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 19. Farinac. *de hæreſi quæſt.* 197. §. 1. *num.* 17.

14 In hoc crimine non datur tranſactio, nec facta valet. Simanch. *cathol. tit.* 30. *num.* 13. Roias *ſingulari* 210. Farin. *d.* §. 1. *num.* 23.

CAPVT III.

De Inquiſitione.

1 INquiſitio eſt *delicti informatio, iudicis officio & authoritate facta.* Iodocus *in practica crim. cap.* 8. *num.* 1. *& ſeqq.* Clar. §. *fin. quæſt.* 3. *&* 11. Farinac. *tom.* 1. *quæſt.* 1. *num.* 3.

2 In-

2 Inquisitio diuiditur in generalem, & specialem. Inquisitio generalis est *illa, qua incerto delinquente per iudicem fit, ad generaliter inquirendum quisnam delictum commiserit.* Specialis inquisitio illa est, *quæ fit per iudicem contra particularem personam, de cuius delicto iam curia notitiam habuit.* Clar. *quæst.* 5. *num.* 20. & 50. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 88. *num.* 7. & 8. Farinac. *dict. quæst.* 1. *num.* 4. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 16.

3 In causis fidei proceditur & generali & speciali Inquisitione, quando neque accusator, neque denuntiator interuenit, sunt tamen sufficientia indicia ad inquirendum. Eymer. 3. *part. Direct. num.* 69. *vbi* Peñ. *comment.* 16. Farinac. *de hæresi quæst.* 185. §. 4. *num.* 46.

4 Ad Inquisitionem generalem, quæ fit ex officio ab Inquisitoribus, non requiritur præcedens diffamatio, neque etiam indicia exiguntur. Simanch. *cathol. tit.* 44. *num.* 7. Peñ. *dict. comment.* 16. Farin. *de hær. quæst.* 185. §. 4. *num.* 48.

5 Si in Inquisitione generali testes deponant contra aliquem in specie, fidem non faciunt ad condemnandum, nisi iterum repetantur; & in crimine hæresis, si reus sit tradendus curiæ seculari, omnino repetuntur testes, quamuis aliàs sufficeret quòd reus illos pro repetitis haberet. Decian. *crim lib.* 5. *cap.* 29. *num.* 2. Farin. *de hæret. quæst.* 188. §. 1. *num.* 27.

6 Inquisitio specialis, etiam in crimine hæresis exigit diffamationem, vel indicia: & si persona sit vilis, aut hæresim aliquando abiurauit, sufficit leuis suspicio. Peñ. *d. commentar.* 16. Decian. *d. cap.* 29. *num.* 4. Locat. *in iud. inquisit. verbo* Infamia. *num.* 11. Farin.

dict. §. 4. *num.* 54. *& sequentibus.*

7 Si persona sit nobilis & bonæ famæ, non sufficit leuis suspicio ad inquirendum contra illam, sed secundùm quòd maior est qualitas personæ, maiora indicia exiguntur. Peñ. *ad quæst.* 55. 2. *part. Direct. comment.* 80. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 56.

8 Si constet aut sint sufficientia indicia de aliquo facto hæreticali, & non constet de persona, possunt Inquisitores facere generalem Inquisitionem de persona, specialem verò de crimine, non tamen debent saltem regulariter interrogare omnes de populo, sed eos qui probabiliter scire poterunt. Aragon. 2. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. *versic.* His positis; dico primò, Aldret. *de religios. discip. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 11. Peñ. *d. comment.* 16. *in* 3. *part. Direct.*

9 Quamuis in aliis criminibus non exceptis ad inquirendum contra personam particularem, necesse sit quòd constet de corpore delicti, in crimine hæresis hoc non seruatur, cùm sufficiant indicia circa personam. Albert. *de agnosc. quæst.* 25. *in* 1. *dubio num.* 1. *& seqq.* Clar. *quæst.* 4. *num.* 3. Farinac. *tom.* 1. *quæst.* 1. *num.* 9. *& quæst.* 2. *num.* 25. *& quæst.* 9. *num.* 14.

10 Si in Inquisitione generali aliquis manifestet Inquisitoribus crimen aliquod contra fidem, vel quodcumque aliud de quo cognoscere valent, declarando personam particularem, possunt contra illam specialiter inquirere. Marant. 6. *part. tit. de inquisit. num.* 3. Nauar. *Cap.* Inter verba, 11. *quæst.* 3. *corol.* 61. *num.* 648. *& corol.* 62. *num.* 678. Farin. *tom.* 1. *quæst.* 9. *num.* 19. Aldret. *d. cap.* 7. *num.* 10.

11 Non possunt Inquisitores instituere Inquisitionem contra aliquem particularem ex sola notitia

habita

habita per epistolam vel libellum in occulto datum sine authore, nec testes in eo nominatos interrogare. Si tamen author sit notus, vocandus est, & interrogandus. Clar. §. *fin. quæst.* 5. *num.* 4. Lesius *lib.* 2. *de iustit. cap.* 29. *dub.* 15. *num.* 136. Aldret. *dict. cap.* 7. *num.* 29. & 30. Farin. *d. quæst.* 185. §. 5. *num.* 68.

12 Contra sodomitas procedi potest per Inquisitionem specialem; non præcedente infamia, dummodo sufficientia indicia præcedant. Anton. Gomez. *tom.* 3. *de delictis cap.* 1. *num.* 49. & *cap.* 12. *num.* 16. Ioseph Angles *in floribus quæst. de correct. fraterna art.* 3. Aldret. *num.* 17. *d. lib.* 1. *cap.* 7.

13 In crimine hæresis plures inquirere & procedere possunt contra determinatam personam. Qui si sint in diuersis locis, illius sententia præualet, qui præuenit: si verò in eodem loco sint, communicare debent processus. Decian. *d. cap.* 29. *quæst.* 3. Farin. *d.* §. 4. *num.* 47. *quæst.* 185.

14 Licèt absolutè loquendo in aliis criminibus ad validitatem inquisitionis particularis requiratur expressio loci & temporis, hoc non seruatur in crimine hæresis, & magiæ, quæ habent tractum successiuum. Menoch. *consil.* 100. *num.* 89. & *seqq.* del-Rio *disquis. mag. lib.* 5. *sect.* 2. *vers.* Tertiò requiritur. Farinac. *dict. quæst.* 1. *num.* 12. & 17. & *de hær. dict. quæst.* 185. §. 4. *num.* 51,

15 Quando crimen est punibile certa hora & tempore, in alia autem hora & tempore non; debent in libello Inquisitionis exprimi locus & tempus. Anton. Gom. *tom.* 3. *tit. de delictis cap.* 1. *num.* 4. Farinac. *d. quæst.* 1. *num.* 19.

16 Nouis superuenientibus indiciis, potest Inquisitor

quisitor iterum inquirere contra suspectum de hæresi vel de alio crimine, de quo ipse cognoscit, quamuis in prima inquisitione illum inculpatum repererit. Farin. *quæst.* 4. *num.* 27.

17 Inquisitus de hæresi si inueniatur culpatus, potest inquiri de aliis coniunctis pertinentibus ad illam sectam, cùm vna sit sufficiens indicium ad alias. Arag. *d.* 2. 2. *quæst.* 79. *art.* 2.

CAPVT IV.

De denuntiatione.

1 DEnuntiatio est *delatio criminis sine inscriptione ad competentem iudicem ad pœnitentiam peragendam, vel aliam legitimam pœnam imponendam, vel ad vtrumque* Peñ. 3. *part. Direct. comm.* 15. Hostiens. *Sum. tit. de denuntiat.* §. 1. Param. *de orig. Inquisit. lib.* 3. *q.* 8. *num.* 1. *& seqq.* Farin. *de hæresi* 185. §. 5. *num.* 60.

2 In causis fidei pet denuntiationem proceditur: in quo procedendi modo denuntiator potest esse testis Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 68. Simanch. *cathol. tit.* 19. *num.* 17. *& tit.* 64. *num.* 55. Farin. *d.* §. 5. *num.* 59. *&* 65. Aldret. *de relig. discip. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 20.

3 Denuntiatio potest fieri in scriptis aut verbaliter coram duabus religiosis & honestis personis. Eymeric. *d. num.* 68. *vbi* Peñ. *comment.* 15. Clar. *in pract.* §. *fin. quæst.* 7. *num.* 3. Farin. *num* 67. *d.* §. 5.

4 Denuntianti dandum est iuramentum de veritate dicenda, estque interrogandus de tempore & loco

loco commissi criminis, quoties patratum fuerit, quibus circunstantiis, qui sciant, & qua ratione ipse nouerit. Eymer. *d. num.* 68.

5 Denuntiatio potest recipi ab absente per literas, dummodo sit fide dignus, literasque signauerit & firmauerit iuramento. Simanch. *cathol. tit.* 44. *num.* 10. Farin. *num.* 66. *d.* §. 5.

6 Denuntiatio sufficiens est indicium ad inquirendum, & cum fama sufficit ad torturam. Locat. *in iud. inquis. verbo* Denuntiatio *num.* 3. Farinac. *num.* 64. *dict.* §. 5.

7 Facta denuntiatione Inquisitor procedit ex officio, nec denuntiatio facta impedit processum per accusationem vel inquisitionem formatam. Eymer. *d. num.* 68, *vbi* Peñ. *d. commen.* 15. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 30, *num.* 5. Farin. *d.* §. 5. *num.* 70.

8 Denuntiator non tenetur probare suam denuntiationem, sed sufficit dicere se denuntiare zelo fidei, vel metu pœnæ. Eymer. *d. num.* 68. *vbi* Peñ. *d. comment.* 15. Farinac. *d.* §. 5. *num.* 71. *& quæst.* 197. §. 2. *num.* 36.

9 Ex officio tenentur denuntiare officiales Inquisitorum, & ministri iurati. Omnes etiam fideles ex præcepto & censura Inquisitorum tenentur quicumque nouerint aliquos contra fidem deliquisse, aut hæresis labe vel suspicione illius infectos esse. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 30. *num.* 6. *&* 7. Zaochin. *de hæret. cap.* 9. *litera* A. *vers.* Verùm quia. Farin *d.* §. 5. *num.* 69. *& quæst.* 197. §. 2. *num.* 35.

10 In crimine hæresis fraterna admonitio antè denuntiationem rarò præmittenda est. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. Castro *de iusta hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 25. *concl.*

concl. 1. Soto *de tegend. secret. membr.* 2. *quæst.* 4. *concl.* 2. Farinac. *d. quæst.* 197. §. 2. *num.* 39.

11 Denuntiator, qui per calumniam aliquem denuntiat Inquisitoribus; grauiter puniendus est. Clar. §. *fin. quæst.* 7. Farinac. *tom.* 1. *quæst.* 16. *num.* 15. & *seqq.* Aldret. *d. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 7. Vide quæ dicuntur infrà *cap.* 8. *num.* 37. & *seqq.*

12 Falsus denuntiator in crimine hæresis, potest pœna talionis puniri, sicut & falsus testis. Farinac. *de hær. quæst.* 188. §. 2. *num.* 45.

13 Hæreticum quem constat esse emendatum, nullus tenetur denuntiare. Farin. *de hæresi quæst.* 197. §. 2. *num.* 52. Si autem certò non constet, denuntiandus est. Roias *singular.* 3. *num.* 32.

CAPVT V.

De probationibus in crimine hæresis.

1 PRobatio est *ostensio rei dubiæ per legitimos modos iudici facienda in causis apud ipsum iudicem controuersis.* Mascard. *de probat. tom.* 1. *quæst.* 2. *num.* 17. & *seqq.*

2 Probatio diuiditur in plenam, & semiplenam. Probatio plena est *illa, quæ tantam fidem facit, quanta ad finiendam controuersiam sufficit.* Probatio semiplena est, *quæ quasi dimidiam fidem facit*, seu latè sumpto nomine semiplenæ probationis est illa, *quæ rei gestæ aliquam fidem facit, non tamen quæ ad diffiniendam controuersiam sufficiat.* Mascard. *quæst.* 4. *num.* 11. & 15. Aldret.

dret. *de relig. discipl. lib. 2. cap. 2. num. 3. & 4.*

3 Probatio plena censetur illa, quæ iudicis animum adducit ad credulitatem eius, quod intenditur; semiplena verò, quæ hoc non præstat. Panormit. *in cap.* Tertio loco. *num.* 11. *de probat. & in cap. vlt. de iure iurando.*

4 Cùm causa introducitur per actorem, & negatio sequitur per reum, iudex adducitur in dubitationem, quia non præsumit adhuc nec pro actore, nec pro reo. Si addatur aliquod leue indicium vel argumentum, adducitur ad suspicandum. Si argumenta insurgant fortiora, incipit opinari. Opinio tamen ad fidem vel credulitatem non sufficit. Si adhuc aliquo alio magis fulciatur probatio, adducitur ad credulitatem & fidem. Barth. *in l.* Admonendi. *ff. de iureiur.* Panorm. *d. cap.* Tertio loco.

5 Probatio plena in septem species seu quasi species diuiditur. Prima fit per testes. Secunda per instrumentum. Tertia per confessionem. Quarta per euidentiam facti. Quinta per iuramentum. Sexta per præsumptionem iustam. Septima per famam. Masca. *d. quæst. 4. num. 16.*

6 Semiplena probatio diuiditur in quatuor quasi species. Prima est, cùm vnus testis solùm deponit. Secunda, cùm de scripto dubitatur. Tertia est priuata scriptura. Quarta est præsumptio non vrgens. Mascard. *d. quæst. 4. num. 17. & 18.*

7 Cùm vnusquisque præsumatur bonus, quamdiu non probatur malus, qui dicit aliquem esse hæreticum, tenetur illud probare. Farinac. *de hæresi quæst. 187. §. 1. num. 1.*

8 In criminibus, & maximè in crimine hæresis proba-

tur,& vt probent debeant esse idonei,eorum necessariæ conditiones explicandæ sunt, vt sciamus quanta eorum dictis fides adhibenda sit. Zanchin.*de hæret.ca.* 12.*num.* 1.*vers.*Secundo modo,Mascard.*de probat. tom.* 2.*concl.*855.*num.* 1.Farinac.*de hæret.quæst.* 188.§.1.*nu.*1.

2 Multi sunt qui in iure ad testificandum communiter non admittuntur, qui his versibus continentur.

Conditio,sexus,ætas,discretio,fama,
Et fortuna,fides: in testibus ista requires.

Sylvest.& Armilla *verbo* Testis *num.*1.

3 Testis aut est idoneus, aut non est idoneus. Idoneus est ille, *cui nulla exceptio opponi potest.* Non idoneus,*qui per aliquam exceptionem in toto, vel in parte repellitur.Cap.*Placuit.*de testib.vbi* Glos.*verbo* Idonei.

4 Testes debent esse iurati vt probent, & quoties repetuntur, toties iurare debent. Iuramentum autem sit de veritate dicenda super his de quibus interrogantur.Mascard.*tom.*3.*concl.*1368. Farinac.*quæst.* 74.*num.*1.Eymeric.3.*p.Direct.num.*82.*& quæst.* 62.*vbi* Peñ. *comment.*20. *&* 111.

5 Iuramentum non præsumitur,nisi expresse de illo constet in depositione.Mascard.*lib.* 1.*quæst.*5.*num.* 82.*&* 113.Farin.*d.quæst.* 74.*num.* 72.

6 Testes deponentes extra articulos, nihil probant, quando res nullo modo pertinet ad articulos: respondentes etiam non interrogati, suspecti sunt. Mascard.*lib.*3.*concl.*1371.*num.* 1.Farinac.*quæst.*71. *nu.* 2.6. *&* 24.

7 Testes qui non reddunt rationem sui dicti,vel non sufficientem, non probant nisi pro qualitate rationis.Masc. *li.*3.*concl.*1375.*à n.* 49.Farin.*q.*70.*n.*14.

8 Non est ratio sufficiens dicere: Scio, quia nullus dubitat, vel quia sic reperio in meo memoriali. Farinat. *quæst.* 70. *num.* 161. *& seqq.*

9 Sufficit reddere rationem implicitè. Farinac. *quæst.* 70. *num.* 149.

10 Testes cortinati, vel retro parietem ad cautelam positi, nullo modo probant in criminibus. Fari. *quæst.* 69. *num.* 6.

11 Testes de auditu alieno in criminalibus non probant nisi contra producentem. Menoch. *de arbit. lib.* 2. *cas.* 475. *num.* 4 Surd. *cons.* 94. *num.* 76 *lib.* 1. Far. *quæst.* 69. *c.* 1. *nu.* 2, *& seqq. & num.* 57. *& seqq.*

§. 1.

Contrarietas testium, & concordia.

12 Testes non debent esse contrarij, alioquin etiam in criminibus exceptis nihil probant. Non censentur contrarij quando vnus deponit plus, quàm alius, nisi transitiuè deponat. Mascard. *tom.* 3. *de probat. concl.* 1367. *num.* 4. *&* 6. Farin. *d. test. quæst.* 65. *part.* 1. *nu.* 2. 11. *&* 15.

13 Testes contrarij in accidentalibus remotis & impertinentibus, non censentur contrarij respectu probationis, si in substantialibus, seu in articulis probandis concordant. Mascard. *concl.* 1367. *num.* 5. *& tom.* 2. *concl.* 856. *num.* 18. Farinac. *dict. part.* 1. *num.* 16. *& seqq.*

14 Si contrarietas est in verbis, non autem in substantia rei, non reputantur testes contrarij, nisi sermo

sermo sit de formalitate verborum. Mascard. *dict. tom. 2. concl. 856. num. 18. & 19.* Farinac. *dict. part. 1. num. 22. & 28.*

15 Quando non agitur de formalitate verborum, testes deponentes per eadem verba, seu ex præmeditato sermone, sunt de falsitate suspecti, nisi sint plures, ac bonæ famæ: hoc tamen iudicis arbitrio relinquitur. Mascard. *d. tom. 2. concl. 745. num. 16. & tom. 3. concl. 1346. num. 2 & 3. & concl. 1374. num. 9.* Roias *de har. part. 2. num. 129. & seqq.* Farin. *d. part. 1. num. 24. & seqq.*

16 Discordia in modo narrandi factum super quo testes deponunt, si in substantia sit concordia, non vitiat testimonium. Butrio *in cap.* Nihil. *de verb. signific. num. 3.* Farinat. *d. p. 1 num. 29.*

17 Cùm testes reddunt diuersas rationes, & causas sui dicti, si concordant ad eumdem finem, & vterque reddit bonam rationem, non reputantur contrarij: si autem vnus det bonam rationem, alius verò non, plenè non probant. Felin. *in cap.* Cùm tu. *num. 14. de testib.* Specul. *in tit. de test.* §. Item de interrogatoriis. *concl. 5. versic.* Hinc est, quòd si quis. *sub num. 14.* Farinat. *dict. part. 1 num. 30. & seqq.*

18 Contrarietas testium vitanda est, quoad fieri possit, interpretando eorum dicta vt sint vera, aut secundùm diuersitatem, & multiplicationem actus vel temporis per improprietatem verborum, per interpretationem suppletiuam, aut alio modo. Roias *d. part. 2. num. 126.* Mascard. *tom. 3. concl. 1367. num. 10.* Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 23. num. 12.* Farin. *d. quæst. 62. part. 2. num. 37. vsque ad 75.*

19 Concordari debet contrarietas testium, se-

cundùm ius ciuile, vt falsitas vitetur, non verò vt probent: secundùm ius canonicum etiam cõcordantur vt probent, dummodo tamen contrarietas non sit manifesta, aut non contradicant in facto principali, aut quando pro vna parte inter plures testes non sunt duo contestes; in his enim casibus non probant. Abb. *in cap.* Cùm tu. *num.* 5. *de test.* Felin. *num.* 4. Farin. *d. p.* 2. *num.* 76. *& seqq.*

20 Testium interpretatio debet esse probabilis, congrua, consona veritati, & possibilis. Felin. *d. cap.* Cùm tu. *num.* 15. Farin. *d. part.* 2. *num.* 90. *& seqq.*

21 In criminibus non concordantur testes vt probent, quamuis concordari possint, ad effectum vitandi periurium. Felin. *in cap* Cùm tu. *num.* 16. Farinac. *d. part.* 2. *num.* 106. *& seqq.*

22 Si testes contradicant confessioni partis, non sunt concordandi, sed si confessio sit contra partem, putandi sunt falsi, si verò parti fauorabiles, reputantur veri. Abb. *d. cap.* Cùm tu. *num.* 4. Mascard. *tom* 1. *concl.* 379. *num.* 21. *& concl.* 344. *num.* 2. Farinac. *d. p.* 2. *num.* 101. *& seqq.*

23 Quando testes taliter sunt contrarij, quòd concordari non possunt, si in qualitate sint æquales, standum est multitudini, si tamen minor numerus superet in qualitate, ipsi standum est. Abb. & Felin. *in summar. cap.* In nostra. *de test.* Farinac. *d. quæst.* 65. *p.* 3. *num.* 607. *& seqq.*

24 Dignitas testium ex nobilitate, morum probitate, scientia, & diuitiis pensatur. Felin. *d. cap.* In nostra. *num.* 11. *de testibus.* Tiraq. *de nobilit. cap.* 40. *num.* 35 *& seq.* Farinat. *d. p.* 3. *num.* 114. *& seqq.*

25 Si vnus testis dicat factum contigisse in domo,

mò, alius verò iuxtà domum, non conciliantur, sed sunt contrarij. Si autem vnus in prima depositione dicat contigisse in domo, in alia verò depositione dicat contigisse iuxta domum, interpretandus est, & accipiendus in secundo dicto Farin. *d. quæst. 65 p. 4. qu. 1. num. 245. & seq.*

26 Sunt etiam contrarij, si vnus dicat factum contigisse in domo, alius in porticu domus. Si verò idem testis in diuersis depositionibus vtrumque dicat, interpretandus est. Pet. *de fidei commiss. quæst. 12. num. 833. & seq.* Farina. *d. p. 4. quæst. 2. num. 248. & seqq.*

27 Si vnus testis dicat quòd sunt sex anni quãdo talis dixit vel fecit, alius verò quòd sunt septem anni, conciliandi sunt: quia qui dixit sex, non negauit septem. Farinac. *d. p. 4. quæst. 3. num. 251.*

28 Si vnus dicat talem cum gladio fuisse occisum, alius cum claua, aut vnus asserat fuisse occisum cum gladio punctim, alius cum gladio cæsim, non sunt in criminalibus concordandi ad pœnam imponendam. Farinac. *d. p. 4. quæst. 6. & 7. num. 255. & seqq.*

29 Si vnus testis dicat Titium fuisse percussum à Seyo in fronte, alius verò in manu, concordari possunt ad vitandam falsitatem, non autem ad probandum. Farinac. *d. p. 4. quæst. 8. num. 258.*

30 Si vnus testis dicit tempore belli, alter dicit ante bellum, concordari possunt. Sicut etiam si vnus dicat factum tempore belli, alius autem post bellum. Farinac. *d. p. 4. quæst. 9. num. 261. & seq.*

31 Si vnus dicat ante bellum, alius post bellum, non concordantur vt probent, concordari tamen possunt ad vitandam falsitatem. Farinac. *d. p. 4. quæst. 10. num. 263. & seqq.*

fauorem actoris, etiamsi isti affirment, & illi negent; ac etiam licet testes pro reo sint minùs digni, vtpote laici aut fœminæ, vel etiam minores in numero, nisi testes actoris verisimiliùs deponant. Glossa *in cap.* In nostra. *in verbo* Aduersa. *& in verbo* Præferenda. *vbi* Abb. *num.* 2. *&* 4. Farin. *d. p.* 3. *num.* 152. *& seqq.*

38 Magis creditur testibus magis informatis, quàm aliis non tam informatis & narrantibus totum factum, quàm partem: imò testis interrogatus si non vult dicere totum quoad substantiam, falsus iudicatur. Felin. *in d. cap.* In nostra. *num.* 10. *& seq.* Rebuf. *de testibus part.* 1. *glossa* 8. *num.* 50. Farin. *d. part.* 3. *num.* 165. *& sequentibus.*

39 Testibus in specie deponentibus magis creditur, quàm deponentibus in genere; & deponentibus vniuersaliter, quàm indifinitè. Bertas. *consil.* 372. *num.* 6. *lib.* 2. Farin. *d. part.* 3. *num.* 170. *& sequenti.*

40 Testibus deponentibus cum ratione & redditione causæ, magis creditur quàm deponentibus sine tali causa; reddẽtibus meliorem rationem, quàm reddentibus non ita bonam. Baldus *in l.* Presbyteri. *sub num.* 14. *vers.* Item testes contrarij. Cod. *Episcop. & cler.* Felin. *dict. cap.* In nostra. *num.* 10. Farin. *d. part.* 3. *num.* 172. *& sequentibus.*

41 Magis creditur testibus senioribus, & antiquioribus, quàm iunioribus, nisi iuniores digniores sint; & item magis clericis, quàm laicis, nisi laici deponant ad fauorem rei. Felin. *in dict. cap.* In nostra. *num.* 1. *& num.* 12. Farinac. *dict. part.* 3. *num.* 175. *vsque ad* 178.

42 Magis creditur testibus masculis, quàm fœminis: & si omnes sunt fœminæ, magis creditur vir-

ginibus, quàm viduis, nisi fœminæ deponant pro reo, & viri pro actore, vel fœminæ sint bonæ famæ, viri autem malæ. Felin. *in d.cap.* In nostra. *num* 11. Farin. *d.p.3.num.*179. *& seqq.*

43 Magis creditur testibus notariis, quàm non notariis, etiam si notarij deponant pro actore, & non notarij pro reo; & nullus testis quantumcunque idoneus æquiparatur notario, etiam in fauore causæ piæ. Felin. *in d.cap.* In nostra. *num.* 9. Mascard. *tom.* 2. *concl.* 1100. *num.* 2. *& 6.* Farin. *d.p.3.num.*183. *& seqq.*

44 Testibus peritis magis creditur, quàm non peritis, etiamsi periti deponant super negatiua, & non periti super affirmatiua. Felin. *d.cap.* In nostra. *num.* 8. Farin. *d.p.3.num.*180. *& seq.*

45 Testibus deponentibus pro causa fauorabili, etiam negando, magis creditur, quàm deponentibus in contra, licèt affirment. Felin. *num.* 2. Farinac. *num.* 188. *& seq. d.p.3.*

46 Testibus distinguentibus magis creditur quã non distinguentibus & affirmantibus, etiam minoribus numero, quàm negantibus, licèt sint plures & clerici, dummodo non deponant ad fauorem rei. Glossa *in cap.* Vt circa. *in verſ.* Præterito. *de elect. in 6.* Mascard. *tom.*1. *concl.*70. *num.* 1. *& seqq.* Farin. *d.p.3. num.*191. *& num.*200. *& seqq.*

47 Testis deponens super affirmatiua, ex qua sequitur probatio negatiuæ, non dicitur super negatiua deponere. Mascard. *d.concl.*70. *num.* 9. Farin. *d.p.3. num.* 215. *& seqq.*

48 Testibus super negatiua vaga, pura, & non coarctata loco & tempore, cùm sit de sui natura improbabilis, non creditur. Secùs verò, si deponant in negatiua

negatiua coarctata loco & tempore. Clar. *in pract.* §. *fin. quæst.* 52. *num.* 9. Mascard. *d. concl.* 70. *num.* 5. *& seqq.* Farinac. *d. p.* 3. *num.* 221. *& seqq.*

49 Deponentibus super negatiua, coarctata loco & tempore, præterquam quòd debent esse idonei, etiam in casu difficilis probationis dicere tenentur de toto tempore negotij, & non debent remouere actum à sensu, dicentes: Non vidi, sed sensum ab actu, ita vt affirmant non potuisse illud fieri quin ipsi viderint, ac etiam reddere rationem sui dicti & scientiæ, etiam non interrogati: & sic deponentibus super negatiua, magis creditur quàm affirmantibus. Bald. *consil.* 31. *col.* 2. *lib.* 4. Felin. *d. cap.* In nostra *num.* 5. Farin. *d. p.* 3. *num.* 224. *& seqq.*

50 Testibus negantibus, tunc magis creditur, quàm affirmantibus, quando cum eorum depositione concurrit iuris præsumptio. Farinac. *d. p.* 3. *num.* 337. *& seq.*

51 Testis sibi ipsi varius, aut contrarius, absolutè loquendo nihil probat, maximè in criminalibus, & licèt concordetur non probat. Felin. *in cap.* Cùm in tua. *num.* 3. *vers.* Prima conclusio. *de testibus.* Mascard. *tom.* 3. *concl.* 1367. *num.* 2. *&* 3. Farinac. *quæst.* 60. *part.* 1. *num.* 13. *& par.* 9. *num.* 317. *&* 321. *& seqq.*

§. 3.

Testis varius, contrarius, & vacillans.

52 Testis varius & contrarius, in re idem sunt, differunt tamen, quòd varius diuerso modo deponit,

contrarius verò contraria asserit; seu varius est, qui non stat firmus in suo dicto, contrarius autem qui contraria tenaciter affirmat. Hostiens. *in cap.* Præterea *ad fin. vers.* Vel dic. *de test. coge.* Bald. *ibidem num.* 107. Farin. *d.p.* 1. *num.* 7. & 8.

53 Testis vacillans dupliciter accipitur. Primò, pro eo qui dubitatiuè, cum timore vel titubatione loquitur. Secundò, pro eo qui sic loquens etiam variat aut contraria dicit. Hic non probat, ille verò non omnino repellitur, diminuitur tamen in fide. Farin. *d.p.* 2. *num.* 10. & *duobus seqq.* & *num.* 14. & *seqq.*

54 Testis sibi varius & contrarius in aliqua parte substantiali, videlicet quæ concernit articulata, nec probat, nec facit indicium ad inquirendum. Mascard. *tom.* 3. *concl.* 1367. *num.* 7. & 8. Farin. *d.p.* 1. *num.* 19. & *seqq.*

55 Testis sibi varius & contrarius in qualitatibus, circunstantiis, & accessoriis, non verò in substantialibus, licèt in aliquo eius fides minuatur, probat tamen nonnullis casibus exceptis. Mascard. *dict. concl.* 1367. *num.* 5. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsump.* 23. *num.* 7. & 16. & *sequenti.* Farinac. *d.p.* 1. *num.* 24.

56 Non probat testis sibi varius & contrarius in qualitatibus & accessoriis, quando aliàs ex aliqua causa rationabili est iudici suspectus: & interrogatus de accidentibus, est in illis sibi varius & contrarius. Non probat etiam, quando depositio concernit factum proprium, & varietas est multiplex. Item si iurauit dicere veritatem in omnibus. Anton. Gomez. *var. tom.* 3. *cap.* 12. *num.* 11. Farin. *d.p.* 1. *num.* 25. & *seqq. vsque ad* 31.

57 Quando testis est sibi varius & contrarius ob

ob ignorantiam, errorem vel obliuionem (quæ in teſte per duos vel tres annos præſumitur) non in totum amittit fidem; nec etiam ſi varietas in ſubſtantialibus eſt modica. Bald. *in l.* Si ex falſis. *circa fin. C. de tranſact.* Menoch. *de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 23. *num.* 8. Farinac. *d. p.* 1. *num.* 32. *& ſeqq.*

58 Quando teſtis in ſecundo dicto plus aut minus dicit quàm in primo, non reputatur ſibi varius: nec etiam quando in ſecundo examine remittit ſe ad primum, cum proteſtatione quòd ſi aliter dixit, per primum dictum corrigatur ſecundum, dummodo ſit in caſibus in quibus admittitur relatiua depoſitio. Abb. *in cap.* Cùm in tua. *num.* 3. *de teſtibus.* Farin. *d. p.* 1. *num.* 37. *& ſequentibus.*

59 Si iudex nolit acceptare depoſitionem relatiuam, poteſt teſtis petere vt legatur ſibi primum examen; quod ſi iudex facere nolit, dicat teſtis proteſtando, quòd ſi in primo examine aliter dixit, ex nunc corrigit ſecundum dictum, & refert ſe ad primũ tamquam verum: tunc enim licèt dicat contraria, non diminuitur fides, ſed ſtatur primo dicto, quod debet regulariter ſeruari in crimine hæreſis, Menoc. *d. arbitr. lib.* 2. *caſu* 109. *num.* 11. *&* 12. Farin. *d. p.* 1. *num.* 40. *& ſequentibus, & de hæreſi quæſt.* 188. §. 1. *num.* 35.

60 In crimine hæreſis, & vniuerſim in criminalibus non admittitur relatiua depoſitio; nec etiam quando repetitur teſtis ad declarandum primum dictum dubium, aut quando teſtis aliàs eſt perſona ſuſpecta: iudicis tamen arbitrio relinquitur, an debeat admittere reſponſionem relatiuam. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 24. Maſcard. *tom.* 3. *concl.* 1374. *num.* 5. Farin. *d. part.* 1. *num.* 48. *& ſeqq.*

61 Teſtes

61 Testis varius & contrarius torqueri potest ad videndum in quo dicto persistat, etiam aliis indiciis non concurrentibus, sive varietas contigerit iudicialiter, sive extraiudicialiter, cum iuramento tamen, ita vt in iudicio vnum dicat, & extra iudicium dicat contrarium; & si talis testis in tormentis sæpiùs vacillat, secundò & tertiò potest torqueri, non verò vlteriùs. Anton. Gomez. *var. tom. 3. tit. de tortura num.* 29. Clar. §. *fin. quæst.* 25 *num.* 4. & 7. Farin. *d. quæst.* 66. *p.* 3. *num.* 98. *vsque ad* 112.

62 Vt tamen testis varius torqueatur, requiritur quòd fateatur se facto interfuisse, & quòd variatio sit in substantialibus, ac etiam in causa criminali, & quòd non sit in dignitate constitutus, nisi in criminibus exceptis. Anton. Gomez. *d. num.* 29. & Clar. *dict. quæst.* 25 *num.* 6. Farinac. *dict. p.* 3. *num.* 113. *vsque ad finem.*

§. 4.

Correctio testis.

63 In causa hæresis standum est secundo dicto testis, sive fateatur, sive neget, sive etiam interrogetur solùm vt testis in alios, sive vt principalis quoad se, & testis quoad alios, dummodo ex manifestis indiciis appareat testem velle suum primum dictũ corrigere ex zelo fidei, & secundũ dictum appareat verisimile, aut retractationis sufficiens reddatur causa. Couarru. *var. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 9. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 58. & 60. Farinac. *dict. quæst.* 66. *p.* 4. *num.* 157. *& seqq.*

64 In

64 In aliis causis regulariter statur primo dicto, licèt ex parte maneat dubitatum, nisi pro secundo dicto sint probabiles rationes; aut primum dictum fuerit extraiudiciale, secundum verò iudiciale. Couarru. *dict. cap.* 13. *num.* 8. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 108. *num.* 9. & 10. Farinac. *dict. part.* 4. *& parte* 6. *per totam.*

65 Quando testis cui sine tortura non creditur, in tortura dicit contrarium eius quod dixerat extra torturam, si interrogatur solùm vt testis, statur vltimo dicto; & si pluries torqueatur, etiam statur vltimo dicto, dummodo tortura sit legitimè data, aut non appareant rationabiles causæ, cur potiùs credatur primo dicto, quàm secundo. Si verò testis interrogatur principaliter pro se, & vt testis pro aliis, statur primo dicto, nisi pro secundo sint sufficientes coniecturæ, præsumptiones, vel adminicula. Clar. §. *fin. quæst.* 53. *num.* 10. Menoch. *d. casu* 108. *num.* 14. & 15. Farinac. *d quæst.* 66. *p.* 5. *per totam.*

66 Testis potest in continenti se corrigere. In continenti dico, quando nondum egreditur iudicis conspectum; imò & egressus, dummodo probabile sit quòd non est aliquem allocutus qui eum perverteret, quod iudicis arbitrio relinquitur. Correctionis tamen causam allegare debet qui se corrigit, aliàs verò correctio non admittitur. Clar. *d.* §. *fin. quæst.* 53. *num.* 10. Menoch. *d. casu* 108. *num.* 4. & 6. Couar. *dict. ca.* 13. *num.* 8. Farinacius *d. quæst.* 66. *parte* 7. *concluſ.* 1. & 3. *vſque ad* 7.

67 Testis ex interuallo se corrigere non potest, nisi fatetur causam verisimilem suæ correctionis, aut

sit

sit persona nobilis, & causa inter viles personas: si tamen velit addere ad primum dictum, etiam ex interuallo ei licebit. *Clar.d.§.fin.quæst.53.num.* 15. Couar. *d. num.*8. Menoch. *d.casu* 108. *num.*7. Farinac. *d.p.7.concl. 2.& 8. vsque ad* 12.

68 Publicatis attestationibus, non potest testis se corrigere, & quamuis correctio ex interuallo non admittatur, & non tollat primum dictum, illud tamen debilitat. Farinacius *dicta parte 7.concl.* 10.*&* 12.

69 In causa hæresis, etiam post publicationem possunt testes examinari; siue Inquisitor procedat ex officio, siue ad instantiam partis. Mascard. *tom.*2. *concl.* 857. *num.*37. Simanch. *cathol.* 64. *num.* 50. Farinacius *quæst.*75. *cap.*14. *num.* 409. *& de hæresi quæst.* 182. §. 1. Peñ. *ad* 3. *partem Direct. comment.*111. *vers.* Iam quod de examinandis.

70 Testis qui in primo dicto affirmatiuè deponit, & in secundo dicit se non recordari, licèt saluetur à contrarietate, non tamen probat. Farin. *d.quæst.* 66. *part.*9. *quæst.* 1. *num.*329. *& seq.*

71 Si testis in primo dicto dicat se non recordari, & in secundo se recordari & scire, probat. Idem est, si in primo dicto dubitatiuè deponit, & in secundo affirmatiuè: dummodo hæc fiant in diuersis examinibus, secùs si in eodem: tunc enim est varius & nihil probat, nisi alleget causam reuocationis primi dicti.

72 Testis, qui in primo dicto dicit se scire, & in secundo se credere, non probat in criminibus, nec etiam qui dicit se sentire, & in secundo dicto se credere. Petra *de fidei commiss. quæst.* 12. *num.*959. Farinac. *d.p.*9. *q.*7. *num.*345.

73 Si

73 Si testis in primo dicto dicat rem ita se habere, *quia vidi*, deinde dicit, *quia audiui*, concordatur, & probat de visu: & idem est, si in primo reddendo rationem dicat, *quia audiui*, & postea, *quia vidi*. Si verò primo dicat se scire, & deinde reddendo rationem dicat, *quia audiui*, solum probat de auditu. Farin. *d.p.9. quæst. item 9.& 10.*

74 Si testis primò dicit se hoc tantum scire, vel hoc tantùm verum esse, & postea aliquid aliud addit, non probat, sed reputatur varius & contrarius. Farin. *d.p.9.quæst.13 num.365.*

75 Testis qui non clarè deponit, interpretetur dictum suum. Quod si nesciat, vel absens sit, in eo sensu accipiatur, vt crimen excludat. Idem dicendum est de reo, si sit vir probus, Peñ. *d.com.111.*

76 In causis hæreticalibus non publicantur testium & accusatorum nomina, nec circunstantiæ ex quibus cognosci possint; Episcopo tamen aut eius vicario & consultoribus declarantur. Tempus autem & locus commissi criminis secundùm arbitrium Inquisitorum ad instantiam partis declarantur reo. Simanch. *d.tit 64.num.26.& seq.* Peñ. *ad 3.p.Direct.quæst. 75.comment. 124.* Farinac. *d.§.1.num.7. vsque ad 13.*

CAPVT VII.

De teste obscurè, vel dubiè deponente.

1 TEstis obscurè, dubiè, vel cum incertitudine deponens, nihil probat: vt quando depositio

tio diuersos continet intellectus. Mascar. *tom. 3. concl. 1369. num. 6.* Farin. *de testibus quæst. 68. §. 1. num. 1. & 2.*

2 Qui deponit non per verba quæ de necessitate concludant, sed per verba, *possibile, dubito, forsitan, prima fronte, si bene memini, ni fallor, salua veritate,* & similia, non probat. Mascard. *d. num. 6.* Farin. *d. §. 1. num. 3. vsque ad 17.*

3 Deponens alternatiuè per dictionem, *vel,* nisi vtraque pars tendat ad vnum effectum, non probat: neque etiam deponens per verbum, *circa, plus, vel minus,* quando agitur de probatione præcisi temporis, quantitatis vel loci. Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 46.* Farin. *d. § 1. num. 18. & seqq.*

4 Testis deponens de iudicio suo, vt, *mihi videtur,* vel, *non videtur,* non probat, nisi sui proprij iudicij bonam rationem reddat. Decian. *consil. 51. num. 11. lib. 2. & consil. 62. num. 11 & consil. 88. num. 9. lib. 3.* Farinac. *d. §. 1. num. 32. & seqq.*

5 Si depositio dubia, & æquiuoca in quolibet intellectu probat intentionem producentis bona reputatur. Farinac. *d. §. num. 41.*

6 Testium depositiones ad hoc vt probent, non cauillandæ, sed coadiuuandæ sunt, nisi testes sint suspecti: tunc enim cauillari debent. Farinac. *dict. §. 1. num. 43. & 44.*

7 Testium dubia verba sunt propriè interpretanda, nisi sic interpretata non probent: nam si probant impropriè interpretata, impropriè interpretanda sunt. Farin. *d. §. 1. num. 47. & 48.*

8 Testium dubia verba interpretanda sunt, secundùm communem vsum loquendi (attenta qualitate & conditione ipsorum testium) & vt sonent magis

gis factum, quàm ius: declarantur etiam per aliam depositionem ipsorum vel alterius testis, aut ex subiecta materia. Farinac. *d.* §. 1 *num.* 49. *vsque ad finem* §.

9 Testes de credulitate non plenè probant, absolutè loquendo, nec efficax indicium faciunt, nisi adhibitis circunstantiis, quamuis testes sint in magno numero, & se firmiter credere affirment. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 45. *num.* 1. 2. *&* 6. *& tom.* 3. *concl.* 1360. *num.* 1. *& seqq.* Farin. *d. quæst.* 68. §. 2. *num.* 62. *vsque ad* 75. *& num.* 106. *&* 110. *& seqq.*

10 Testes de credulitate deponentes, probant, quando suæ credulitatis reddunt sufficientem rationem, maximè in ijs, quæ directe probari non possunt, vel in casibus in quibus præsumptiua probatio habetur pro vera, aut in antiquis & quæ sunt difficilis probationis. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 104. *num.* 15. *& concl.* 459. *num.* 11. *& lib.* 3. *concl.* 1369. *num.* 7. *& seqq. vsque ad* 21. Farin. *d.* §. 2. *num.* 74. *vsque ad* 86.

11 Probant etiam testes de credulitate contra producentem, & ad defensionem innocentiæ, Mascard. *lib.* 3. *concl.* 1369. *num.* 18. *& lib.* 2. *concl.* 490. *num.* 4. *&* 5. Farin. *d.* §. 2. *num.* 75. 76. *& seq.*

12 Probant etiam in ætate, & in ijs quæ consistunt in peritia artis, in ijs etiam quæ sensu corporis percipi non possunt. Mascard. *lib.* 3. *concl.* 1369. *num.* 10. *&* 14. Farin. *d.* §. 2. *num.* 94. 95. *&* 82.

CAPVT VIII.

De teste falso & corrupto.

1 TEstis falsus nihil probat, tàm in ea causa in qua falsum deposuit, quàm in alia quacumque, nec similiter indicium facit ad torturam. Mascard. *l.b.2.concl.743.post.num 9.* Farinac. *quæst. 67. §.3.num.58. & seqq.*

2 Sententia lata ex falsis testibus, retractatur. Mascard. *conc.688.* Farin *d.§.3 num.64.*

3 Affirmans pro vero id, quod re vera verum est, sed illud verum testis ignorat, falsus est, & de falso punitur pœna arbitraria. Farinac. *d. §. 3. num.70. & seqq.*

4 Deponens falsum per ignorantiam, errorem, obliuionem, aut credens dicere verum, non punitur pœna ordinaria, sed extraordinaria, & non probat. Farin. *d. §. 3. num.77.85. & seqq.*

5 In dubio præsumitur testem deposuisse falsum per errorem & ignorantiam: idem præsumitur in rusticis, nisi sint sagaces, aut deponant super eo quod ipsi percipiunt. Mascard. *concl.745. num.13.* Farinac. *d.§.3.num.81. & seqq.*

6 Qui dicit se scire illud, quod tantùm audiuit à fide digno & bonæ famæ viro, excusatur à falso, si deponit de his quæ certa probatione sciri nequeunt, vt quòd quis sit filius talis. Secùs autem in ijs, quæ certa probatione sciri possunt. Si tamen falsò dixisse reperiatur, pœna extraordinaria punietur propter temeritatem. Farin. *d.§.3.num.91. & seqq.*

7 Qui

7 Qui deponens verum in dicto principali, si dicat falsum in redditione causæ, sola extraordinaria pœna punitur. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 95. *& seqq.*

8 Deponens de sua credulitate, licèt falsò deponat, de falsò tamen non tenetur, nisi ex confessione sua de falsò conuincatur. Farinac. *d.* §. 3. *n.* m 99. *& sequentibus.*

9 Ad puniendum testem de falsò pœna ordinaria, requiritur euidens & necessaria probatio: quoad pœnam verò extraordinariam, suspiciones & argumenta sufficiunt. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 74. *& seqq.*

10 Vt testis falsus non probet, debet aliunde de falsitate constare, quàm ex propria ipsius confessione, si in fauorem deponit. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 110. *& quæst.* 46. *num.* 56. *& seq.*

11 Testis in parte falsus, siue deponat super capitulis connexis, siue separatis, nihil probat; nisi falsitas sit in accessoriis extrinsecis & impertinentibus: nam si in substantialibus, aut in iis, quæ quoquo modo tangunt causam, & ad illam pertinent, etiam si sit in minimo falsus, in totum reputatur falsus. Mascard. *tom.* 2. *concl.* 743. *num.* 1. *& sequent.* Farinac. *dict. quæst.* 67. §. 4.

12 Testis aliàs suspectus si inueniatur falsus in qualitatibus extrinsecis & impertinentibus, in nullo creditur. Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 120. *& seqq.*

13 Deponens falsum super generalibus interrogatoriis, vt si neget esse affinem, inimicum, pauperem, &c. nihil omnino probat, quando talis negatio aut affirmatio facit ad causam, vel tribuit vel tollit fidem testi. Bald. *in l.* Si ex falsis. C. *transact.* Innocent. *in cap.* Fraternitatis. *num.* 1. *col. glos.* 1. *de hæret. relati per*

Mascard. *tom* 1. *concl.* 68, *num.* 12. Farin *d.* §. 4. *num* 126. *& seqq.*

14 Qui falsum dicit in loco & tempore, dicitur falsum dixisse in substantialibus. Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 141.

15 Testis in parte falsus, siue scienter, siue ignoranter falsum deposuerit, in totum reputatur falsus, & in dubio præsumitur falsus, & non probat Menoc. *de præsumpt. lib.* . *præsumpt.* 22. *præsertim num.* 9. Mascard *lib.* 2. *concl* 743. *num.* 7. Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 141, *& seqq.*

16 Qui in vno inuenitur falsus, in omnibus tàm futuris, quàm præteritis præsumitur falsus. & non probat Mascard. *lib.* 2. *concl.* 743. *num.* 4. & 5. Farin. *d.* §. 4. *num.* 150 *& seqq.*

17 Qui iurauit absolutè dicere veritatem super tota causa, tenetur dicere veritatem super connexis, & accessoriis, non tamen trahitur iuramentum ad impertinentia, & sic dicens falsum in illis, non desinit probare in aliis. Farin *d.* §. 4. *num.* 175. *& seqq.*

18 Qui specificè iurauit dicere veritatem super omnibus de quibus fuerit interrogatus, tenetur dicere verum, etiam in impertinentibus: & si in illis falsò deponat, in nullo creditur: in dubio tamen præsumitur testis iurasse super tota causa. Menoch *de præsump. lib.* 5. *præsumpt.* 22. *num.* 21. Mascard *concl.* 743. *num.* 12. Farin. *d.* §. 4. *num.* 175. *& seqq.*

19 Testis, qui errat & falsum deponit in nomine, cognomine, agnatione, parentela, vel parochia, si non errat in corpore, non dicitur falsus, & probat in aliis. Farin. *d.* §. 4. *num.* 185.

20 Testis, qui in sua depositione occultat verum,

rum, falsus reputatur, sicut etiam qui dolo aut non reddit rationem sui dicti, aut non sufficientem, & item qui dicit se non recordari de eo, cuius probabile non est ipsum obliuisci Mascard. *lib.1. in præfat. qu. 5 num 70. & seqq.* Peñ. *3.part. Direct. quæst. 73. num. 122* Farin. *d. quæst. 67. § 6. num. 220. & seqq. & de hæresi quæst. 188. § 2. num. 42.*

21 Qui dolosè, obscurè, aut dubitatiuè deponit de eo, quod distinctè, clarè & certò scit, reputatur falsus, & punitur Farin. *d. § 6. num. 225. & seqq.*

22 Testis corruptus promissione, pecunia, metu, precibus vel alia re non probat, & in dubio præsumitur falsum dixisse pro corrumpente; contra corrumpentem verò probat Mascard. *concl. 455. num. 1.* Farinac. *dict. 67. § 7. num. 236. & seqq. & num. 249. & seq. & num. 269.*

23 Vno teste corrupto alij corrupti præsumuntur: corruptio autem ex indiciis arguitur Mascard. *concl. 1340. num. 1. & 6.* Farinac. *dict. § 7. num. 256. & seqq.*

24 Si pecunia detur testi pro expensis itineris, aut pro operis omissis, dummodo non excedat illarum æstimationem, non iudicatur pecunia corruptus. Si tamen post depositionem pecuniam acceptet licèt non dicatur corruptus, nulla præcedente promissione, est tamen multum de corruptione suspectus. Couar. *regula* Peccatum. *part. 2. § 3. num. 4. de reg. iuris in 6* Menoch *de arbit. casu 310. num. 10.*

25 Testis corruptus probat pro corrumpente, quando producitur ab eo contra quem fuit corruptus. Surd. *consil. 132. num. 3. lib. 1.* Farinac. *dict. § 7. num. 280.*

26 Testis instructus à parte aut ab aduocato non probat, & præsumitur instructus & suspectus eo ipso, si antequam deponat alloquatur partem, nisi bona fide instruatur, & verum deponat. Mascard. *concl.* 1364. *num.* 3. Farin. *d. quæst* 67. §. 8.

27 Testis falsus in crimine hæresis grauiùs, quàm in aliis criminibus puniendus est, regulariter tamen curiæ seculari non traditur, sed producitur in publicum spectaculum, ligatis manibus & pedibus, discooperto capite, in camisia vsque ad horam prandij, seu in porta Ecclesiæ ponitur, fustigatur, ad triremes mittitur, & aliis pœnis plectitur, vt mitra infami, exilio, & carcere etiam perpetuo. Peñ. 3. *p. Direct. comment.* 122. Farin. *d. quæst.* 67. §. 1. & *quæst.* 188. *de hæresi* §. 2. *num.* 36. *vsque ad* 39.

28 Eadem digni sunt pœna, qui testes pretio aut minis corrumpunt, & qui hoc fieri mandant, dummodo nocumentum graue sit, licet reus curiæ seculari non tradatur. Si verò testimonio suo parum aut nihil nocumenti afferant, mitiùs puniuntur. Peñ. *d. commentar.* 122. Farin *d. quæst.* 188. §. 2. *num.* 44.

29 Si reus ob falsam depositionem puniatur, potest testis pœna talionis plecti, & curiæ seculari cum publicatione bonorum tradi. Simanc. *cathol tit.* 64. *rubr. de testibus num.* 90. 94. & *seq.* Rojas *de hær. pa.* 2. *assert.* 8. *rum.* 156. & *sequentibus.* Farin. *d. quæst.* 188. §. 2. *num.* 39. 46. & 51. & *d. quæst.* 67. §. 1. *num.* 9. & 11.

30 Testis falsò coram Inquisitore deponens, ab eodem puniri potest, vocato tamen Episcopo, & consulto supremo Tribunali. Peñ. *d. comment.* 122. Farin. *d. quæst.* 188. §. 2. *num.* 40. & 53.

31 Licèt falsi testes in crimine hæresis eadem pœna

pœna qua hæretici puniendi sint, non tamen eorum filij, & nepotes redduntur infames, nec aliis pœnis obligantur, quibus hæreticorum liberi sunt obligati. Simanch. *cathol. tit. 64. rubr. de testibus num. 96.* Sanch. *decal. lib. 2. cap. 27. num. 25.* Farinac. *d. §. 2. num. 54.*

32 Qui falsum deposuit ad liberandum eum, qui de hæresi puniendus venerat, probabile est non esse puniendum pœna talionis, sed arbitraria: probabile etiam est oppositum. Farinac. *d. §. 2. num. 49. & 50. & quæst. 67. §. 1. num. 18.*

CAPVT IX.

De teste periuro.

1 TEstis periurus, qui aliàs admittendus non erat, in crimine hæresis admittitur, quando ex indiciis manifestis apparet, quòd ex zelo iustitiæ deponit & reuelat tàm contra se, quàm contra alios, illud quod prius celauerat. Eymer. *in Direct. p. 3. quæst. 65.* Mascard. *lib. 2. concl. 857. num. 5. & 6.* Farin. *de testibus quæst. 56. art. 5. num. 203. & 204. & de hæresi quæst. 188. §. 5. num. 82.*

2 Quando testis, qui in crimine hæresis deponit, est varius & periurus, statur secundo dicto & non primo, etiam si ex interuallo se correxerit, esto non deponat contra se, sed absolutè contra alios; dummodo tamen ex manifestis indiciis appareat ex zelo fidei dictum suum corrigere, ac probabilem rationem reddat quòd verùm dicat. Peñ. *3. part. Direct. comment;*

114. Mascard. *concl.* 857. *num.* 7. Farinac. *d.* §. 5. *num.* 83. *& sequentibus.*

3 Non omnis periurus reputatur idoneus testis in crimine hæresis; sed ille tantùm, qui variando in examine peierauit, dicendo contrarium eius, quod primo loco dixerat. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 14. Farin. *d.* §. 5. *num.* 92.

4 Vt secundo dicto testis periuri credatur, parum refert, quòd primo loco affirmauerit, & secundo negauerit Simanch. *cathol. tit.* 64. *rubric. de testibus num.* 56. *& seqq.* Farin. *d.* §. 5. *num.* 95. *& 96.*

5 Quando secundo dicto negantis quod priùs dixerat, obstat aliud, quàm solius periurij defectus, primo dicto standum est, semper tamen cum aliquo defectu secundùm iudicis arbitrium. Peñ. *d. comment.* 114. *vers.* Postremò. *& vers.* Illud tamen. Farin. *d.* §. 5. *num.* 93. 97. *&* 98.

6 Licèt stetur secundo dicto in fauorem fidei, non videtur tamen admittenda eius probatio sine tortura. Peñ. *d. comment.* 114. *vers.* Vt autem. Farin. *d.* §. 5. *num.* 99.

7 Testis periurus semper puniendus est, maximè si volebat occultare hæreticum, quantumcumque eius dictum admittatur. Peñ. *d. vers.* Vt autem. Farin. *d.* §. 5. *num.* 100.

CAP.

CAPVT X.

De teste inimico.

1 NOn admittuntur in testes inimici capitales, conspiratores, & cohabitantes cum illis neque eis creditur, neque indicium faciunt, etiam si deponant per tormentum, aut in articulo mortis, etiam in criminibus exceptis, & in hæresi. Peñ. 3. *part. comment.* 116. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 463. *num.* 31. *& 32. & lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 40. *& seq.* Farin. *de test. quæst.* 53. *num.* 5. *& seqq. & de hæret. quæst.* 188. §. 6. *num.* 101. *& seqq.*

2 Inimici non capitales admittuntur in testes cum aliqua diminutione, secundùm inimicitiæ qualitatem: capitales autem & graues repelluntur in totum. Peñ. *d. comment.* 116. Mascard. *concl.* 463. *num.* 34. Farinac. *dict. quæst.* 53. *num.* 52. *& seqq. & d.* §. 6. *n.* 110.

3 Capitales inimicitiæ regulariter oriuntur ex morte, infamia graui, & lethali vulnere, amissione omnium bonorum aut maioris eorum partis. Peñ. *d. com.* 116. Farin. *d.* §. 6. *num.* 110.

4 Vndecumque capitalis inimicitia causata sit, sufficit ad repellendum testem; licèt autem inimicitia non probetur, satis est quod probetur illius causa. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 52. *& 53. & concl.* 899. *num.* 10. Farin. *d. quæst.* 53. *num.* 18. *& seqq.*

5 Sufficiunt inimicitiæ occultæ, & præsumptæ, dummodo notæ sint testi. Mascard. *d. concl.* 899. *num.* 3. Decian. *crim. lib.* 3. *cap.* 25. *num.* 9. *&* 10. Farin. *d. quæst.* 53. *num.* 24. *& seqq.*

6 Inimicus reconciliatus, si reconciliatio sit recens non admittitur: si vetò sit antiqua, recipitur: non est tamen omni exceptione maior. Quæ autem reconciliatio sit dicenda recens, iudicis arbitrio relinquitur, personarum ac inimicitiæ qualitate considerata. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 47. Farinac. *d. quæst.* 53. *num.* 58. *& seqq. & d quæst.* 188. §. 6. *num.* 105.

7 Repellitur etiam odiosus non benevolus, ac non diligens eum contra quem producitur. Farinac. *d. quæst.* 53. *num.* 30. *& seqq.*

8 Suspecti de inimicitia, nimirum consanguinei, & affines inimici, subditi, & habitantes continuè in domo illius, & cum illo conuersantes, & amici valde familiares inimici, quamuis recipiantur, non tamen eis creditur, nisi adminiculo aliquo fulciantur. Mascard. *lib.* 2. *concluſ.* 899. *num.* 31. *& concl.* 857. *post num.* 49. *& seqq.* Farin. *d. quæst.* 53. *num.* 33. *vsque ad* 43. *& d.* §. 6. *num.* 107.

9 Si pars procurauit inimicitiam per fraudem, non repellitur testis, qui sic factus est inimicus, non tamen illum integrum esse dixerim. Farin. *d. quæst.* 53. *num.* 64. *& seq.*

10 Inimicus vtriusque partis non repellitur, probat etiam contra producentem & in fauorem inimici. Ant. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.* 12. *rubr. de probat. delict. num.* 14. *verſ.* Item etiam limita. Mascard. *concluſio.* 857. *num.* 16. *&* 17. *& concl.* 1235. *per totam.* Farinac. *d. quæst.* 53. *num.* 66. 67. 71. *&* 72.

11 Testis inimicus etiamsi sit bonæ famæ, & aliis circunstantiis adminiculatus, non facit indicium ad torturam. Farin. *d. quæst.* 53. *num.* 75.

12 Inquisitores ex officio interrogare debent de

de inimicitia, tàm teſtes, quàm etiam reum inquiſitum. Eymer. *3.p. Direct. num. 119. vbi* Peñ. *comment. 29.* Farin. *d §.6 .num.* 106.

CAPVT XI.

De teſtibus conſanguineis, domeſticis, & familiaribus.

1 COnſanguineus & affinis valde coniuncti, in crimine hæreſis non admittuntur ad teſtificandum in defenſionem, & ſi admittantur, non probant, niſi veritas aliter haberi non poſſit. Maſcar. *lib. 1. concl. 68. num. 3. & concl. 857. num. 24. & ſeqq.* Peñ. *3.p. Direct. com. 119. & 170.* Farin. *quæſt. 54. de teſt. num. 29. & quæſt. 188. de hære. §. 8. num. 149. & 150.*

2 Conſanguineus & affinis valde coniuncti non poſſunt cogi ad teſtificandum, niſi in crimine hæreſis, aut quando aliter veritas haberi non poteſt. Maſcard. *lib. 1. concl. 74. num. 1. & 2. & lib. 2. concl. 839. num. 3. & 5.* Farin. *quæſt. 54. de teſtibus reg. 1. præſertim num. 13. 18. 29. & 77.*

3 Conſanguinei & affines probant inter æqualiter coniunctos. Farinacius *d. reg. 1. num. 45. & reg. 2. num. 116.*

4 Affines diſſoluta affinitate probant, cum aliqua tamen diminutione. Farin. *d. reg. 1. num. 32.*

5 Frater pro fratre contra alium nec indicium facit ad torturam. Farinac. *d. reg. 1. num. 72. & reg. 2. num. 135.*

5 Quamui

6 Quamuis regulariter frater non possit cogi ad testificandum contra fratrem in criminalibus, in causa hæresis, & cogi ad id potest, & tenetur. Farin. *d. reg.* 1 *num.* 97. *&* 111. Mascard. *concl.* 463. *num.* 8. *& concl.* 857 *num.* 16.

7 Parentes pro filiis, & filij etiam adoptiui, ac nutritij, omnes item ascendentes, & descendentes, non admittuntur in testes, nisi in crimine hæresis, & aliis exceptis. Mascard. *lib.* 1 *concl.* 463. *num.* 9. *& lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 18. *& sequentibus.* Farinac. *dict. quæst.* 53. *reg.* 3. *præsertim à num.* 145. *vsque ad* 174.

8 Vxor contra maritum, sponsa contra sponsum, concubina contra eum qui eam retinet in concubinatu, amasius contra amasiam, quamuis aliàs non admittantur in testes, in causis tamen fidei testificari tenentur. Farin. *d. quæst.* 53. *reg.* 4.

9 Domestici, qui aliquo modo inferiores sunt, non admittuntur in fauorem, nisi in causis difficilis probationis; & quæ domi contingunt. In causa tamen hæresis non solum admittuntur contra domesticos, sed ad testificandum cogi possunt. Mascard. *concl.* 857. *num.* 22. *&* 25. Peñ. 3. *p. Direct. comment.* 125. *& comment.* 115. *&* 119. Farinac. *quæst.* 55. *de testibus inspect.* 1 *præsertim. num.* 94. *&* 95. *& quæst.* 188. §. 8. *num.* 143. *& seqq.*

10 Familiares, famuli, ancillæ, & serui non admittuntur regulariter pro dominis; admissi tamen aliquod faciunt indicium, in criminibus autem exceptis admittuntur. Farin. *d. quæst.* 55. *inspect.* 2.

11 Subditi & vassali licèt admittantur pro domino, non tamen sunt integræ fidei Idem ferè dicendum est de colonis, inquilinis, emphyteutis & amicis

cis. Farinac. *dict. quæst. 55. inspect. 3. 4. & 5.*

CAPVT XII.

De teste Iudæo, hæretico, & infideli.

1 IVdæi, hæretici, apostatæ, infideles, dubij in fide, fautores, defensores ac eorum receptatores, qui aliàs contra Christianos in testes admitti non debent, admittuntur tamen in causa fidei, & in criminibus exceptis. Peñ. 2. *p. Direct. comment. 13. vers.* Cæterum. Mascard. *lib. 2. concl. 857. num. 9. & sequent.* Farin. *de test. quæst. 56. art. 6. num. 227. & de hæret. quæst. 188. §. 7. num. 125. & 134.*

2 Quamuis prædicti infideles recipiuntur contra Christianos, non faciunt plenam probationem, nisi adsint sufficientes aliæ coniecturę: vnde vnus non sufficit ad capturam, sufficiens tamen est ad secretas informationes faciendas. Peñ. *3. p. Direct. commen. 117.* Farin. *d. §. 7. num. 116.*

3 Iudæus, hæreticus, & infidelis contra alios Iudæos, hæreticos, & infideles testes esse possunt, quando prædicti ab Inquisitoribus puniuntur. Peñ. 2. *parte Direct. comment. 17. ad Cap.* Contra Christianos, *de hæret. in 6.* Farin. *d. §. 7. num. 123. 138. & 141.*

4 Hæretici, & alij infideles, nec pro fidelibus, nec pro infidelibus in causa fidei admittuntur in fauorem. Peñ. *3. par. Direct. comment. 117. & 118.* Farin. *d. §. 7. num. 127.*

5 Prædictis infidelibus creditur, si deponant de facto proprio. Peñ. *d. comm. 117.* Farin. *d. §. 7. num. 133.*

6 De

6 De partium consensu possunt huiusmodi infideles in testes admitti. Peñ. *d. comment.* 117. Farin. *d.* §. 7. *num.* 134.

7 Infideles tàm in tormentis, quàm extra, si verisimiliter deponant, aliquali fide digni sunt. Peñ. *dict. com.* 117. & 118. Farin. *d.* §. 7. *num.* 135. & 137.

8 Multi infideles verisimiliter deponentes, probant, & per illos conuincuntur hæretici, Eymer. 3. *p. Direct. quæst.* 69. *vbi* Peñ. *comment.* 118. Farin. *d.* §. 7. *num.* 136. & 141.

CAPVT XIII.

De testibus inhabilibus.

1 IN criminalibus, absolutè loquendo, testes non solùm debent esse idonei, sed omni exceptione maiores. Albert. *de agnosc. quæst.* 34. *num.* 4. Mascard. *lib.* 3 *concl.* 1366. *num.* 4. Farin. *de test. quæst.* 62. *num.* 21. & *sequenti.*

2 Testis integer, legitimus, idoneus, & omni exceptione maior, idem ferè sunt, & dicuntur illi, *qui nulla legitima exceptione repelli possunt. Vid.* Farinac. *dict. quæst.* 62. *in præludio.*

3 Testis inhabilis, seu non idoneus est *ille, qui contra se habet aliquam legitimam exceptionem quæ ipsum in totum, vel in partem repellat.*

4 Testis minùs idoneus emendatus, idoneus efficitur. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 113. *vers.* Verum tamen.

5 In

5 In criminibus difficilis probationis, quando veritas aliter haberi non potest ratione loci, temporis aut alia ex causa, admittuntur testes inhabiles, dummodo per viam accusationis non procedatur, & inhabilitas non oriatur ex pluribus defectibus: admissi tamen non possunt dici omni exceptione maiores Farinac. *dict. 62. limit. 3. & limit. vltim. num.* 383. *& seqq.*

6 In crimine hæresis & aliis exceptis admittuntur testes inhabiles, etiam si per viam accusationis procedatur, non tamen probant, nisi sint plures quàm duo. Mascard. *lib. 1. concl. 462. num. 1. & seqq. & lib. 3. concl. 1365. num. 15.* Farinac. *d. quæst. 62. limit. 4. & de hær. quæst. 188. §. 4. num. 79.*

7 Testes inhabiles non probant adminicula exceptorum criminum, adminicula, inquam, non substantialia. Mascard. *lib. 2. concl. 857. num. 35.* Farin. *d. limit. 4. num. 87. & quæst. 56. num. 72. & seqq. & de hæret. quæst. 188 §. 4. num. 80.*

8 Testes inhabiles admittuntur ad defensionem rei, etiam in crimine hæresis, dummodo inde non sequatur pœna parti accusanti: admissi etiam non plenè probant. Mascard *lib. 2. concl. 905. num. 1. & 13. & concl. 1365. num. 16.* Farin. *d. quæst. 62. limit. 5.*

9 Testes, quorum inhabilitas nota est producenti, probant contra illum, nec potest illos reprobare, nisi detur diuersa ratio inter producentem & aduersarium Mascard *lib. 2. concl. 1241. num. 1. & seqq.* Farinac. *d. quæst. 62. limit. 10.*

10 Si testes inhabiles examinentur quando examinari non possunt, solùm faciunt indicium ad informationem sumendam, non verò ad torturam,

Mascard.

Mascard. *concl.* 683. *num.* 4. Farin. *d. quæst.* 62. *limit.* 11.

11 Inhabilitas testium, qui ad actus probationem requiruntur, consideranda est tempore depositionis & iuramenti. Farin. *dict. quæst.* 62. *limit.* 12.

12 Inhabilitas testis, quæ ipsum omnino à testificando non repellit, suppletur in criminalibus, etiam in crimine hæresis, ex adminiculis, & coniecturis, & ex præstantissima fide alterius testis, quoad torquendum, non verò quoad condemnationem. Mascard. *lib.* 3. *concl.* 1365. *num.* 11 *& seqq.* & *lib.* 2. *concl.* 856. *num.* 7. Anton. Gomez. *lib.* 3. *var. cap.* 12 *num.* 21. *vers.* Item addo. Farin. *d. quæst.* 62. *limit.* 14.

13 Testes inhabiles licèt regulariter non sufficiant nisi ad inquirendum ad torturam, & ad pœnam extraordinariam; si tamen magnus sit eorum numerus, & adsint coniecturæ sufficientes, suppletur eorum defectus, & potest imponi pœna ordinaria. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 113. *vers.* Nec refert. Farinac. *de hæret. quæst.* 188. §. 4. *num.* 83.

14 Quando testes inhabiles admittuntur, non potest contra eos opponi quòd sunt inhabiles, opponi tamen potest contra eorum dicta, quòd sint contraria, varia, vacillantia aut falsa, vel quòd sint capitales inimici, aut cum ipsis colłabitent. Locat. *in ind. inquisit. verbo* Testis. *num.* 34. Farin. *d.* §. 4. *num.* 82.

15 Testes infames de iure vel de facto, excommunicati, criminosi & participes in crimine, licèt in causa hæresis admittantur, etiam sine tortura, non sunt integræ fidei, cùm sint inhabiles. Eymeric. 3. *part. Direct. quæst.* 64. & 66. *vbi* Peñ. *comment.* 113. & 115. Mascard. *lib.* 2. *concluf.* 855. *num.* 9. & *concl.* 857. *num.* 38. Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 67. & *sequentibus*, &

de

de testibus quæst. 56. articul. 3. & 7.

16 Licèt mulieris testimonium in causa criminali criminaliter agitata non admittatur, exceptis quibusdam casibus, admittitur tamen in crimine hæresis. Mascard. *lib. 2. concl. 762. num. 1.* Farinac. *de testib. quæst. 59. casu 1. & de hæresi quæst. 188. §. 4. num. 67.*

17 Mulieres admissæ ad testificandum in causa criminali, etiam hæresis, non sunt integræ fidei; vnde duæ aut tres non plenè conuincunt, vbi agitur de pœna mortis imponenda. Farinac. *d. casu 1. num. 26. & sequentibus.*

18 Carceratus quamdiu in carcere retinetur, accusatus, denuntiatus, & inquisitus, pendentibus accusatione, denuntiatione, & inquisitione, qui aliàs in criminibus non admittuntur, admitti debent in criminibus exceptis. Farinac. *de testibus quæst. 56. art. 4.*

16 Meretrix & leno, qui à testificando repelluntur in crimine hæresis, & aliis exceptis admittuntur cum suis defectibus. Mascard. *lib. 2. concl. 1067. num. 41.* Farinac. *d. quæst. 56. art. 10.*

20 Admittuntur in crimine hæresis etiam cum defectu birroarij, illegitimi, blasphemi, lusores, ebrij, dummodo quando deponũt non sint in actuali ebrietate, histriones, apostatæ à religione, proditores, fustigati, prodigi, calumniatores, professores artis ludicræ. Farinac. *d. quæst. 56. art. 12.*

21 Pauperes, personæ viles, ac exercentes officium vile & abiectum, non sunt testes exceptione maiores. Farin. *de test. quæst. 57.*

22 Furiosus, mente captus, & fatuus non admittuntur ad testificandum, nec admissi probant, etiã de iis quæ viderunt ante furorem. Mascar. *concl. 828.*

num. 4. & 7. & *concl.* 1364. *num.* 23. Farin. *de testi. quæst.* 61 *num.* 1. *usque ad* 12.

23 Furiosus effectus sanæ mentis probat, non tamen de iis quæ vidit dum erat furiosus. Idem dicendum est de habente lucida interualla. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 828. *num.*, Farin. *d. quæst.* 61. *num.* 13. & *sequentibus.*

24 Cæcus repellitur à testificando, nisi deponat de iis quæ ante cæcitatem vidit, aut quæ auditu percipiuntur. Farin. *d. quæst.* 61 *num.* 19. & *sequentibus.*

25 Cæcus deponens de auditis est integræ fidei, quando audita talis sunt naturæ, vt circa illa falli non possit, vt de sono campanæ, tonitruo, & similibus. Secùs verò de pluribus vocibus determinatæ personæ, nisi talis sit, quòd eius vocem notam omnino habeat. Mascard. *concl.* 278. *num.* 12. & 18. & *seq.* Farin. *d. quæ.* 61. *num.* 26. & *seqq.*

26. Mutus simul & surdus à natiuitate non recipitur in testem; si tamen ex accidenti mutus efficiatur & surdus, sciátque legere ac scribere, licèt in aliis criminibus non admittatur, in crimine hæresis non crederem reiiciendum fore. *Vidend.* Mascard. *concl.* 1364. *num.* 26. & Farinac. *d. quæst.* 61. *num.* 36. & *seqq.*

27 Licèt laicus contra clericum & clericus contra laicum regulariter testimonium ferre non possint in aliis criminibus, in crimine tamen hæresis testificari possunt. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 463. *num.* 14. & *lib.* 3. *concl.* 1364. *num.* 58. Farinac. *d. quæst.* 61. *num.* 104.

CAP.

CAPVT XIV.

De teſte vnico.

1 TEſtis vnicus in criminalibus non plenè probat, etiam coram iudice debente iudicare ſola veritate facti inſpecta; probat tamen ſemiplenè ſi ſit idoneus. Alexand. *conſ.* 89. *num.* 5. *lib.* 5. Menoch. *de arbit. lib.* 2. *caſu* 99. *num.* 19. Farin. *de teſt. quæſt.* 63. *cap.* 1. *præſertim num.* 7.

2 Quamuis teſtis ſit Epiſcopus, non plenè probat in criminibus, etiam per literas. Decian. *conſ.* 92. *num.* 23. *lib.* 2. Farin. *d. c.* 1. *num.* 15. & 16.

3 In præiudicium tertij, præſertim in criminalibus, etiam Cardinalis non plenè probat. Maſcard. *lib.* 1. *quæſt.* 111. *num.* 111. & *concl.* 269. *num.* 30. Farin. *d. quæſt.* 63. *cap.* 2. *num.* 65.

4 Dictum Papæ & Regis in criminalibus vbi agitur de notabili damno tertij, non plenè probat, etiamſi contineat factum proprium. Maſcard. *lib.* 1. *concl.* 130. *num.* 1. & *ſeqq.* Decian. *conſil.* 18. *num.* 272. & *conſ.* 23. *num.* 6. Farinac. *d quæſt.* 63. *cap.* 3.

5 Teſtis deponens in facto proprio in criminalibus, licèt plùs quàm ſemiplenè probet, non tamen plenè; niſi ſufficientibus adminiculis & præſumptionibus concurrentibus: quod iudicis arbitrio committitur. Idem etiam eſt, quando aliter veritas inueniri non poteſt. Farinac. *d. quæſt.* 63. *cap.* 4.

CAPVT XV.

De testibus singularibus.

1 TEstium singularitas triplex est, obstatiua nimirum, adminiculatiua seu cumulatiua & diuersificatiua. Roias *de haret. part. 2. assert. 6. num. 122.* Peñ. *ad 3. Direct. comment. 121, versic.* Sed quo. Farin. *de testibus quæst. 64. num. 4.*

2 Singularitas obstatiua est illa, *quæ testium inter se repugnantium continet*: vt si de eodem actu vnus deponat factum fuisse in vno loco, & alius in alio. Peñ. Farin. *num. 5. citatis locis. vers.* Obstatiua est.

3 Singularitas adminiculatiua dicitur illa, *quæ oritur ex testibus, in quibus nulla est repugnantia, sed per diuersa media in eumdem finem tendunt.* Vt si vnus deponat de visu, alius de fama; vel vnus de vno actu, alius de alio eiusdem speciei Albert. *in cap. 1. quæst. 16. num. 63. de hæret. in 6.* Peñ. *vers.* Cumulatiua est. Farin. *num. 6. vbi supra.*

4 Singularitas diuersificatiua datur, *quando testes deponentes de diuersis actibus inducunt diuersitatem in re, in effectu, & in substantia.* Albert. *num. 64.* Peñ. *vers.* Vltima est Farin. *num. 7. vbi suprà.*

5 Testes singulares dicuntur illi, qui in suis depositionibus coniungi non possunt, aut qui diuersimodè deponunt respectu subiecti vel obiecti super quo deponunt. Farinac. *num. 26. & 27. citatis locis.*

6 Propriè loquendo, illi testes dicuntur singulares, qui in sua depositione contestem non habent, non tamen dicuntur singulares ex eo, quòd se ipsos contestes

conteſtes non allegant, dummodo in depoſitione concordent; licèt vnus dicat ſe non recordari alium fuiſſe præſentem, aut ſi neget præſentialitatem alterius. Peñ. *dict. comment.* 121. *verſic.* Teſtis verò ſingularis. Maſcard. *concluſ.* 856. *num.* 2. Farina. *num.* 28. & 29. *d. quæſt.* 64.

7 Etiam teſtes ſingulares ſunt illi; *quorum dicta ex factorum diuerſitate ſeparationem recipiunt: aut quando ex eorum dictis probatio redditur, dubia; habetque ſe ad eſſe, & non eſſe.* Farinac. *num.* 31. & 32.

8 Quando teſtium ſingularitas eſt obſtatiua, minùs probant plures, quàm vnus, atque adeò nec ſemiplenè probant. Rojas *de hæret. part.* 2. *aſſert.* 6. *num.* 120. & 121. Albertin. *dict. quæſt.* 6. *num.* 56. Maſcard. *concl.* 95. *num.* 20. Farinac. *d. quæſt.* 64. *à num.* 39 *vſque ad* 57. & *ſeqq.*

9 Teſtes ſingulares ſingularitate diuerſificatiua, probant ſemiplenè, dummodo inter eos ſit vnus omni exceptione maior, nec diuerſitas talis ſit, quæ videatur facere contrarietatem. Albert. *d. quæſt.* 16. *num.* 68. Farinac. *d. quæſt.* 64. *num.* 47. & *ſeqq.*

10 Si vnus teſtis deponat de actu vno tempore & loco facto, alius verò de eodem actu, ſed non recordatur de tempore & loco, præſumuntur conteſtes, dummodo vnus teſtis referat alium, nec locus & tempus ſint de ſubſtantia. Afflictis *deciſ.* 372. *num.* 8. Farin. *d. quæſt.* 64. *à num.* 74. *vſque ad* 80.

11 Quando agitur de probatione loci generalis, vt quòd quis fuerit in ciuitate, non dicuntur teſtes ſingulares, ſi vnus deponat de vno loco eiuſdem ciuitatis & alius de alio, aut quando vnus locus vel tempus continetur in alio, aut ſi deponant dubitatiuè de

tempore & loco, aut quando deponunt de actu iterabili de quo agitur. Farinac. *num.* 81. *& sequent. dict. quæst.* 64.

12 Quando agitur de probando actu continuato, diuersitas in loco & tempore non facit testes singulares; & sic probant testes deponentes se vidisse per foramen vnum post alium. Albertin. *d. quæst.* 16. *num.* 8. Mascard. *concl.* 59. *num.* 17. *&* 18. Farinac. *d. quæst.* 64. *num.* 90. *&* 91.

13 In probatione actus momentanei diuersitas in loco & tempore inducit singularitatem. Crot. *de test. p.* 7. *num.* 325. *sub concl.* 9. Anton. Gomez. *tom.* 3. *var. tit. de probat. delict. cap.* 12. *num.* 12. *vers.* Item etiam intellige. Farinac. *num.* 88. *&* 89.

14 Si tempus vel locus excedant continuitatem actus, ita vt actus non compariatur cum tali loco & tempore, diuersitas in tempore & loco facit singularitatem testium.

15 Quando tempus & locus non sunt de substantia negotij de cuius probatione agitur, testes deponentes sine tempore & loco probant. Secùs verò si sint de substantia actus probandi, & aliàs non constet de loco & tempore. Farin. *d. quæst.* 64. *num.* 96. *& seqq. &* 103.

16 Quando tempus est antiquum, in quo verisimilis est obliuio, admittuntur testes deponentes sine tempore: aliter dicimus, si tempus breue sit, & obliuio non præsumatur. Farinac. *num.* 99. *& seq.*

17 Si sint plures testes, & omnes dicant non recordari de loco & tempore, quando obliuio non præsumitur, reputantur suspecti, & nihil probant in criminalibus, vbi testes debent deponere de tempore

& loco. Farinac. *num. 104. & sequentibus.*

18 Quando testes debent deponere de tempore, etiam in criminalibus, satis est si deponant per verba, *videtur*, neque opus est quòd declarent diem neque horam, nisi hæc sint de substantia negotij. *Farinac. d. quæst 64. num. 108. & sequentibus.*

19 Singularitas adminiculatiua in testium depositione non tollit semiplenam probationem, etiam in criminibus. Vt si vnus deponat immediatè de delicto, alius de confessione extraiudiciali rei. Albertin. *in cap. 1. quæst. 16. num. 63. vers.* Et in adminiculatiua. *de hæret. in 6.* Anton. Gomez. *de delictis tit. de probat. delictor. cap. 12. num. 12.* Farinac. *d. quæst. 64. num. 112. & seqq. & num. 119. & seqq.*

20 Testes deponentes de diuersis confessionibus extraiudicialibus, quorum vnus deponit de confessione facta vno loco, alius de alia alio loco facta, si non tendant ad eumdem finem, non probant in criminalibus, si agitur de probando crimine in specie: secùs verò si de probando crimine in genere, secundùm probabilem sententiam. Farinac. *num. 145. vsque ad 152.*

21 Testes discordes in loco & tempore, concordes tamen in crimine hæresis, dummodo non deponant cum singularitate obstatiua, an probent hæresim, controuersum est. Vtraque pars probabiliter & secura conscientia seruatur in praxi. Peñ. *3. part. Direct. com. 121.* Mascard. *concl. 856. num. 3. & seqq.* Farin. *d. quæst. 64. nu. 201. & seqq. ac de hær. quæst. 188. §. 9. num. 152. & seqq.*

22 Si testes singulares concordant in loco & tempore, & in substantia propositionis hæreticalis,

discordant tamen in verbis, sufficienter probant, nisi agatur expresè de verborum forma Pen. *d. com.* 121. Mascard. *d. concl.* 856. *num.* 18. & *seqq.* Farinac. *num.* 212. & 216.

23 Si testes singulares discordant in loco & tempore, vel substantia facti aut dicti hæreticalis, sufficiunt ad condemnandum in pœnam extraordinariam, & etiam ad abiurandam vehementem suspicionem Eymer 3. *part. Direct. quæst.* 72. *num.* 2. *vbi* Pen. *comment.* 121. Mascard. *d. concl.* 856. *num.* 12. Farinac. *d. quæst.* 64. *num.* 217. & *seqq.*

24 Testis vnus probans de Epistola, alius de Euangelio, seu vnus de principio Missæ, alius de fine, alij de aliis partibus, probant celebrationem Missæ, non tamen singulas Missæ partes. Simanch. *catholic. tit.* 64. *num.* 65. Farin. *d. quæst.* 64. *num.* 283. & *seqq.*

25 Diuersitas in loco & tempore non facit singularitatem in testibus, nisi quando locus & tempus sunt de substantia negotij. Farin. *num.* 321.

26 Quando in depositionibus testium adest diuersitas in actibus, non verò in loco & tempore, si res sit dubia, præsumuntur contestes. Mascard. *concl.* 1221. *num.* 18. Farinac. *num.* 316. & *seqq.*

27 Si testes singulares deponant de diuersis propositionibus, quæ omnes ad eamdem sectam pertineant, probant illas proferentem esse illius sectæ, ad quam dictæ propositiones pertinent. Simanch. *in Enchirid. tit.* 37. *num.* 11. & *de cathol. tit.* 64. *num.* 79. & *seqq.* Farin. *de hæresi quæst.* 188. §. 9. *num.* 157.

28 Plures testes singulariter deponentes de connexis, aut de iis, quæ tendunt in eumdem finem, probant plus quàm semiplenè ad inquirendum ad tor-

turam

turam & ad pœnam arbitrariam, & aliquando aliis coniecturis & adminiculis concurrentibus, plenè probant secundùm iudicis arbitrium. Simanc. *cathol. tit. 64. num. 64.* del-Rio *disquis. mag. lib. 5. in 2. appendice quæst. 10. versic.* De testibus verò secundi generis. Farinac. *d. quæst. 188. de hær. § 9. num. 159. & seqq.*

29 Testes singulares, quorum vnus deponit de maiori summa, quantitate, numero aut tempore, alter verò de minori, probant in minori, maximè si deponant per verbum, *circa*, & deponant de his, quæ solo discursu intellectus percipiuntur. Mascard. *lib. 2. concl. 1219. num. 65.* Farin. *de test. quæst. 64. num. 233. & seqq. vsque ad 238. & num. 242.*

30 Si ex pluribus testibus adsint duo vel plures qui concordent in maiori summa, probant, quamuis sit vnus qui deponat de minori. Farinac. *dict. quæst. 64. num. 247.*

31 Quando testes vel non deponunt de eadem re, vel deponunt per dictionem taxatiuam, non concordantur in minori summa, sed reputantur singulares. Farinac. *dict. quæst. 64. num. 244. & seqq. ac num. 249. & seqq.*

CAPVT XVI.

De tortura testium.

1 ABsolutè loquendo liberi homines non torquentur in caput aliorum pro testimonio non vacillante. Ant. Gom. *de delictis cap. 13.*

num. 19. *rubr. de tortura reorum.* Farin. *de testibus quæst.* 79. *num.* 2.

2 Testes variantes, vacillantes, & contraria dicentes torqueri possunt, dummodo non reddant sufficientem rationem variationis, & variatio sit circa negotium principale, vel circunstantias substantiales. Farinac. *num.* 10. *& seqq.*

3 Testis etiam homo liber torqueri potest in caput alienum in multis casibus, dummodo constet de corpore delicti, & contra ipsum præcedant indicia scientiæ, aliàs non torquetur. Farin. *d. quæst.* 79. *num.* 70 *& 75. & multis præcedentibus.*

4 Testis in caput alienum pro testimonio tortus, non probat, nisi sponte ratificet testimonium in tortura datum. Ant. Gom. *d. num.* 29. Farinac. *num.* 83. *d. quæst.* 79.

5 Tortura in caput alienum data, moderata esse debet, maior tamen vel minor, pro qualitate indiciorum contra ipsum testem, quòd nouerit delictum. Clar. *§. fin. quæst.* 25. *verf.* Torquentur etiam testes. Farinac. *num.* 81. *d. quæst.* 79.

6 In crimine hæresis torqueri possunt testes in caput alienum, sicut in crimine læsæ Maiestatis præcedentibus indiciis. Farinac. *num.* 5. *d. quæst.* 79.

7 Licèt testes inhabiles non admittantur sine tortura, in crimine tamen hæresis etiam sine tortura admittuntur. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 37. *& seqq.* Peñ. 3. *p. Direct. comment.* 113. *verf.* Illa est etiam. Farin. *num.* 23 *& seqq. & de hæresi quæst.* 188. § 4. *num.* 68.

CAP.

CAPVT XVII.

De examine testium.

1 IN crimine hæresis cogi possunt testes ad se examinandum, non solùm semel, sed pluries, nullo obstante priuilegio: nec excusantur, si rei sint filij, fratres, aut vxores, &c. Egregia tamen persona rogari potiùs quàm compelli debet. Eymeric. 3. *parte Direct. quæst.* 62. *vbi* Peñ. *comment.* 111. Rojas *singular.* 196. Farinac. *de hæresi quæst.* 188. §. 1. *num.* 2.

2 Testis vocari potest ab Inquisitoribus, etiamsi existat extra terminos iurisdictionis eorum, & in alia diœcesi vltra duas dietas. Simanch. *cathol. tit.* 34. *num.* 24. Eymer. 3. *p. Direct. quæst.* 74. *vbi* Peñ. *com.* 123. Farin. *d.* § 1. *num.* 4.

3 Testium examen à iudice fieri debet, nisi subsit sufficiens impedimentum. Simanch. *d. tit.* 64. *num.* 11. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 10. *num.* 37. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 19. *& seqq.*

4 Si testes sint viri illustres, moniales, aut aliæ honestæ fœminæ, modestiùs agent Inquisitores, si ad eos examinandos eant, vel alteri examen committant. Eymeric. 3. *p. Direct. quæst.* 70. *vbi* Peñ. *com.* 119. Farinac. *de hær. quæst.* 188. §. 1. *num.* 4.

5 In examine debent testes reddere rationem scientiæ, etiam non interrogati. Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 35. *num.* 18. Mascard. *concl.* 855. *num.* 12. *& seqq.* Farin. *num.* 32. *d.* §. 1.

6 In criminibus, & præsertim in crimine hæresis,

sis, testes possunt examinari, etiam post publicationem. Mascard. *concl.* 857. *num.* 37. Farin. *de testibus quæ.* 75. *cap.* 14. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 11. & 15. Peñ. *d. com.* 111.

7 Testis recusans se examinari in causa hæresis, suspectus est de fide, & tamquam fautor hæreticorum puniturnisi citetur ad deponendum contra consanguineos, affines, aut amicissimos, tunc enim secundùm probabilem sententiam, solùm vt inobediens puniri debet. Eymer. *d. quæst.* 62. Peñ. *d. com.* 111. & Farin. *num.* 3. *citat. locis.*

8 In crimine hæresis testes examinantur, etiam lite non contestata, examinati autem parte non citata probant, si imminet periculum. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 15. Farin. *d.* §. 1. *num.* 15. & *de test. quæst.* 72. *cap.* 2. *num.* 115. & *seqq.*

9 Testes iterum examinandi non referant se ad primum dictum, nec ad primum examen, nec petant illud sibi exhiberi, sed per extensum iterum deponant, protestatione tamen facta, quòd si apparuerit aliter dixisse in secundo examine, tunc corrigunt dictum suum, & primum ratificant, quia memoria erat magis recens. Rojas *singular.* 206. Simanch. *Enchirid. tit.* 35. *num.* 10. Farinac. *num.* 35. *d.* §. 1.

10 Quando reo publicantur nomina testium, potest dare interrogatoria, vt per illa testes examinentur. Farin. *de test. quæst.* 73. *num.* 2. & 8. & *de hæresi d.* §1. *num.* 14.

11 Testes interrogari possunt super circunstantiis substantialibus negotij, super loco & tempore, de sua credulitate ac certitudine. Deponentes de fama interrogandi sunt, quid sit fama, si ipsi sint imperiti; si

sint

sint suspecti, interrogari possunt de circunstantiis impertinentibus. Glossa *in c.* Præsentium, *in verbo* Interrogatoria, *litera* V. *vers.* Si dixerit testis. Farin. *d. quæst.* 73. *num.* 26. *& seqq.*

12 Inquisitores perscrutari debent testium fidem, eosque de loco, tempore, personis, vita, & moribus delati ante litis contestationem interrogare, lite verò contestata repetantur. Peñ. 3. *p. Direct. com.* 17. Farin. *de hæret. quæst.* 188. §. 1. *num.* 15.

13 Arbitrio Inquisitorum relinquitur, an testes, de quorum veritate dubitatur, aut socij criminis confrontandi sint ad faciem inquisiti, aut eorum nomina publicanda, vt reus conuincatur. Id tamen de consensu superiorum fieri debet, semoto periculo. Peñ. 3. *p. Direct. com.* 23. *vers.* Quæsitum, *cum duobus sequentibus.* del-Rio *disquisit. mag. lib.* 5. *& in appendice q.* 39. Farin *d.* §. 1. *num.* 30. *& seq.*

14 In crimine hæresis cum maiori diligentia examinandi sunt testes: moneri enim debent, ne falsum testimonium dicant, prece, pretio, odio, coniuratione, aut alio affectu. Interrogentur de antecedentibus & consequentibus, de occasione, & causa, de tempore & loco, de causa scientiæ, an viderint vel audierint: interrogentur de personis quæ interfuerunt, de pertinacia, de affectu, de furore, ira, de conditione personæ, & similibus. Rojas *de hæret. 2. p. assert. 1. num.* 36. *& seqq.* Peñ. 3. *part. Direct. com.* 17. *& alij relati per* Farin. *d.* §. 1. *num.* 14. *vers.* De forma examinandi.

15 Testes examinandi non sunt per suggestiua interrogatoria. Ant. Gom. *tom. 3. var. cap.* 12. *num.* 17. Simanch. *cathol. tit.* 65. *num.* 59. Menoch. *de arbit. lib. 2. casu* 474. *num.* 53. Farin. *quæst.* 43. *num.* 132. *& quæst.* 79. *num.*

num.87. & sequentibus.

16 Testes examinati per suggestionem non nocent ei, contra quem deponunt. Farin. *d. quæst.43. num. item 132. & quæst.84. cap.4. num.95.*

CAPVT XVIII.

De examine testium coram religiosis personis.

1 TEstes non admittuntur in causis fidei, nisi examinentur, vel dicant vltra notarium coram duabus religiosis personis. *Cap.* Vt officium. §. Verum. *de hæret. in 6.* Eymer. *3. part. Direct. num. 84. tit. Quæ personæ esse debeant in examine testium, & quæst.63. vbi* Peñ. *comment.20. &* 112. Farin. *de hæret. quæst.188. §.1. num.33.*

2 Sufficit quòd dictæ religiosæ personę sint clerici seculares, Simanch. *cathol. tit.64. num.9.* Peñ. *dict. comment.112.*

3 Loco religiosarum personarum interesse possunt laici viri periti, honestæ vitæ, spectatæ prudentiæ, qui intelligant negotium de quo agitur. Eymer. Peñ. & Farinac. *cit. loc.*

4 Præsentia religiosarum personarum magis est de consilio, quàm de præcepto; vnde si omittatur, non vitiatur processus: rarò tamen hoc fieri debet. Peñ. *d. com.112.* Farin. *d. num.33.*

5 Quæ circa examen testium coram religiosis personis obseruant Inquisitores, obseruare etiam debent Episcopi, vbi Inquisitores Apostolici non sunt.

sunt. *Cap.* Per hoc. *de hæret. in 6.* Peñ. *dict. comment.* 112. Farinac. *num.* 34.

CAPVT XIX.

Quot testes ad probandum sufficiant.

CVm in crimine hæresis, etiam testes non idonei admittantur, tàm de idoneis, quàm de non idoneis testibus dicendum est, quot sufficiant ad probandam hæresim.

1 Secundùm iuris rigorem, duo testes omni exceptione maiores plenè probant hæresim: si verò omni exceptione maiores non sint, non probant ad pœnam ordinariam imponendam, etiam additis circunstantiis. Peñ. 3. *part. Direct. comment* 113. & 120. Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 35. *num.* 6. *vers.* Sed oportebit. Farin. *de hæret. quæst.* 188. §. 3. *num.* 58. & *de test. quæst.* 64. *cap.* 5. *num.* 241. & *seqq.*

2 In crimine hæresis fides vnius etiam valde digni testis non supplet defectum alterius. Peñ. *d. com.* 113. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 59.

3 Secundum iuris æquitatem, vir probatæ famæ & opinionis non condemnatur de hæresi per duos testes omni exceptione maiores, nisi sufficientes coniecturæ superueniant. Pen. *d. com.* 120. Farin. *num.* 60. & 61. *d.* §. 3.

4 Quando agitur de probanda hæresi verbo vel facto publicè commissa in populo, non sufficiunt duo testes etiam integri. Albert. *de agnosc. quæst.* 34. *num.*

num. 55. Farinac. *num.* 62. *dict.* §. 3.

5 Quando duo testes in crimine hæresis ad condemnandum sufficiant, iudicis arbitrio committitur, considerata persona delinquentis. Peñ. *dict. comment.* 120. Mascard. *dict. conclus.* 855. *num.* 7. Farin. *num.* 63. *dict.* §. 3.

6 Vnus testis etiam idoneus in crimine hæresis non sufficit ad condemnandum, etiam iuncta fama: sufficit tamen ad torturam. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 31. *& tit.* 51. *num.* 3. Farinac. *num.* 64. *& seqq. d.* §. 3.

7 Si agatur de probando illud, contra quod stat iuris præsumptio, licèt duo testes idonei sufficiant, plenior tamen requiritur probatio. Mascard. *lib.* 1. *quæst.* 10. *num.* 38. Farin. *de test. quæst.* 63. *cap.* 5. *num.* 233. *& seqq. & num.* 239.

8 Duo testes inhabiles, quantumcumque bonis circunstantiis fulciantur, non sufficiunt ad pœnam ordinariam: secùs autem si plures sint, ac legitimis coniecturis fortificentur. Peñ. *d. comment.* 113. Farin. *d. quæst.* 188. §. 4. *num.* 84.

9 Plures testes minùs idonei, quando plenè hæresim probare censeantur, iudicis arbitrio relinquitur attentis circunstantiis; ex numero enim supplętur defectus & inhabilitas, dummodo talis non sit, quæ testes in totum à testificando repellat. Peñ. *dict. comment.* 113. *Vid.* Farin. *de test. quæst.* 62. *limit.* 13. *&* 14.

CAP.

CAPVT XX.

De confessione iudiciali partis.

1 CONfessio generaliter dicta, est *manifestatio actus proprij alio præsente.* Diuiditur in sacramentalem, iudicialem, & extraiudicialem. Sylvest. *verbo* Confessio non sacramentalis. *num.* 1.

2 Ex sacramentalis confessionis reuelatione & notitia nullum indicium fit in iudicio contra reum. Pen. 2. *part. Direct. comment.* 25. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 26. *&* 27.

3 Confessio iudicialis est *manifestatio actus proprij, vel priuationis actus in iudicio competente facta, seu coram iudice competente, in quocumque loco sui territorij ius dicat.*

4 Ad validitatem iudicialis confessionis non requiritur quòd confessio per notarium in actis redigatur, vt tamen ex ea probatio fiat, hoc necessariò exigitur, & quamuis processus sit nullus, valida tamen & iudicialis est confessio.

5 Confessio in parte falsa, in totum præsumitur falsa; si verò dubium interueniat, vera præsumitur. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 384. *num.* 2. Farinac. *de reo confesso quæst.* 81. *num.* 22. *& seqq.*

6 Nisi constet de corpore delicti, confessio iudicialis non sufficit ad condemnandum confitentem in aliis ab hæresi criminibus. Farinac. *crimin. quæst.* 2. *num.* 7. *&* 8.

7 In crimine hæresis & lamiarum sufficit confessio partis ad condemnandum, etiamsi de corpore

delicti non constet. Albert. *de agnosc. quæst.* 25. *dubio* 1. *num.* ..& *seqq.* Mascard. *lib.* 2 *concl.* 859. *num.* 1. & *seqq.* Farinac. *d. quæst.* 2 *num.* 25. & 26.

8 Confessione particulari propria, & iudiciali plenè probatur crimen hæresis, & ad condemnandum in pœnam ordinariam sufficiens est. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 28. Mascard. *lib.* 2 *concl.* 859. *num.* 1. Farin. *quæst.* 81. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. & *de hæret. quæst.* 187. §. 6. *num.* 73. & 74.

9 Etiam in aliis criminibus iudicialis confessio spontanea probat, nocétque réo, quamuis per sententiam esset absolutus, dummodo tamen confessio post sententiam manauerit Secùs si contra confessionem iudicatum fuit. Menoch. *de arbitr. casu* 268. *num.* 6. Clar. §. *fin. quæst.* 65. *vers.* 1. Farin. *d. quæst.* 81. *cap.* 1. *num.* 313. & 20. & *quæst.* 4. *num.* 43.

10 Confessio generalis, qua quis fatetur se esse hæreticum, non plenè probat, nisi talis sit, quæ pro speciali habeatur; vt si quis fateatur se esse Iudæum aut Lutheranum. Simanch. *cathol. instit. tit.* 13. *num.* 3. & 4. Farinac. *de hær. d.* §. 6. *num.* 74. *d. etiam quæst.* 81. *num.* 31.

11 Vt confessio iudicialis plenè probet, hæc requiruntur. Primò, vt confitens sit maior. Secundò, vt confessio fiat sponte, & non coactè. Tertiò, vt non fiat per errorem. Quartò, vt confitens dicat contra se. Quintò, vt confessio fiat coram iudice competente. Sextò, vt in confessione non detur repugnantia naturalis. Septimò, vt etiam in iure non detur repugnantia. Octauò, vt confitens non velit probare oppositum illius, quod est confessus Glossa *in cap.* Nos in quemquam, 2. *quæst.* 1. Farinat. *d. cap.* 1. *à num.* 21. *vsque*

que ad fin. cap. Qui alias conditiones refert ad validitatem confessionis necessarias.

12 Confessio vt plenè probet, debet esse clara, si autem sit dubia, interpretanda est in fauorem confitentis, nisi sit malæ famæ. Farin. *d. c.* 1. *n.* 32. 35. & 37.

13 Confessio tacita, implicita, incerta & dubia sufficit ad torquendum, dummodo facti detur causa: Nam si quis confiteatur delictum, & illius causam non dicat, confessio inuerisimilis iudicatur. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 345. *num.* 39. Farinac. *d. cap.* 1. *num.* 4.

14 Confessio facta coram notario reum de iudicis mandato examinante, plenè probat: si autem iudicis mandatum non interueniat, sufficit solùm ad torquendum, dummodo reuocata non sit. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 348. *num.* 54. Farin. *d. cap.* 1. *num.* 45. & *seqq.*

15 Confessio facta coram iudice non sedente pro tribunali, licèt ad condemnandum in pœnam ordinariam non sufficiat, sufficiens tamen est ad extraordinariam, & ad torturam. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 348. *num.* 26. & 46. Farinac. *d. cap.* 1. *num.* 50. & *seqq.*

16 Vt confessio iudicialis probet, à parte, vel à iudice acceptari debet, etiamsi accusator sit absens. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 347. *num.* 19. & 20. Farin. *num.* 54. & *seq. d. cap.* 1.

17 Confessio facta à procuratore non nocet parti, nisi habeat expressum & speciale mandatum ad confitendum. Foler. *in pract. crim. vers.* Et si confitebuntur *part.* 1. *num.* 97. Farin. *num.* 60. & 61. *d. cap.* 1.

18 Si alicui dentur tres iudices in simul, & confiteatur coram duobus, talis confessio non probat. Felin. *in cap.* Qualiter, & quando. §. Licet autem. *num.* 9. *de accusat.* Farinac. *num.* 62. *d. cap.* 1.

19 Confessio quæ non dependet à facto & voluntate confitentis, non nocet, quando constat de contrario. Vt si quis dicat aliquem discessisse ex vulnere ab ipso confitente illato. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 358. *num.* 8. Farin. *num.* 63. *d. cap.* 1.

20 In materia iudicialis confessionis valet argumentum à ciuilibus ad criminalia negatiuè, non verò affirmatiuè. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 349. *num.* 1. *& seqq.* Farinac. *num.* 64. *d. cap.* 1.

21 Confessio iudicialis validat nullitatem processus, & ineptitudinem inquisitionis, & accusationis, etiam nullis præcedentibus indiciis, ita vt reus ratione illius possit condemnari. Farin. *d. q.* 81 *cap.* 2. *num.* 66. *& sequentibus* Ant. Gom. *variar. tom.* 3. *tit. de probat. delict. cap.* 12. *nu.* 8. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 357. *n.* 3.

22 In criminalibus confessio non supplet defectum sententiæ, sine qua nullus condemnatur: neque etiam inquisitionis defectum quoad impositionem pœnæ ordinariæ, ad quam inquisitio vel accusatio necessaria est. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 346. *num.* 7. *&* 8. *& concl.* 349. *num.* 5. Farin. *d. cap.* 2. *n.* 68. *vsque ad* 82.

23 Confessio in tortura, aut ex metu iniustè illato, non nocet. Mascard. *lib* 1. *concl.* 357. *num.* 4. Ant. Gom. *d. tom.* 3. *cap.* 13. *rubr. de tortura num.* 25. Farin. *d. cap.* 2. *num.* 83. *& seqq.*

24 Confessio nulla & inualida, aut ficta, vel coram iudice delegato, non validat nullitatem processus. Farin. *d. cap.* 2. *num.* 87. *& seqq.*

25 Processus nullus ob defectum iurisdictionis, non validatur per confessionem subsequutam, nec sufficit ad condemnandum talis confessio. Farin. *num.* 89. *d. cap.* 2.

26 Quamuis iudex ratione confessionis ex processu nullo possit reum condemnare, non tamen tenetur: & si condemnet, non potest pœnam ordinariam imponere. Angel. *consil.* 178. Farin. *num.* 77. & 91. *d. cap.* 2.

27 Confessio vera, spontanea, expressa, & explicita, facta in vno iudicio, nocet confitenti etiam in alio iudicio, licèt causa criminalis sit, dummodo sit inter easdem personas, ad eumdem finem & effectum. Farin. *d. quæst.* 81. *cap.* 3. *per totum.*

28 Confessio qualificata in prohibitis, de iis qui habent contra se præsumptionem, scindi potest, & pro parte acceptari, & pro parte impugnari, etiam si fiat sub vna structura verborum, quando qualitas tendit ad excusationem delicti. Clar. §. *fin. quæst.* 55. *num.* 15. *vers.* Posset quoque reus. Mascard. *concl.* 490. *num.* 17. & *concl.* 867. *num.* 1. Farin. *d. quæst.* 81. *cap.* 4. *num.* 112. & *seqq.* & *num.* 117. & 157. & *seqq.*

29 Confessio qualificata cum qualitate adiecta ex interuallo, non tollit pœnam ordinariam, nisi qualitas probetur Clar. *d. quæst.* 55. *num.* 16. *vers.* Fortè posset. Farin. *d. cap.* 4. *num.* 120. & *seqq.* Mascard. *d. concl.* 867. *num.* 5.

30 Si de delicto aliàs quàm per confessionem plenè constet, nonobstante qualitate confessioni adiecta, imponi potest pœna ordinaria: secùs verò si solùm constet per indicia. Clar. *dict. vers.* Fortè posset. Mascard. *d. concl.* 867. *num.* 4. Farinac. *d. cap.* 4. *num.* 132. & *seqq.*

31 Si reus à principio neget delictum, & postea illud cum qualitate confitetur, potiùs est condemnandus in pœnam extraordinariam, quàm torquen-

dus.Clar.*d.verſ.*Fortè poſſet.*Farin dict.cap.*4.*num.*131. *& 137.& ſeqq.*

32 Quando confeſſio eſt negatiua, & additur qualitas(vt ſi quis dicat,Non feci,& ſi feci, ob talem cauſam feci; aut ſic feci, & non aliter) non ſcinditur confeſſio, ſed confitens habetur pro negatiuo. Clar. *d.quæſt.*55.*num.*17.*verſ.*Cautiùs igitur.*Farin. dict. cap.* 4.*num.*142.*& ſeqq.*

33 Si qualitas confeſſioni adiecta aliunde licèt præſumptionibus probetur, non poteſt ſcindi talis confeſſio, ſicut etiam quando aliter non conſtat, niſi per confeſſionem rei.Surd.*conſ.*173.*num.* 66.*& ſeqq. lib.*2.Maſcard.*lib.*2.*concl.*867.*num.*7.Farinac. *d. cap.*4. *num.*153.*& ſeqq.*

34 Spontè confeſſus,etiam metu probationum, mitiùs punitur, licèt pœna taxata ſit à lege. Spontè autem confiteri dicitur, qui venit non vocatus, aut qui vocatus, nulla præcedente interrogatione confitetur. *Farin.dict.quæſt.*81.*cap.*5.*vſque ad num.* 180.

35 Liberè & ſpontè confeſſus delictum, præſumitur ſine dolo deliquiſſe. *Farin.dict.cap.*5.*verſ.*Amplia V.

36 Confeſſio facta coram iudice incompetente,non ſufficit ad condemnandum, quamuis pluries ratificetur; ſiue iudex ſit incompetens ratione perſonæ,ſiue ratione materiæ & cauſæ: non eſt tamen ipſo iure nulla.Clar. *dict. quæſt.*55.*num.*3.*verſic.* Præterea etiam.Maſcard.*lib.*1.*concl.*352.*num.*1.*Farin.dict.quæſt.* 81.*cap.*6.*vſque ad num.*205.

37 Confeſſio coram iudice incompetente, habet rationem confeſſionis extraiudicialis,ſi reuocata non ſit,potéſtque reus ratione illius torqueri à iudice compe-

competente,& cogi ad ratificandum Clar. *in pract.* §. *fin.quæst.*21.*num.*32.*verſ.* Sed hic quæro.Maſcard. *dict. conc.*352.*num.*1.Farin.*cap.*6.*num.*206.*& ſeqq.*

38 Confeſſio iudicialis incidenter emanata de crimine,ad quod non agebatur, ad condemnandum in pœnam ordinariam non ſufficit, nec illa quæ fit per viam exceptionis; & hoc tàm reſpectu confitentis,quàm alterius: ad pœnam tamen extraordinariam ſufficiens eſt. Maſcard. *concl.* 345. *num.* 1. *& ſeqq. & concl.*383.*num.*15.*& ſeqq.* Farin.*dict. quæſt.* 83. *cap.* 7. *per totum.*

39 Quando vltra confeſſionem incidéter emanatam adſunt ſufficientes probationes, aut crimen confeſſum tangit cauſam de qua principaliter agitur, vel eſt illi annexum; poteſt reus condemnari. Clar.*dict. quæſt.* 55. *num.* 6. *verſ.* Poſſet etiam dicere. Farinac.*d.cap.*7.*num.* 239.*& ſeqq.& num.*250.*& ſeqq.*

40 Probabilius eſt non licere iudici vel inquiſitori ad extorquendam veritatem impunitatem promittere.Iulius Clar §.*fin.num.* 8. *quæſt.*55.*verſ.* Circa primum,*& ſequente.innuit.*Peñ.3.*part.Direct.comment.* 23.*ſub.num.*106.*verſ.* Verùm tamen in hoc tribunali.

41 Inquiſitor poteſt ad indagandam veritatem promittere reo amplam miſericordiam, & gratiam, ſi fateatur crimen, cùm habeat in remittendis pœnis ampliorem poteſtatem, quàm alij iudices. Eymer. 3. *part. Direct. num.* 106.*vbi* Peñ. *citato loco.*Farinac.*dict. quæſt.*81.*cap.*8.*num.*296.*& ſequenti.*

42 In caſu hæreſis poteſt Inquiſitor vti ſimulationibus & cautelis, non tamen falſitatibus & mendaciis; & item mittere cum carcerato, qui eius voluntatem perquirat: hæc tamen debent per notarium

in scriptis redigi, ne contra Inquisitorem suspicio oriatur. Peñ. *dict. com.* 23. Farin. *d.c.* 8. *n.* 304. *& seqq.*

43 Si Inquisitor aut alius iudex promittat reo misericordiam, si delictum cõfiteatur, tenetur quoad potest, stare promisso. Ant. Gom. *tom.* 3. *var. cap.* 12. *n.* 6. Peñ. *loco cit. vers.* Alteram sententiam.

44 Quando iudex aut Inquisitor reis promittit se facturum gratiam, solùm intelligitur loqui de illis pœnis, quæ in eius arbitrio positæ sunt. Peñ. *citat. loco vers.* Cùm verò Inquisitores.

45 Confessio facta sub spe impunitatis à iudice vel Inquisitore promissæ, non sufficit ad condemnandum in pœnam ordinariam, nisi & expressè ratificetur, & cum expressione, quòd impunitatis promissæ nulla habebitur ratio. Peñ. *vbi suprà vers.* Postremo, *& duobus sequentibus.* Ant. Gom. *d. num.* 6. Menoch. *de arbitr. quæst. lib.* 2. *casu* 367. *num.* 6. Farin *d. cap.* 8. *ferè per totum.*

46 Confessio sub spe impunitatis facta in tormentis, aut quando nulla præcesserunt indicia, etiam ratificata non sufficit ad pœnam ordinariam. Peñ. *vbi suprà vers.* Nos in hoc crimine. Farinac. *d. cap.* 8, *num.* 290. *vsque ad* 296.

47 Confessio sub spe impunitatis facta, quæ nec ratificatur, nec reuocatur, sufficit ad pœnam extraordinariam, & ad torturam, non tamen nimis rigorosam. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 367. *num.* 4. *& seqq.* Farinac. *d. cap.* 8. *num.* 300. *& seqq.*

48 Probabile est confessionem sub spe impunitatis factam, etiam non ratificatam, nec reuocatam sufficere ad pœnam ordinariam. Peñ. *d. comment.* 23. *vers.* Hanc opinionem.

49 Pro-

49 Probabilius est non sufficere ad pœnam ordinariam confessionem sub spe impunitatis promissæ non ratificatam, nec reuocatam, etiam si præcedant indicia. Farinac. *d. cap. 8. num. 293.*

50 Confessio siue spontanea, siue per torturam emanata, quando erronea est, potest per confitentem reuocari, interpretari, declarari, & excusari, etiam ex interuallo, licèt sit iurata, acceptata, deliberata, & geminata. Anton. Gomez *variar. tom. 3. cap. 1. titul. de delictis num. 66.* Clar. *§. fin. quæst. 55. num. 18.* Farin. *d. quæst. 81. cap. 9. vsque ad 326.*

51 In criminibus, etiam post sententiam, potest reuocari confessio sub prætextu erroris, etiam si eam præcesserint indicia, & hoc tàm ab ipso confitente, quàm ab eius consanguineo, adhuc ipso confitente renuente Farin. *d. cap. 9. num. 327. vsque ad 332.*

52 Nolens respondere iudici iuridicè interroganti, si excusationem non habeat, habetur pro confesso. *Cap. fin. de confessis in 6. vbi* Glossa. *verbo* Reus.

53 Volens probare errorem confessionis à se factæ, quamtumcumque iurata, ac ratificata fuerit coram iudice competente, admittendus est ad probandum dictum errorem, quo probato non nocebit ei confessio facta. Farinac. *dict. cap. 9. num. 335.* Iulius Clarus *§. finali dicta quæst. 55. num. 18.*

54 Error confessionis plenè probari debet, censetur autem plenè probatus non solùm per testes, sed etiam per coniecturas; in dubio tamen confessio præsumitur vera. Mascard. *concl. 350. num. 6. & 7.* Farin. *dict. cap. 9. num. 337. & seqq.*

55 Confessio in tortura emanata, licèt ratificata sit, reuocati potest, etiam non probata causa erro-

ris; cùm sufficiat allegare metum vel dolorem; sic similiter, quando reuocatio fit in continenti, aliàs enim causa erroris probari debet. Farinac. *d. cap. 9. num. 346. & seqq.*

56 Confessio minoris sine tutoris aut curatoris authoritate, ipso iure est nulla, nec ei nocet; secùs tamen si examinetur vt testis. Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 268. num. 2.* Farinac. *dict. quæst. 81. cap. 10. vsque ad num. 373.*

57 Confessio iudicialis reuocata, non plenè probat, quando vel reuocatio fit in continenti, vel datur probabilis causa reuocationis. Si autem sit spontanea, & reuocatio fiat ex interuallo, & non reddatur sufficiens causa reuocationis, potest reus curiæ seculari tradi. Farinac. *de hæresi quæst. 187. §. 6. num. 75.*

58 In crimine hæresis confessio dummodo non sit generalis, dubia, incerta, ac non reuocata, plenè probat, potéstque ratione illius imponi pœna ordinaria. Simanch. *cathol. tit. 13. rub. de confess. num. 1. & 2.* Mascard. *concl. 859. num. 1. & seqq.* Martin. Del-Rio *mag. lib. 5. sect. 11.* Farinac. *dict. quæst. 187. §. 6. num. 73. & 74.*

59 Vt confessioni rei plena fides adhibeatur, cauendum est ab omni suggestione. Farinac. *quæst. 43. num. 132.*

60 Confessio per suggestionem facta, etiam ratificata non sufficit ad condemnandum reum, siue suggestio fiat à iudice per seipsum, siue per interpositam personam. Anton. Gom. *tom. 3. var. num. 23.* Farin. *quæst. 83. cap. 4. num. 84. & multis seqq.*

CAP.

CAPVT XXI.

De confessione extraiudiciali, aut in tortura facta.

1 CONfessio extraiudicialis, est *manifestatio actus proprij, vel privationis actus extra iudicium competens facta.*

2 Confessio extraiudicialis, maximè in criminibus, etiam geminata & iurata, non probat plenè contra confitentem: & ideò ex se ad condemnandum in pœnam ordinariam non sufficit. Si tamen cum tali confessione indicia, & verisimiles cõiecturæ concurrant, sufficit ad torturam, & ad pœnam extraordinariam. Clar. *in practic. §. fin. quæst.* 55. *num.* 2. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 350. *num.* 1. *& seqq. & num.* 24. Farinac. *quæst.* 82. *reg.* 1. *num.* 1. *vsque ad* 19. *& reg.* 2. *num.* 23.

3 Confessio extraiudicialis facta ad exonerandã conscientiam, præsertim in articulo mortis, & quæ fit coram multitudine, taliter quod transeat in notorium, plenè probat. Mascard. *d. concl.* 350. *num.* 25. *&* 35. Farin. *d. reg.* 1. *num.* 15. *&* 16.

4 Quando agitur de probando illud, quod est in animo, vt est hæresis, & apostasia, ac similia delicta, plenè probat confessio extraiudicialis. Albertin. *de agnosc. quæst.* 25. *num.* 10. *& seqq.* Farinac. *d. reg.* 1. *num.* 20. *&* 21.

5 Confessio extraiudicialis facta sine expressione loci, temporis & causæ commissi delicti, non facit indicium ad torturam, si confitens solum fatetur deli-

delictum in communi. Secùs est si ipsum in particulari & in indiuiduo declaret. Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. à num. 16. vsque ad 20.* Mascard. *d concl. 350. num. 16. & sequenti. & concl. 345. num. 2.* Farin. *d. quæst. 82. reg. 2. num. 29. & seqq.*

6 Confessio extraiudicialis, etiamsi reus vocatus ad iudicium eam reuocet, facit indicium ad torturam. Anton. Gomez. *variar. tom. 3. cap. 13. rubr. de tortura num. 8.* Mascard. *concl. 350. num. 16.* Farinac. *d. reg. 2. num. 28.*

7 Confessio extraiudicialis inuerisimilis, & quę extorta est per minas & metum; facta etiam in calore iracundiæ, vel ad alium effectum incidenter emanata, non facit indicium ad torturam. Menoch *de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. num. 17. & 19* Mascard. *d. concluſ. 350. num. 12. 14. 18. 20. & seqq.* Farin. *d. reg. 2. num. 33. & seqq.*

8 Confessio extraiudicialis non nocet clerico, nec facit indicium ad torturam, nisi fuerit infamatus de tali crimine, vel graues concurrant circunstantiæ & coniecturæ Mascard. *lib. 1. concluſ. 350. num. 12. & seqq.* Farin *de indiciis & tortura quæst. 41. num. 7. 8. & 9. & d. reg. 2. num 39. & 41.*

9 Vt confessio extraiudicialis faciat indicium ad torturam, debet concludenter probari per idoneos testes, legales & contestes, regulatiter loquendo. Mascard. *d. lib. 1. concl. 379. num. 1. & seqq.* Menoch. *d. quæst. 89. num. 21.* Farin. *d. reg. 2. num. 44. & seqq.*

10 Confessio extraiudicialis sufficienter probatur testibus singularibus, quorum singularitas est adminiculatiua, præsertim in crimine hæresis, in quo non solùm semiplenè, sed etiam plenè concludunt.

Vid.

Vid. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 379. *num.* 9. *& multis sequentibus, & supra cap.* 15. *&* 19.

11 Confessio etiam iurata, geminata & coram eodem iudice ratificata, extorta tamen à iudice per torturam, ad quam non præcesserunt indicia legitima, aut non sufficientia ad torturam etiam in criminibus exceptis, non præiudicat confitenti, nec alteri. Mascard. *lib.* 1. *conclus.* 353. *num.* 3. *&* 5. *& lib.* 3. *conclus.* 1391. *num.* 6. Farinac. *quæst.* 83. *cap.* 1. *ferè per totum.*

12 Confessio extorta in tormentis sine legitimis indiciis, non validatur coram eodem iudice per indicia superuenientia, nec per aliam confessionem, nec item per oculorum inspectionem Mascard. *dicta concl.* 1391. *num.* 6. Farinac. *d. cap.* 1. *num.* 4.

13 Omnia quæ ex huiusmodi confessione sequuntur, inualida sunt, & ipso iure nulla, nec talis confessio facit indicium aliquod ad torturam sufficiens. Farin. *d. cap.* 1. *num.* 11. 14. *&* 15.

14 Confessio per tormentum sine indiciis aut iis non legitimis extorta, si voluntariè ratificetur coram alio iudice, habetur pro spontanea, & ad condemnandum sufficit. Mascard. *d. concl.* 353. *num.* 9. *&* 31. Farinac. *d. cap.* 1. *num.* 10. *&* 20.

15 Confessio facta metu tormentorum legitimis indiciis non præcedentibus, æquiparatur factæ in tormentis. Mascard. *d. concl.* 353. *num.* 14. Farinac. *dict. quæst.* 83. *cap.* 2. *num.* 32.

16 Confessio non præcedentibus indiciis facta per incarceratum in carcere atroci, in quo valde cruciatur, & vbi imminet periculum vitæ, & salutis; vel vbi fame, siti, & frigore patitur, aut denique quando carceratus cippis, catenis, & manicis ferreis detinetur,

tur, dicitur metu extorta. Farina. *dict. cap. 2. num. 41. & sequentibus.*

17 Confessio in tortura aut metu tormentorum facta legitimis præcedentibus indiciis, valida est: vt autem ad condemnandum sufficiat, debet ratificari extra locum tormenti, non statim, sed ex interuallo, cessante tormentorum dolore, quod quando fiat, iudicis arbitrio relinquitur. Menoch. *de arbit. lib. 2. casu 38. num. 2.* Anton. Gomez *variar. tom. 3. cap. 13. rubr. de tortura, num. 24.* Mascard. *concl. 353. num. 2. 13. & 19. & conclus. 355. num. 2.* Farinac. *d. quæst. 83. cap. 3. vsque ad num. 76.*

18 Confessio emanata per suggestionem factam siue à iudice, siue ab interposita ab eo persona, etiam si ratificetur, non sufficit ad condemnandum vel ipsum reum, vel alios. Si tamen indicia sint manifesta, potest reus non solùm in genere, sed etiam in specie interrogari de crimine. Ant. Gom. *variar. tom. 3. rubr. de tortura reorum, num. 23.* Farinac. *d. quæst. 83. ca. 4. per totum.*

CAPVT XXII.

De instrumentorum exhibitione.

1 DElictum regulariter non probatur per instrumentum quoad impositionem pœnæ, etiam si delictum sit commissum in præsentia notarij, de quo ipse instrumentum conficiat. Clar. *in pract. §. fin. quæst. 54. num. 1.* Mascard. *lib. 1. concl. 461. num. 1. vsque*

vsque ad 10.*& concl.*500.*num.*1.*&* 3.*& concl.*903.*nu.* 2.*&* 3. Farin. *de reo confesso,& convicto.quæst.*84.*num.*1. *vsque ad* 6.

2 Delictum quod committitur scribendo, seu media scriptura, quæ delictum continet, instrumento celebrato de voluntate partis probatur. Clar. *d. quæst.* 54.*num.*1. Mascard.*d.concl.*461,*num.*13.*& seqq.* Farin. *d.quæst.*84.*num.*7.*& seqq.*

3 Crimen hæresis probatur instrumento, dummodo recognoscatur, & tales circunstantiæ concurrant, quibus iudicis animus rectè informetur. Clar. *d. quæst.*54.*num.*1. Mascard.*d.concl.*461.*num.*13.*& concl.* 858.*num.*2.4.*&* 5. Farinac.*d. quæst.* 84. *num.* 16.*& de hære,quæst.*187.§.1. *num.* 10.

4 Probatur etiam hæresis per scripturam priuatam ab ipso inquisito manu propria scripta vel subscripta; aut si dum aliena manu scripta fuerit, testibus muniatur. Simanch.*cathol.tit.*51. *num.* 14. Mascard. *d. concl.*858.*num.*1. Farin.*d.quæst.*187.§.1.*num.* 10.

5 Vt quis instrumento aut priuata scriptura probetur hæreticus, debet in tali scriptura contineri hæresis, quæ manifestè legatur & intelligatur: nam si bene intelligi aut legi nequit, pro non scripta habetur. Nauar.*lib.*5.*consil.conf.*18.*de hære.num.*5. Farinacius *d. num.* 10.

6 Vt etiam scriptura probet hæreticum, debet esse integra, ita vt non deficiant literæ, quæ sensum varient, aut non patiatur grauem fracturam. *Cap.* Inter dilectos.*vbi* Panorm.*num.*4.*de fide instrument.*

7 Instrumentum faciens mentionem de alio instrumento, non probat illud de quo facit mentionem, nec exemplatum ab exemplo, sine iudicis authoritate,

thoritate,& partis citatione. *Authent.* Vt sponsalitia §.Et hoc insuper. *L.*Sancimus. C. *de diuersis rescriptis.*

8 Etiam si in particularibus alicuius scriptis reperiantur aliqua hæreticalia,si huiusmodi scripta sint imperfecta,indigesta,& inemendata, quibus manus extrema non sit adhibita, non per hoc scribens illa probatur hæreticus.Nauar.*d.conf.*18.*num.*2.*&* 3.

9 Scripta in memorialibus non probant hæresim, sicut nec scripta in rationalibus. Bald. *in rub. de const.pecun.ad fin.*Nauar.*d.conf.*18.*num.* 4.

10 Scripturæ dubiæ in eo sensu accipiendæ sunt qui culpam excludat, nisi scribens aliter dicat, cuius sensus & intentio diligenter perscrutanda sunt. Albert.*de agnos.quæst*34. *num.*48. *&seqq.* Menoch. *conf.* 82.*num.*10.*&seqq. lib.*1.Nauar.*d.conf.*18*num.6.* Farinac.*d.*§.1.*num.*11.

11 Scriptura in se dubia ex circunstantiis explicari debet, attenta qualitate & conditione personæ. Videndum etiam est an explicatio data à scribente scripturæ congruat,& probabilis sit.

12 Instrumentum publicum & authenticum cum omnibus conditionibus necessariis, plenè probat hæresim. Idem dicendum est de scriptura priuata subscripta à reo cum tribus testibus, vel si testium loco adsit partis confessio,quòd scriptura illa sit sua,aut per idoneos testes probetur ab ipso reo fuisse scriptam.Glossa *in cap.* 2. *de fide instrum. vbi* Panorm.

13 Si testes solùm deponant se agnoscere characteres, semiplenam tantum facit scriptura probationem.Couar.*pract.quæst.cap.*22.*num.*6. Panorm.*d.c.* 2.*num.*2. *de fide instrum.*

14 Scriptura priuata, & epistolæ missæ absenti, regulariter

regulariter semiplenam tantum probationem faciũt: sicut etiam quæ reperiuntur in chartulis, commentariolis, & memorialibus imperfectis. *L.* Instrumenta. *vbi* Doctores. Cod. *de probat. &* Glossa *in verbo* Exacto. *in L.* Admonendi. *vbi* Bart. *num.* 24. *ff. de iureiuran.* Couar. *pract. quæst. cap.* 22. *num.* 7.

CAPVT XXIII.

De notoreitate rei.

1 LIcèt notorium & manifestum pro eodem aliquando accipiantur: differunt tamen secundùm propriam acceptionem. Nam notorium est id, quod patet omnibus, vel maiori parti populi; manifestum autem, quod pluribus publice patet, non autem omnibus, aut maiori parti. Mascar. *lib.* 2. *concl.* 1017. *num.* 3. *& concl.* 1106. *num.* 1. Farinac. *quæst.* 21. *num.* 4. *& seqq.*

2 Notorium in genere est *rei cui adiungitur valdè plena notitia, seu est euidentia alicuius talis, quòd sine tergiuersatione notari potest, inducens indubitatam & finitam probationem discussione non egentem.* Sylvest. *verbo* Notorium. *num.* 1. Mascard. *d. concl.* 1106. *num.* 3. Farinac. *d. quæst.* 21. *num.* 8.

3 Notorium duplex est: aliud iuris, aliud facti. Notorium iuris est *illud, quod ius euidenter præsumit ex aliquo noto, siue ex facto iudicialiter discusso, siue ex aliquo notorio à iure sumpto, inducens indubitatam, approbatam & finitam probationem.* Syuest. Mascard. *conclus.* 1106. & Farinac. *citatis locis.*

4 Notorium facti, quod propriè dicitur notorium, est *illud, quod ita habet euidentiam facti, vt negari probabiliter non possit inducens indubitatam & finitam probationem.* Sylueſt. *vbi supra.* Maſcard *d. concl.* 1106. *num.* 4 Farinac. *d. quæſt.* 24 *num.* 11.

5 Notorium ex parte facti triplex eſt. Quoddam eſt facti permanentis, quoddam facti tranſeuntis & non redeuntis, quod dicitur notorium tunc, non autem nunc; quoddam eſt facti interpolati Sylueſt. *num.* 2 Maſcard. & Farin. *proximè citatis locis.*

6 Notorium ex parte eorum quibus eſt notorium, diuiditur in notorium in monaſterio, in parochia, in prouincia, & generaliter in omni congregatione decem perſonarum Sylueſt. *d. num.* 2. & 4.

7 Non idem eſt delictum eſſe notorium, & de delicto notoriè conſtare: nam ad illud requiritur notitia intuitiua delicti, ad hoc autem ſufficit probatio, & dicitur notorium iuris, quod non eſt propriè notorium. Clar. *in pract. quæſt.* 9. *num.* 5. *verſic.* Item quæro. Farin. *d. quæſt.* 21. *num.* 166.

8 Illud delictum dicitur notorium, quod geſtum eſt coram populo aut congregatione decem perſonarum ad minus, vel maiori eius parte Menoc. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 166. *num.* 8. Anton. Gomez. *variar. tom.* 3. *tit. de delict. cap.* 1. *num.* 41. Farin. *d. quæſt.* 21. *num.* 41. & 47.

9 Delictum factum in platea publica, quæ ſit capax populi aut maioris partis illius, dicitur notorium, etiamſi non probetur fuiſſe factum coram pluribus, ſed ſolùm factum in platea plena hominibus. Antonius Gomezius *d. cap.* 1. *num.* 42. Farinac. *d. quæſt.* 21 *num.* 46.

10 Quando

10 Quando & quid dicatur notorium, iudicis arbitrio relinquitur, iuxta facti, loci, temporis & personarum interuenientium qualitatem. Anton Gom. *d. num.* 42. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 166. *num.* 7. Farin. *d. quæst.* 21. *num.* 48.

11 Quamuis ad notorium, secundùm probabiliorem sententiam, necessarium non sit quòd externæ qualitates excusantes actum à ratione delicti non dentur, si tamen delinquens velit probare qualitates excusantes, admittendus est ad illarum probationem. Farin. *d. quæst.* 21. *num.* 51.

12 Ad notorium requiritur, quòd res fiat in loco publico, & quòd fiat de die; quæ autem fiunt in domo, in villula, aut de nocte, regulariter non dicuntur notoria. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 166. *num.* 9. Mascard. *lib.* 2. *conclus.* 1106. *num.* 16. Farinac. *num.* 55. *& seqq.*

13 Delictum commissum coram iudice, dum est in actu exercendi suum officium, notorium dicitur, dummodo illi constet. Mascard. *concl.* 1108. *num.* 16. *& seqq.* Farin. *num.* 159.

14 In notoriis ordo iuris non seruatur in criminalibus, nec ad procedendum requiritur libellus, accusatio, litis contestatio, aut iuramentum de calumnia. Anton. Gom. *de delict. cap.* 1. *num.* 42. Menoch. *de recup. remed.* 15. *num.* 160. Farinac. *num.* 60. *& seqq.*

15 In criminibus notoriis, quando reo nulla competit excusatio, nec est dubium an competere possit, non requiritur citatio, nisi ad sententiam, dummodo ex mora differendi executionem non sequatur præiudicium Reipublicæ Menoch. *de recup. remed.* 15. *num.* 259. Clar. *in pract. quæst.* 9. *vers.* Quæro

numquid. Anton. Gomez. *d. num.* 42. & 43. Farin. *num.* 66. *vsque ad* 78.

16 Quando in notorio constat nullam reo competere defensionem, aut scandali timor adest, possunt reo negari defensiones, copiæ, dilationes, & interlocutoriæ. Farinac. *num.* 77. & 78.

17 Notorium populo & non iudici, debet ipsi ex actis constare: qui etiam vt circa sibi notorium procedat iuris ordine non seruato cum priuilegio notorij, necessariò prius probare debet qualitatem, scilicet crimen esse notorium; nisi sit facti continui & permanentis, quod probatione non indiget. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 1108. *num.* 78. 17. 14. & 32. Farin. *d. quæst.* 21. *num.* 84. & *seqq.*

18 Notorium facti transeuntis, & momentanei non solùm est probandum in actis, iuris ordine seruato, sed etiam plenè probandum. Mascard. *lib.* 2. *dict. concl.* 1108. *num.* 9. 11. & 12. Clar. *in pract.* §. *fin quæst.* 9. *vers.* Item quæro. Farinac. *num.* 95. & *seqq.*

19 Testes super probatione notorij debent reddere concludentem rationem sui dicti, etiam non interrogati. Mascard. *concluf.* 1110. *num.* 2. Farinacius *num.* 102.

20 Testes deponentes de notorio debent interrogari quid sit notorium: qui si sint periti, diffinitionem dicant; si autem imperiti, sufficit quòd grosso modo sciant naturam, & qualitatem notorij. Aliàs si imperiti diffinitionem sciant, & quot personarum numerus ad notorium requiratur, nisi suæ scientiæ sufficientem reddant rationem, præsumuntur subornati. Mascard. *lib.* 2. *dict. concluf.* 1110. *num.* 7. Farinac. *num.* 104.

21 Testes

21 Teſtes deponentes circa notorium præſens non debent deponere de auditu, ſed quòd ipſi viderint, & populus aut maior pars: nam de facto antiquo, aut de longinquo loco, ſufficit ſi deponant de fama. Maſcard. *lib. 2. concl.* 1108. *num.* 9. 20. *& ſeqq. & concluſ.* 1110. *num.* 3. *&* 6. Farin. *d. quæſt.* 21. *num.* 105. *& ſeqq.*

22 Non ſufficit ad probationem notorij in criminalibus ad condemnandum, ſecùs verò ad procedendum, quòd teſtis dicat populum fuiſſe præſentem ad tale factum, niſi dicat ſe etiam tale factum vidiſſe. Clar. *d. verſ.* Item quæro. Maſcard. *d. concl.* 1108. *num.* 20. *& ſeqq.* Farina. *num.* 108. *d. quæſt.* 21.

23 Si reus neget notorium, requiritur ſententia quod eſt notorium, & deſuper ferri debet ſententia declaratoria. Maſcard. *lib. 2. concl.* 1100. *num.* 3. Farin. *num.* 116. *d. quæſt.* 21.

24 Ad notorium probandum ſufficiunt duo teſtes idonei. Maſcard. *lib. 2. concl.* 1100. *num.* 1. Clar. *in praxi quæſt.* 9. *verſ.* Quæro numquid. Farinac. *num.* 109. *& de hær. quæſt.* 185. *num.* 84. *& ſeq.*

25 Hæreticus plenè probatur per euidentiam facti hæreticalis; vt quòd hæreſim prædicauit, conculcauit Euchariſtiam, & ſimilia. Eymeric. 2. *part. Direct. quæſt.* 34. *vbi* Peñ. *comment.* 59. Maſcard. *lib. 2. concl.* 860. Farinac. *quæſt.* 185. §. 6. *num.* 47. *de hær.*

26 Contra prædicantem hæreſim aut facientem actum hæreticalem, qui excuſationem non admittit, ſtatim procedi poteſt per ſummariam informationem, ſine accuſatione, aut teſtium examinatione. Carrer. *de hæret. num.* 123. Farin. *dict. quæſt.* 185. §. 6. *num.* 75.

27 Negatio partis non inficit notorium, nec reddit rem dubiam *cap.* Consuluisti 1. *de appellat.*

28 Qui de factis hæreticalibus notoriis conuincitur, si facta æquiuoca non sint, non excusatur dicens non mala intentione ea fecisse. Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 59. *vers.* Iam hoc est. Farin. *de hære. quæst.* 187. §. 1. *num.* 16. *& seqq.*

29 Quando verba vel facta taliter sunt dubia, vt in bonam vel in malam partem interpretari possint, accipienda sunt taliter, quòd excludant delictum, nisi contra facientem detur sinistra præsumptio. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 111. *vers.* Sed cùm in delictis. Farin. *d.* §. 1. *num.* 11. *& seqq.*

30 Contra reum repertum in flagranti delicto ita procedi potest, sicut contra notorium delinquentem, ex abrupto, ac iuris ordine postposito, tàm in grauibus, quàm in leuibus criminibus. Clar. §. *fin. qu.* 8. *num.* 2. Farinac. *d. quæst.* 21. *num.* 133. *& seqq.*

31 Reus in flagranti crimine repertus potest & capi & carcerari, vt ad iudicem feratur, siue delictum sit publicum siue priuatum; potest etiam torqueri. *L.* Neminem Cod. *de exhibend. reis.* Ant. Gom. *var. lib.* 3. *tit. de captura reorum, cap.* 9. *num.* 3. Farinac. *d. quæst.* 21. *num.* 137. *& seqq.*

32 Reo reperto in flagranti delicto dandus est locus defensionis, si neget, aut defensionem aliquam habere possit. Si verò fateatur, & excusationem non habeat, condemnari potest etiam negatis defensionibus. Farin *d. quæst.* 21. *num.* 142. *& seqq.*

33 Contra reum in flagranti crimine repertum ferenda est sententia; solemnitates tamen iuris ad illam ferendam necessariæ non sunt. Clar. *in pract. qua.*

8. *verſ.* Quæro an quando. Farin *d. quæſt.* 21. *num.* 153.

34 Vt repertus in flagranti delicto puniatur, conſtare debet plenè eum tale delictum commiſiſſe. Clar. *l. quæ, l.* 8. *verſ.* Scias tamen. Farinac. *d. quæſt.* 21. *num.* 155.

35 Ille dicitur captus in flagranti, qui in ipſo actu deprehenditur, vel alio actu extraneo in medio non interueniente capitur; ſecùs ſi poſt delictum venerit ad aliquem extraneum actum. Farin. *d. quæſt.* 21. *num.* 156.

36 Reus in flagranti repertus, & conuictus, non eſt torquendus; ſuper complices tamen leuiter torqueri poteſt. Si verò conuictus non ſit, duci poteſt ad torturam abſque aliis indiciis. Clar. *d. verſ.* Scias tamen. Farin *d. quæſt.* 21 *num.* 148. *& ſeqq.*

37 Deprehenſio in hæreſi habet vim probationis. Maſcard. *de probat. concl.* 860. Farinac. *de hær. quæſt.* 185. §. 6. *num* 79. *& ſeq.*

38 Reo in flagranti delicto reperto, ac ad iudicem ducto, recipiuntur teſtes, & ſuper delicto, & ſuper rei deprehenſione in flagranti. Deinde examinetur reus ipſe, qui ſi fateatur, & excuſationem non habeat, ſtatim nullis datis defenſionibus, abſque tortura puniatur. Si excuſationem adducat, dandæ ſunt ei defenſiones. Si verò negat delictum, confrontentur cum eò teſtes, & ad ſe defendendum terminus ei aſſignetur. Farinac. *d. quæſt.* 21. *num.* 150.

CAPVT XXIV.

De infamia.

1 INfamia est *læsa dignitatis status, moribus & legibus improbatus.* Quæ diuiditur in eam, quæ est iuris, & in eam quæ est facti. Doctores *in l. 1. ff. de his qui notant. infam. & in cap.* Testimonium. *de test.* Farinac. *crim. quæst. 56. in præludio num. 1.*

2 Infamia iuris est illa, *qua quis dicitur infamis à iure.* Quæ duplex est: iuris ciuilis vna, & canonici iuris alia. Sylvest. *verb.* Infamia *num. 2.*

3 Infamia iuris ciuilis aut incurritur per sententiam diffinitiuam iudicis, aut ipso facto, secundùm quod iura disponunt. Sylvest. *d. verbo* Infamia. *num. 8. & 9.* Farin. *d. præludio num. 3.*

4 Infamia iuris canonici incurritur in omnibus casibus in quibus infamia ciuilis iuris incurritur, & generaliter ex omni peccato mortali, in quo quis impœnitens persistit. Sylvest. *d. verbo* Infamia. *num. 11.* Farin. *d. prælud. num. 24.*

5 Infamia facti prouenit ex communi hominum locutione, surgitque ex verisimilibus coniecturis à tota vel maiori parte populi aut communitatis; si tamen totius aut maioris partis locutio non sit, dicitur rumor. Doctores *in cap.* Si duo. *35. quæst. 6. & in cap.* Super eo. *qui cogn. conf. vxoris.*

6 Infamia iuris repellit à dignitatibus habitis, facti verò ab acquirendis, nisi aliud exprimatur in sententia. Garcia *de benef. part. 7. cap. 8. à num. 33. vsque ad 37.*

7 In-

7 Infamia duobus teſtibus ſufficienter probatur, ſi ſint idonei, quamuis ſingulares, dummodo in eadem ſpecie infamiæ conueniant: minus idonei duo non ſufficiunt. Maſcard. *de probat. concl.* 896. *num.* 1. *& ſeqq.* Peñ. 2. *part. Direct. comm.* 82. Farinac. *quæſt.* 47. *num.* 302. *& ſequentibus. ac de hæreſi quæſt.* 187. §. 5. *num.* 64. *& ſequentibus.*

8 Teſtes deponentes de infamia etiam non interrogati, rationem ſuæ depoſitionis reddere debent. Bona autem ratio non eſt dicere: Scio quia ſum vicinus. Clareque & diſtincte deponere & cauſas infamiæ adducere debent, aliàs enim non probant. Maſcard. *d. concl.* 896. *num.* 9. & 10. Farin. *d. quæſt.* 47. *num.* 308. *& ſeqq.*

9 Teſtes ſuper infamia debent nominare authores à quibus audierunt, ac dicere quod audierunt à maiori parte hominum vel viciniæ. Maſcard. *d. concl.* 896. *num.* 12. Farin. *d. quæſt.* 47. *num.* 314. *& ſeq.*

10 Sufficienter probant infamiam teſtes, qui dicunt ſcire quia viderunt eius familiaritatem & conuerſationem ab omnibus vel maiori parte vitari. Farinac. *d. quæſt.* 47. *num.* 313.

11 Teſtes dicentes ſe illum reputare infamem, & ita audiuiſſe ab omnibus illum cognoſcentibus, non probant infamiam. Maſcard. *lib.* 2. *concl.* 749. *num.* 10. Farin. *d. quæſt.* 47. *num.* 318.

12 Non probant etiam teſtes, niſi deponant de loco vbi infamia vrget. Farinac. *d. quæſt.* 47. *num.* 320.

13 Nec item probant, ſi dicant extare vocem apud populum, aut ſi non exprimant factum ex quo infamia oritur. Maſcard. *lib.* 2. *concl.* 896. *num.* 8. & 11. Farin. *d. quæſt.* 47. *num.* 316. *& ſeq.*

14 Si aliqui testes deponant super publica voce & fama, & alij interrogati an de hoc aliquid sciant, vel dici audierint, & respondeant nihil scire, vel nihil dici audiuisse, isti vltimi reprobant primos. Farina *d. quæst.* 47. *num.* 170. dummodo vltimi testes probabiliter scire, aut audire debuerint.

15 Infamia si orta sit à fide dignis, facit indicium ad inquirendum. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 754. *num.* 19. Farin. *d. quæst.* 47. *num.* 37.

16 Infamia etiam vehemens & adminiculata in criminibus non facit semiplenam probationem. Mascard. *d. concl.* 754. *num.* 1. & 2. Farin. *dict. quæst.* 47. *num.* 59.

17 In crimine hæresis infamia grauis ac vehemens, quæ non habet contra se aliquam contrariam præsumptionem, ortúmque habet ex probabilibus & verisimilibus causis, ad purgationem canonicam sufficiens est. Peñ. 2. *part. Direct.* 1. *comment.* 82. Farin. *de hæresi quæst.* 187. §. 5. *num.* 55. 70. *& seqq.*

18 Infamia in crimine hæresis cum adminiculis, vt pote familiaritate cum hæreticis, sufficit non solùm ad purgationem canonicam, sed etiam ad abiurationem. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. de septimo modo procedendi. num.* 18. Farin. *d.* §. 5. *num.* 60. & 61.

19 Sola infamia regulariter non facit indicium ad torturam; & si quis cum sola fama torqueatur ac confiteatur, confessio etiam ratificata non valet. Eymeric. 3 *part. Direct. quæst.* 61. *vbi* Peñ. *comment.* 110. *num.* 8. Mascard. *lib.* 2. *conclus.* 753. *num.* 1. *& seqq.* Farin. *d. quæst.* 47. *num.* 2. *& seqq. & num.* 28. *& seqq.*

20 Fama cum vno teste; aut cum grauibus indiciis, imò & fama vehemens indicium facit ad torturam.

tam. Peñ. *d. comment.* 110. *num.* 3. & 4. & *num.* 8. *vers.* Verum hæc.

21 Infamia orta à maleuolis vel ab infamibus & vilibus personis non sufficit ad canonicam purgationem, nisi aut addantur verisimiles coniecturæ, aut scandalum productum sit in populo Peñ. 2. *part. Direct. commen.* 82. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 7. Farin. *de hæret. quæst.* 187. §. 5. *num.* 69. & *seqq.*

22 Infamia etiam de hæresi apud infames & viles personas ad purgationem indicendam non sufficit. Peñ. *d. comment.* 82.

CAPVT XXV.

De præsumptionibus, & indiciis.

1 INdicium est *coniectura ex probabilibus & non necessariis orta, à quibus potest quidem abesse veritas, non tamen patrati maleficij verisimilitudo.* Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 7. *num.* 6. Farinac. *quæst.* 36. *num.* 28.

2 Indicium diuiditur in proximum & remotum. Indicium proximum est *illud, quod immediatè per sensum respicit rei & delicti veritatem.* Indicium remotum est, *quod non tangit immediatè delicti veritatem, sed circumstantias illius.* Farinac. *dict. quæst.* 36. *num.* 44. & *seqq.*

3 Indicium diuiditur in plenum ac indubitatum, & in non plenum & dubitatum. Plenum est, *quod ita arctat mentem iudicis, vt omnino credat, & non*

possit

dict. quæst. 36. num. 100. & seqq.

10 Differentia inter præsumptionem iuris, ac iuris & de iure, stat in hoc, quòd secundùm præsumptionem iuris ius præsumit, & vlterius non procedit. Secundùm præsumptionem verò iuris & de iure ius præsumit, & quia pro comperto habet, firmat desuper ius aliquod. Mascard. *d. quæst. 10. num. 31. & 48.* Menoch. *d. lib. 1. quæst. 97. num. 2. & seqq.* Farinac. *dict. quæst. 36. num. 88. 102. & seqq.*

11 Præsumptio hominis diuiditur in temerariam & probabilem. Temeraria, vtpotè *quæ ex leuibus causis, & coniecturis vel ex vilibus ac leuibus personis prouenit*, reiicitur. Probabilis, *quæ oritur à causis coniecturisve non leuibus, aut à grauibus personis*, diuiditur in leuem grauem, seu vehementem & violentam. Mascard. *dict. quæst. 10. num. 17.* Menoch. *quæst. 5. num. 11. & seqq.* Farinac. *dict. quæst. 36. num. 110. & 118. & seqq.*

12 Præsumptio leuis prouenit *ex signis exterioribus operum vel verborum, ex quibus capitur coniectura qua concludi potest, non quidem frequenter, sed rarò, quòd talia dicens vel faciens, hæresim, vel aliud crimen commiserit.* Simanch. *in Enchirid. tit. 41.* Albert. *de agnosc. quæst. 34. num. 46.* Peñ. *d. comment. 80.*

13 Ibi etiam datur leuis præsumptio, vbi parua adest coniectura mali, & magna boni, vel vbi sunt multa signa boni, & parua mali. Alens. *p. 3. quæst. 45. membr. 2. col. pen.* Menoch. *quæst. 2. num. 8.* Farinac. *dict. quæst. 36. num. 112.*

14 Præsumptio grauis seu vehemens *prouenit ex signis exterioribus operum vel verborum ex quibus cognitis accipitur argumentum concludens frequenter, & vt plurimum, quòd talia dicens vel faciens est hæreticus, aut crimen*

men aliud commiserit. Seu præsumptio vehemens datur, *vbi & parua boni, & magna mali adest coniectura.* Alens. Simanch. Albertin. Menoch. & Peñes. *citatis locis.*

15 Præsumptio violenta prouenit *ex signis exterioribus operum vel verborum, ex quibus cognitis colligitur ferè semper, quòd talia dicens, vel faciens sit hæreticus, aut crimen aliud commiserit.* Seu est *illa, qua posita animus iudicantis in contrarium veri non potest:* quod contingit vbi adsunt mali multa ac magna signa, boni verò nulla. Alens. *d. quæst.* 45. Menoch. *d. quæst.* 2. *num.* 7. Farinac. *d. quæst.* 36. *num.* 114. *& seqq.*

16 Argumentum, adminiculum, indicium, præsumptio, suspicio, & coniectura, licèt aliquam habeant inter se differentiam, pro eodem tamen possunt accipi, & iisdem diuisionibus secari. *Vid.* Farin. *d. quæst.* 36. *num.* 199. *vsque ad fin. quæst.*

17 Indicium & præsumptio, siue remota sint siue proxima, non sufficiunt ad torturam, nisi faciant semiplenam probationem. Menoch. *lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 3. Farin. *dict. quæst.* 36. *num.* 219. *vsque ad num.* 235.

18 In crimine hæresis, maleficij, sacrilegij, sodomiæ, & in occultis ac difficilis probationis, & quæ sine sociis non committuntur, potest reus interrogari de sociis: qui si aliquem nominat, facit indicium ad torturam, dummodo alia concurrant indicia. Mascar. *lib.* 3. *concl.* 1311. *num.* 12. *&* 24. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 474. *num.* 27. *& multis sequentibus.* Farina. *quæst.* 43. *num.* 58. 66. 68. *&* 89.

19 Depositio socij criminis in exceptis sufficit ad inquirendum. Clar. *quæst.* 21. *num.* 5. *vers.* Si verò quæris. Farinac. *d. quæst.* 43. *num.* 130.

20 Quando

20 Quando reus interrogatur de sociis, interrogandus est in genere, nisi adsit legitima & specialis præsumptio. Simanch. *cathol. tit. 65 num. 59* Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 474. num. 53.* Farinac. *d. quæst. 43. nu. 132. & 133.*

21 De se confessus quando de sociis interrogatur, si negat, torqueri potest. Ant. Gom. *var. tom. 3. cap. 12. n. m. 17. in fine.* Farin. *d. quæst. 43. num 131.*

22 Socius criminis non facit indicium ad torturam, nisi iuret, & alia concurrant indicia. Clar. *qu. 21. vers.* Successiuè quæro *num. 7. & vers.* Sed quid in criminibus exceptis. *num.* 8. Farin. *d. quæst. 43. num. 141. & seqq.*

23 Vt indicia, quæ cum socio criminis, qui verisimiliter deponit, ad torturam sufficiant, à iudice ponderanda sunt. Menoc. *de arbit. lib. 2. casu 474. num. 47.* Farin. *d. quæst. 43. num. 162. & 177.*

24 Casus, in quibus cum socij criminis testimonio datur tortura, aliqui assignantur. Primus, quando simul concurrunt testes de auditu, & multo magis testis aliquis de visu omni exceptione maior. Secundus quando concurrit fama. Tertius, quando concurrit fuga. Quartus, specialis & stricta amicitia nominati cum tali socio. Quintus, si concurrant secreta alloquutio & conuersatio inter nominatum & socium. Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 474. num. 5. & seqq. ac de præsump. lib. 1. quæst. 89. num. 73.* Farin. *d. quæst. 43. à num. 162. vsque ad 176.*

25 Socius criminis qui patitur plures defectus, vt qui est infamis, criminosus, periurus, vtpotè qui in primo examine negauit, posteà confessus est, aut qui confessus de se, negauit de complicibus, aut alias inhabilis

manś se falsum dixisse contra aliquem in causa criminali, tollit primam depositionem, etiam adminiculatam, ita vt ratione illius, licet indicia aliqua addantur, reus torqueri non possit. Farinac. *quæst.* 46. *nu.* 68. *& seqq.*

32 Offensus qui in causa criminali deponit contra offendentem, non facit indicium nec ad torturam, nec ad inquirendum. Mascar. *concl.* 1334. *num.* 1. *& seqq.* Farin. *d. quæst* 46. *num. etiam* 68. *& seqq.*

33 Hæresis crimen indiciis & præsumptionibus probatur magis vel minus, iuxta eorum qualitatem. Mascard. *concl.* 861. *per totam.*

34 Indicia & coniecturæ debent plenè probari, saltem per duos testes; aliàs neque ad condemnandum, neque ad torquendum sufficiunt. Simanch. *cathol. tit.* 50. *num.* 27. *& tit.* 65. *num.* 14. Rojas *singul.* 164. *num.* 6. *& de hær. par.* 2. *num.* 289. Peñ. *in Direct. part.* 3. *quæst.* 61. *comment.* 110. *vers.* Iam indicia. Farin. *de hær. quæst.* 185. §. 8. *num.* 145. *& quæst.* 187. §. 2. *num.* 34.

35 Præsumptio, seu suspicio violenta secundùm ius sufficiens est ad plenè probandam hæresim, & ad condemnandum in pœnam ordinariam. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 97. *num.* 19. *& quæst.* 100. *num.* 15. Eymeric. *in. Direct. part.* 2. *quæst.* 55. *num.* 16. Peñ. *comment.* 80. Farinac. *de hæresi quæst.* 187 §. 4. *num.* 46.

36 Violenta præsumptio non admittit directam probationem in contrarium, benè tamen indirectam, vt probando testes esse falsos. Simanch. *cathol. tit.* 50. *num.* 4. Peñ. *d. commem.* 80. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 48.

37 Ex consuetudine Romanæ curiæ propter

violentam suspicionem solùm imponitur abiuratio, vel in forma, vel de vehementi. Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 51.

38 Vehemens suspicio seu præsumptio, etiam si alia adsint adminicula, semiplenam tantùm facit probationem, & ad condemnandum in pœnam extraordinariam sufficientem. Locatus *in iudiciali Inquisit. verbo* Suspicio. *num.* 26. Farin. *dict. quæst.* 187. §. 3. *num.* 4.

39 Vehemens suspicio seu præsumptio admittit directam probationem in contrarium; quia ex ea oritur solum iuris præsumptio, non verò iuris & de iure. Simanch. *d. tit.* 50 *num.* 6. Roias. *singul.* 165. Peñ. *ad Direct. part.* 2. *quæst.* 55. *comment.* 80. Farinac. *dict.* §. 3. *num.* 39.

40 Vehemens suspicio sufficiens est ad torturam, ad indicendam purgationem canonicam, & ad abiurandum. Locatus *d. verbo* Suspicio. *num.* 7. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 100. *num.* 11. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 55. *num.* 12. *&* 3. *part. rubr. de quinto modo procedendi, num.* 166. Farinac. *dict.* §. 3 *num.* 40. *&* 43.

41 Leuis suspicio seu præsumptio nec plenam, nec semiplenam probationem facit: vnde nec ad pœnam ordinariam, nec ad torturam sufficit. Simanch. *cathol. tit.* 50. *num.* 28. Roias *de hæresi part.* 2 *assert.* 6. *num.* 148. Farin. *d. quæst.* 187. §. 2. *num.* 26. *&* 27.

42 Leuis præsumptio seu suspicio sufficit ad inquirendum, ad examinandum reum, ad purgationem indicendam, ad abiurandum de leui, & ad aliquam pœnam imponendam. Maseard. *concl.* 861. *num.* 6. Peñ. *cum* Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 55. *num.* 9. *& part.*

& part. 3. quæst. 87. comment. 136. Farin. *d. §. 2. num. 28. & seqq.*

CAPVT XXVI.

De carceratione.

1 CArcer locus est, vbi seruantur noxij; importátque priuationem libertatis in vsu membrorum corporis, sine violentia membris adhibita, & sine custodia viua. Sylvest. *verbo* Carcer. *num.* 1.

2 Carcer, secundùm ius canonicum, & ad pœnam & ad custodiam inuentus est, ipsúmque & Episcopus, & Inquisitor habere possunt. Eymeric. 3. *part. Direct. quæst.* 58. *vbi* Peñ. *comment.* 107. Simanch. *cathol. tit.* 16. *num.* 14. *& seq.*

3 Inquisitores possunt incarcerare reos illorum criminum, quæ ad eorum iurisdictionem spectant; sicut omnes qui habent merum imperium. Decian. *crim lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 23. Farin. *quæst.* 27. *num.* 6. *& de hæret. quæst.* 185. §. 1. *num.* 3.

4 Reus potest à priuata persona capi, & incarcerari, si reperiatur in flagranti delicto, vt ad Inquisitorem, vel ad iudicem deferatur; dummodo non retineatur vltra viginti horas. Anton. Gomez. *tom.* 3. *var. cap.* 9. *num.* 3. Farinac. *quæst.* 21. *num.* 140 *& quæst.* 27. *num.* 23. *&* 24.

5 Non licet iudici à captura incipere, sed antequam ad illam deueniat, debet examinare testes cir-

ca sufficientia indicia præcedentia Eymeric. *3. part. Director. de modo procedendi, & continuandi processum. num. 73, vbi* Peñ. *comment.* 17. Farin. *quæst.* 27. *num.* 111. *& seqq.*

6 Ex sola informatione extraiudiciali non redacta in scriptis non deuenitur ad capturam, nisi delictum sit graue, & periculum fugæ interueniat, & iudex etiam sit certus, quòd post capturam venient testes ad se examinandum. Clar. *in praxi quæst.* 28. *vers.* Scias autem. Farinac. *d. quæst.* 27. *num.* 130. *& seqq.*

7 Quæ indicia ad capturam sufficiant, iudicis arbitrio relinquitur, considerata delicti & personæ qualitate, an delictum sit publicum vel occultum, persona nobilis & diues, an verò vilis ac pauper. Farinac. *d. quæst.* 27. *num.* 126. *& seqq.*

8 Leuia indicia non sufficiunt ad capturam Peñ. *2. part. Direct. super cap. Excommunicamus.* §. Cæterum. *& 3. part. comment.* 17.

9 Cùm aliquis bonæ famæ & opinionis apud Inquisitores denuntiatur, si leue sit crimen, non mittitur in carcerem, sed vocatus ab Inquisitoribus interrogatur iudicialiter, & assignatur ei locus à quo non recedat, & secretò causa illius tractatur. Peñ. *3. part. Direct. ad rubr. de appellat. comment.* 31. *vers.* Dixi quandoque.

10 Ad capturam proceditur, quando crimen est plenè aut plusquam semiplenè probatum, aut indicia vrgentia & vehementes suspiciones. Eymeric. *3. part. Direct. num.* 73. *vbi* Peñ. *comment.* 17. Farinac. *de hæret. quæst.* 185. §. 1. *num.* 7.

11 Vnus testis de visu, vel de auditu proprio sufficit ad capturam, nisi delatus sit persona nobilis & bonæ

& bonæ opinionis, aut Ecclesiastica. Farinac. *d. num. 7. dict.* §. 1.

12 Propter illa tantùm indicia quæ sufficiunt ad torturam, carcerandus est reus in crimine hæresis, nisi sit suspectus de fuga; tunc enim minora indicia sufficiunt. Farin. *d. num.* 7. §. 1.

13 Propter propositiones non hæreticales, licèt malè sonantes sint & scandalosæ, non facilè quis carceribus secretis mancipandus est. Rojas *de hæres. part. 2. assert. 1. num.* 19. Farin *d. num.* 7. *d.* §. 1.

14 Si delatus sit nobilis & bonæ opinionis, antequam capiatur fiat extraiudicialis informatio ab ipsius parocho; dummodo probatio non vrgeat. Farin. *d. num.* 7. §. 1.

15 Hæreticus semper est suspectus de fuga, & sic de facili incarcerandus, cum sufficienti tamen probatione, nisi spontè coram Inquisitore se ipsum præsentet. Spontè verò dicitur venire, qui non indiciatus venit; vel si præcesserunt indicia, constet nullam eorum habuisse notitiam. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 12. *num.* 56. Farinac. *de hær. quæst.* 293. §. 1. *num.* 27. *& seqq.*

16 Quando adsunt sufficientes probationes ad capturam, petat fiscalis ab Inquisitoribus; vt reus comprehendatur, qui de peritorum consilio quid opus sit, deliberent; quamuis sine eorum consilio id facere possint. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 17.

17 Vbi primùm captura decreta fuerit, mandatum de capiendo reum exhibendum est ministro ad hoc deputato; quòd si plures capiendi fuerint, de singulis singula mandata exhibeantur, quæ singulorum processibus inserenda sunt. Peñ. 3. *par. Direct. com.* 108.

18 Si capienda sit aliqua persona magnæ authoritatis, religiosa, nobilis, literis conspicua, vel incorruptæ vitæ, consulendus est supremus Senatus cum summarij transmissione, nisi suspicio fugæ interueniat. Peñ. *d. comment.* 108. Farin. *de hær. quæst.* 185. §. 1. *num.* 7.

19 Non sunt omnibus reis æquales carceres assignandi, sed grauiores, vel minùs graues, pro personæ & delicti qualitate. Peñ. *d. comment.* 108.

20 Quando marito & vxori assignatur carcer ad pœnam, ponantur simul in eodem loco. Secùs verò si ad veritatem indagandam. Peñ. *d. comment.* 108.

21 Duo vel plures, præsertim negatiui, in eodem cubiculo non concludantur: boni tamen confitentes simul esse possunt. Nullus autem est de facili de vno cubiculo ad aliud transferendus. Peñ. *d. comment.* 108.

22 Inquisitores non loquantur cum reis, nisi de negotiis ipsorum, & semper cum notario, vel alio fideli ministro. Carceres visitent saltem singulis mensibus, quærantque à carceratis, an illis necessaria ministrentur: mittant etiam ad ipsos aliquos viros probos, quando id expedire iudicauerint. Peñ. *dict. comment.* 108.

23 Ob hæresim aut suspicionem illius, carcerati non sunt, lite pendente, admittendi ad audiendam Missam, nec ad alias orationes, quæ intra carcerem dicuntur. Peñ. *d. com.* 108. & 2. *p. Direct. com.* 25.

24 Incarceratus pro hæresi si infirmetur, & confessarium petat, concedatur ei, qui tamen sit vir bonus & doctus, cui detur iuramentum de seruando secreto, & quòd nihil dicat extra carcerem, etiam de consensu

consensu pœnitentis. Si tamen necesse sit aliquid manifestare, inducat pœnitentem vt ad Inquisitorem recurrat. Si confessarius inuenerit prædictum pœnitentem esse hæreticum, nec adhuc in vltimo vitæ discrimine, non absoluat eum, nisi prius iudicialiter confiteatur: si tamen taliter sit morti proximus, vt non possit iudicialiter confiteri, tunc absoluat illum data cautione saltem iuratoria de obediendo Ecclesiæ. Si non petat confessorem, persuadendum est ei, vt petat. Peñ. *dicta 2. p. comment. 25. vers.* Totum verò.

25 Si sanus confessorem petit, concedi ei potest talis tamen qui eum admoneat, vt tàm de se, quàm de aliis veritatem Inquisitoribus reuelet. Absolutionem tali, si hæreticus aut aliàs excommunicatus sit, non impendat confessarius, nisi prius iudicialiter reconcilietur, & absoluatur. De auditis in confessione caueat confessarius ne quidquam Inquisitoribus reuelet; quæ verò extra confessionem nouerit, statim reuelare debet. Peñ. *d. com.* 25.

26 Deprehensus in hæresi, & sic confessus aut conuictus sub fideiussore non relaxetur; si verò non inueniatur culpabilis, aut solùm leuiter deliquerit, sub fideiussore relaxari potest, vel sub iuratoria cautione, si fideiussorem non habet, quod domum aut ciuitatem habeat pro carcere. Farin. *de hæresi quæst.* 185 §. 1. *num.* 7.

27 Iudæi & alij infideles, Pagani scilicet & Saraceni, in casibus in quibus ab Inquisitoribus puniri possunt, non gaudent immunitate Ecclesiæ, quamuis ad illam confugiant, nisi verè & non simulatè velint fieri Christiani. Decian. *d. cap.* 26. *num.* 2. Azor *instit. moral. p.* 2. *lib.* 9. *cap.* 9. *vers.* Si quæras an Iudæus. Farin.

de immunitate Ecclesiæ cap.5.num.79.& 83.& in praxi quæst.28.num.68.

28 Hæreticus etiam in Ecclesia apprehendi & capi potest, nec ei immunitas Ecclesiæ prodest. Rojas *singular.93.num.3.* Decian. *crim.lib.6.cap.26.num.4.* Farinac. *de immunit.Ecclesiæ cap.13.num.167.*

29 Suspectus de fide non gaudet immunitate Ecclesiæ, potestque ab Inquisitoribus apprehendi & puniri. Farin *d.cap.13.num.175.* De blasphemis etiam non hæreticalibus idem dicendum est. Decian. *crim. quæst.28.num.67.& 73.*

30 Sodomita si ad Ecclesiam confugiat, extrahi ab ea non potest. Farinac. *de immunitate Ecclesiæ cap.6. num.98.*

31 Si sodomita in Ecclesia delinquat, non gaudet illius immunitate, maximè clericus, qui illa priuatur, licèt extra illam sodomiam commiserit. *Vide* Farinac. *de immunit.Ecclesiæ cap.16.num.205.& 207. & seqq.& crim.quæst.28.num.8.& 52.*

32 Carcerum effractores, qui iustè in eis detinebantur, siue de facto fugiant siue non, arbitraria pœna plectuntur. Ant.Gom. *tom.3.variar.cap.9. de captura reorum num.11.vers.* Sed certè iste videtur. Farin. *quæst.30.num.8.& 25.*

33 Fugiens à carcere, iuxta communem praxim non est condemnandus, nisi citetur ad comparendum intra certum tempus. *Si* tamen eo elapso non comparuerit, condemnari poterit: secundùm iuris rigorem, etiam absque citatione condemnatur. Farinac. *d.quæst.30.num.45.*

34 Fuga à carcere, etiam attentata, est indicium contra fugientem de delicto pro quo detinebatur,

suffi-

sufficiensque ad torturam: dummodo animo reuertendi non effugerit. Clar. *in pract. quæst.* 21. *vers.* Tertio autem modo. Menoch. *de præsump. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 42. Farinac. *d. quæst.* 30. *num.* 85.

35 Fugiens è carcere quia inuenit ostium apertum, mitiùs punitur, nisi fractis compedibus exierit: debet tamen probare. In dubio non præsumitur carcerem fuisse apertum. Ant Gom. 3. *variar. cap.* 9. *num.* 11. *vers.* Vnum tamen est. Menoch. *de arbit. lib.* 2. *casu* 301. *num.* 3. Farin. *d. quæst.* 30. *num.* 160. *& seq.*

36 Cito reuersus ad carcerem non præsumitur fugisse animo non reuertendi; animus autem reuertendi non præsumitur, nisi fugiens aliquam causam saltem coloratam allegauerit. Mascard. *concl.* 819. *num.* 24. *& concl.* 820. *num.* 10. *& seq.*

37 Detentus In carcere pro crimine hæresis, si aufugiat, neque pro confesso, neque pro conuicto habetur, resultat tamen contra ipsum nouum indicium, quo aliis adiuncto, potest citari ad comparendum; & si non compareat, vt hæreticus condemnari. Rojas *de hær. part.* 2. *assert.* 15. *num.* 185. Farinac. *d. quæst.* 30. *num.* 195. *& seqq.*

38 Positus in carcere propter hæresim, non ad custodiam, sed ad pœnam, si aufugiat, non habetur pro relapso. Mascard. *concl.* 820. *num.* 21. *& seq.* Farina. *d. quæst.* 30. *num.* 200.

39 Frangens carceres vt carcerati aufugiant, vel carceratos extrahens, vel dans illis ad hoc auxilium, consilium, aut fauorem, arbitraria pœna punitur. Farin. *d. quæst.* 30. *num.* 93. *& seqq.*

CAPVT XXVII.

De citatione reorum.

1 Citatio est *vocatio iuridica ad iudicis conspectum, nuntio, literis, voce præconis, aut personaliter facta*: quæ ad validitatem sententiæ necessaria est. Sylvest. *verbo* Citatio. *num.* 1. & 5. Peñ. 3. *p. Direct. comment.* 40.

2 Si accusatus, delatus vel inquisitus de hæresi non sit de fuga suspectus, præsumaturque probabiliter quòd citatus ad iudicis conspectum veniet, citandus est verbaliter; sed quia regulariter timetur fuga, realiter est citandus, id est realiter capiendus & carcerandus. Eymer. 3. *p. Direct. num.* 73. *vbi* Peñ. *comment.* 17.

3 Quando aliquis citatur verbaliter in crimine hæresis, non exprimatur in citatione causa, tempus, nec locus delicti, sed generaliter præcipiatur reo, vt se coram Inquisitore præsentet, si delictum leue sit, secùs verò si graue. Peñ. *d.* 3. *p. commen.* 33. *num.* 131. Farinac. *de hær. quæst.* 185. §. 7. *num.* 12. *& seqq.*

4 Inquisitores citare possunt absentes, aut mittere literas ad aliquem, qui eorum nomine eos citet. Peñ. *d. comment.* 33. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 104.

5 Si reus contumax sit, aut se occultet, nec facilè capi possit, & Inquisitor ob contumaciam contra illum procedere intendat, expressè citetur ad comparendum, & ad respondendum quid sentiat de fide. Peñ. *d. comment.* 33. *&* 2. *p. comment.* 72. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 111. *&* 114.

6 Pro

6 Pro absente in causa hæresis citato, procurator comparens audiri non debet; aliquis tamen tamquam innocentiæ defensor admittatur, dummodo citatus sit tantum de fide suspectus. Secùs verò si hæreticus est, & de hæresi in processu constet. Simanch. *catho. tit.* 52. *num.* 1. Peñ. 3. *par. Direct. com.* 36. *num.* 139. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 98. *& seqq.*

7 Ex vsu Romanæ Inquisitionis pro absente contumace non admittitur aliquis, neque vt innocentiæ defensor. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 99.

8 Ad excusandum contumacem, & ad allegandum absentiæ causas, admittitur procurator. Peñ. *dict. com.* 36. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 16. *& cap.* 37. *n.* 50. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 101.

9 Si absens potest inueniri. non est condemnandus, nisi corporaliter citetur. Simanch. *catho. tit.* 14. *nu.* 5. *& 6. & in Enchiridio tit.* 45. *num.* 7. *&* 8. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 116.

10 Cùm contrà absentem proceditur, licèt vna tantum citatio, quæ habeat vim peremptorij, sufficiat, regulariter tamen tres præcedere debent, nisi contra contumacem conuictum procedatur: tempus autem siue in vna siue in tribus citationibus, sit triginta dierum. Decian. *d lib* 5. *cap.* 32. *num.* 4. Farin. *d.* §. 7. *num.* 117. *& seq. &* §. 9. *num.* 157.

11 Necessariò citandus est hæreticus, vt se ipsum defendat, & multò magis, vt sententiam audiat. Peñ. 3. *p. Direct. com.* 40. *num.* 164. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 32. *nu.* 1. *& cap.* 38. *num.* 27. Farinac. *dict. quæst.* 185. §. 9. *num.* 154. *& seqq.*

12 Contra præsentem hæreticum vna sufficit citatio. Decian. *d. cap.* 38. *n.* 9. Farin. *d.* §. 9. *num.* 158.

13 Relapsus

13 Relapsus non est necessariò citandus nisi neget se relapsum esse, & super hoc velit audiri Decian, *d.cap.32.num.2.* Farinac. *d.§. 9.d.159.*

CAPVT XXVIII.

De remissione reorum.

1 REmissio est *causa commissa ad competentem iudicem facta missio.*

2 Hæreticus, cùm vbique diuinam maiestatem offendat, & hæresis crimen habeat in se causam continuam & successiuam, vbicumque inueniatur, puniri potest extra locum commissi delicti Eymer. *3. part. Direct. quæst.42. vbi* Peñ. *comment. 91. vers.* Iam quantum. *& comment.33. vers.* Verumtamen. Farinac. *crim. quæst.7. num. 17.*

3 Quando Inquisitor loci commissi delicti nõdum processerat contra hæreticum, nec illum citauerat, non est ad ipsum ab alio Inquisitore facienda remissio rei capti in alio loco. Secùs verò si illum citauerat; cùm inter Inquisitores detur præuentio. Rojas *singul.173. num.7.* Peñ. *3.p. Direct. comment.33. vers.* His ita. *& seqq. & quæst.42. comment.91. vers.* Iam quantum. Farinac. *de hær. quæst.197. §.1. num.10.*

4 Tunc facienda est remissio (dato quòd facienda sit) quando Inquisitor præueniens illam petit: si verò non petit, non opus est vt fiat. Peñ. *d. comment.33.* Couar. *practic. quæst. cap.11. num.12.*

5 Quando reus vtrobique vel publicè, vel occultè

cultè delinquit, fiat remissio si petatur: si tamen publicè, vtrobique peccauit, melius est vt ei iterabilis pœnitentia imponatur, quam faciat in iisdem locis, in quibus deliquit Peñ. *d.comment.33. vers.* Rursus.

6 Vt remissio fiat, constare debet iudici requisito de crimine commisso in territorio iudicis requirentis, aut de præuentione: quod sit ex processu & summaria informatione missa à iudice requirente ad iudicem requisitum, si tamen iudex requisitus sit laicus, & Inquisitor requirat in causa fidei, non potest laicus cognoscere, sed statim remittat. Peñ. *d.commen. 33. vers.* Secundò Decian. *crim. lib.4. cap. 19. num. 20.* Couar *pract. quæst. cap.11. num.8.* Cened. *quæst. 36. num. 16. & seqq.*

7 Requiritur ad remissionem, quòd reus non commiserit aliud crimen contra fidem in territorio iudicis requisiti; quia tunc prius debet pro tali crimine puniri, quàm remittatur. Peñ. *dict. comment.33. vers.* Tertiò.

8 Vt remissio fiat, debet Inquisitor debitè requirere, & delictum debet esse graue. Nam pro leui suspicione remissio petenda non est, nec si petatur, concedenda. Peñ. *d.com.33. vers.* Quanto. *& seq.* Decian. *d. cap.19. num.5.* Clar. *in pract. §. fin. quæst.38. num.23.*

9 Ab Inquisitore cuiusque prouinciæ remissio peti potest, cùm omnes sint subditi vni tantum Romano Pontifici. Maiores iudices remittere non tenentur; æquissimum tamen est, vt remissionem concedant. Peñ *d.com.33. vers.* Sextò *& seq.*

10 Remissio regulariter de condemnando, non vero de condemnato fieri debet. Condemnatus tamen aliquando remittitur, cùm pœnitentia in crimine hæ-

ne hæresis iterabilis sit. Peñ. *d. com. 23. verſ.* Postremò.

11 Quando ob aliquam causam non expedit reum remittere, tunc ad Inquisitorem, qui iudicaturus est reum, mittat alius Inquisitor quidquid de reo sciuerit. Peñ. *d. comment. 33. verſ.* Vel si vult.

12 Remissio omitti potest propter periculum, quòd reus occidetur, fugiet, eripietur à ministris, propter etiam itineris distantiam, & immodicas expensas, & alia quæ prudentis arbitrio relinquuntur. Peñ. *d. comment. 33. verſ.* Vel si vult.

13 Quando remissio fit à iudice seculari ad Inquisitorem de hæretico vel suspecto, detento tamen pro alio crimine, postquam Inquisitor talem correxerit, remittat illum ad iudicem secularem, vt ab eo iudicari possit de crimine pro quo detinebatur. Secùs verò si pro hæresi vel suspicione illius à iudice seculari comprehensus fuerit, cùm hæc ad solum Inquisitoris iudicium pertineant. Clar. §. *fin. quæſt.* 38. *num.* 26. Cened. *d. quæſt. 36. num. 24.*

14 Lamiæ, seu striges pro infanticidio à iudice seculari detentæ, & propter hæresim ad Inquisitores missæ, remittendæ sunt ad eumdem iudicem, peracto hæresis iudicio, vt secundùm leges suas, illas iudicet. Simanch. *catholic. tit. 37. num. 19.* Peñ. *ad tract. de ſtrigis in fine Lucernæ Inquiſitorum. verſ.* Sed ab hac sententia.

15 Idem dicendum est de piratis comprehensis à laica potestate, qui propter apostasiam à fide, & transitum ad Saracenos, ad Inquisitores mittuntur; cùm crimen piraticæ, sicut & homicidij non veniat in consequentiam hæresis seu apostasiæ, vt pro eo ab Inquisitoribus puniatur: nam quæ non veniunt in

conse-

consequentiam, non sunt in consequentiam trahenda. Albert. *de agnosc. quæst.* 25 *num.* 67. *ex l.* Interdum, 58. §. Qui furem. *ff. de furtis. & l.* Solemus. §. Latrunculator. *ff. de iudic.*

16 Si homicidium pro quo hæreticus est à iudice laico comprehensus, coniungatur cum hæresi vel apostasia, sicut si lamia sacrificet infantem dæmonibus, quos diuinis honoribus colit, possunt Inquisitores illum pro tali homicidio punire, nec ipsum remittere debent: eò quòd sit homicidium hæreticale seu apostaticum, veniens in consequentiam hæresis seu apostasiæ ex intentione sacrificantis, quæ dat speciem actui. Facit regula Accessorium. 42. *de regulis iuris in* 6. & regula Quòd continentia causæ non debet diuidi coram diuersis iudicibus. *l.* Nulli prorsus. C. *de iudic.*

17 Si hæretici ab Inquisitoribus primò comprehensi, confiteantur aliquod crimen profanum, pro quo à iudice laico possunt puniri, præsertim pœna capitali, non possunt illos remittere, quamuis remissio à tali iudice petatur. Albertin. *dict. quæst.* 25. *num.* 70. Peñ. *in dict. tract. de strigis vers.* Sed numquid poterit.

18 Quando hæreticus confessus est coram Inquisitoribus crimen, pro quo à iudice laico potest imponi pœna mortis, aut mutilationis, seu debilitationis membrorum, non tradant Inquisitores iudici laico copiam huius confessionis, nec communicent processum à se factum, nec in sententia, quæ publicè legitur, tale crimen explicetur Albertin. *d. num.* 70. *vbi citat.* Ancharran. *in repetit. capitis.* Ea quæ. *quæst.* 4. *vers.* Item cùm ad pœnam legalem. *de regul. iur. in* 6.

19 Sodo-

19 Sodomita, qui primò à iudice seculari comprehensus, & propter hæresim aut suspicionem illius, mittitur ad Inquisitores Lusitaniæ, qui ex commissione speciali de tali crimine cognoscunt, non est remittendus ad secularem iudicem; quamuis aliàs in ipso crimine detur preuentio, cùm sit mixti fori. Pius IIII. & Gregorius XIII. *in suis literis relatis suprà lib. 1. cap. 59. num. 10.*

20 Idem dicendum est in hoc Lusitaniæ Regno de non presbyteris, qui confessiones audiunt, aut Missas celebrant, ac etiam de confessariis solicitantibus: qui si primò propter huiusmodi sacrilega delicta ab Ordinario apprehendantur, & ratione hæresis mittantur ad Inquisitores, remittendi iterum non sunt ad Ordinarium, determinata causa fidei, si generalis Inquisitor causam aduocat; quamuis aliàs detur præuentio. Faciunt quæ dixi *in Opusculo de solicitantibus tractatu 1. cap. 19. & tract. 2. cap. 1. concl. 5. & in addit. num. 21.*

CAPVT XXIX.

De defensionibus in causis fidei.

1 DEfensio est *instantis, imminentisve periculi propulsatio.* Quæ de iure naturæ competit: & licèt tolli absolutè non possit, limitari & moderari potest, & modus defensionis restringi. Farin. *crim. qu. 39. num. 112. & de hær. quæst. 185. §. 14. num. 216.*

2 Reis etiam contra fidem delinquentibus dan-

dæ

dæ sunt legitimæ defensiones, quas Inquisitor ex officio pro ipsis reis inquirere tenetur; quamuis sint relapsi, si se esse relapsos negant. Eymer. *3.p.Direct.rub. de defens.reorum.num.*117. *vbi* Peñ. *com.*28. Repert. Inquisit. *verbo* Citatio *vers.* Sed pro intelligentia. *& verbo* Defensores. *vers.* Defensor rei. Farinac. *de hær.quæst.* 18. §.14. *num.*210. *& seqq. & crim.quæst.* 39. *per totam.*

3 Quamuis hæreticus sit malæ famæ, & vitæ, & non declaret quas velit facere defensiones, dandæ sunt ei, etiam non petenti. Farin. *d.* §.14. *num.*218. *& seq. & crim. quæst.*39. *num.* 91.

4 Antequam hæreticus sit confessus, & conuictus, imo postquam est conuictus & confessus, ante & post sententiam, ac denique in quacumque iudicij parte, dandæ sunt ei defensiones. Simanc. *cathol.tit.*17. *num.* 1. Peñ. *3.p.Direct.com.*28. *num.*117. Farin. *d.* §.14. *& sequenti. & d.quæst* 39. *num.*80. *& seqq.*

5 Ante torturam dandæ sunt reo defensiones, & audiendus eius aduocatus, an sit vel non sit torquendus. Simanch. *cathol.tit.*65. *num.*16. *&* 17. Peñ. *3. p.Direct.com.*110. *in appendice.vers.* Postremò. Farinac. *d.*§.14. *num.* 213.

6 Indiciorum copia danda est reo, & totus processus suppressis nominibus testium, vt se defendat, ac concedenda dilatio ad indicia diluenda. Simanch. *in Enchir.tit.*35. *num.*12. Peñ. *d.vers.* Postremò. Decian. *crim.lib.*5. *cap.*36. *num.*4. Farin. *d.* §.14. *num.* 212. *& d. quæst.*39. *num.* 88. *& seqq.*

7 Defensionum renunciatio facta ab hæretico nulla est, etiamsi dicat nullam sibi competere defensionem, nisi in crimine notorio, aut si reus sit confessus, vel repertus in flagranti delicto, aut defensiones

sint à iure positiuo introductæ. Anton.Gom.*3.variar. cap.13. verf.* Secundò poterit probare innocentiam. Menoch.*de arbit. quæst.7.num.9.* Farinac. *d. quæst. 39. à num. 51. vsque ad num. 67.*

8 Quando reo nulla competit defensio, vtpote quia crimen notorium est, vel ipse reus repertus fuit in flagranti delicto, non sunt ei concedendæ defensiones Menoch.*de arbit.lib.1.quæst.17.num.15.* Decian. *cons.18.num.6.vol.1.* Farinac.*d.quæst.39.num.103.& sequentibus.*

9 Defensiones calumnioſæ denegandæ sunt reo, Farinac.*d.quæst.39.num.* 105.

10 Non sunt dandæ defensiones reo, quando vult probare aliquam speciem hæresis, quæ verè hæresis est, hæresim non esse: si verò non constet manifestè hæresim esse, denegandæ non sunt. Peñ. *2. parte Direct.com.10.verf.* In hac difficultate. *Farin. de hæref. q. 385.§.14.num.225.& quæst.197.§.3.num.70.& seq.*

CAPVT XXX.

De aduocato.

1 Aduocatus est, *qui in iudicio apud eum qui iurisdictione præest, suum præstat litigantibus patrocinium: qui tamen præsentes sint.* Sylu. *verbo* Aduocatus.*num.1.& verbo* Procurator. *in principio.*

2 Hæreticis aut suspectis de fide, qui tales se esse negant, aduocatus conceditur. Si verò constet esse hæreticos, nec conceditur aduocatus, nec si concedatur,

tur, ipse patrocinari poterit. Eymeric. 3. p. *Direct. rubr. de defensionibus reorum num.* 117. *vbi* Peñ. *com.* 28. *& part.* 2. *com.* 10. Simanch. *cathol. tit.* 44. *num.* 22. Farinac. *de hær. quæst.* 197. §. 3.

3 Reus qui fatetur, aduocato non indiget, quantum ad ea quæ fatetur. Peñ. *d. comment.* 28.

4 Aduocans pro hæretico, sciens hæreticum esse, defensor illius reputatur, efficitur infamis, excommunicationem incurrit ipso facto, éstque de hæresi suspectus. Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 51. *num.* 13. *& 23. & cap.* 20. *num.* 20. *& cap.* 37. *num.* 51. Eymer. 3. *part. Direct. quæst.* 39. *vbi* Peñ. *comment.* 88. Farin. *d.* §. 3 *num.* 55. *& seqq.*

5 Admittitur aduocatus pro hæretico, si velit opponere defectum iurisdictionis in iudice. Decian. *d. cap.* 37. *num.* 51. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 81.

6 Quando damnatur memoria defuncti, aduocatus & defensor interuenire possunt. Decian. *d. cap.* 37. *num.* 50. Farin. *d.* §. 3. *num.* 83.

7 Aduocatus pro hæretico vel suspecto admittitur de consensu Inquisitoris, quem præstare tenetur. Decian. *d. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 20. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 77. *&* 80.

8 Si reus alium aduocatum petat ab iis qui iam sunt deputati, concedatur ei, dummodo iusta causa interest: qui tamen eas habeat qualitates, quæ in aduocatis requiruntur. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 30. *vers.* Et concedo. *& seq.*

9 Cùm primùm aduocato constiterit reum esse hæreticum, vel iniustè se defendere, statim illum dimittere tenetur & Inquisitoribus denuntiare: deque hoc faciendo, iuramentum accipere debet. Simanch.

*catholi.tit.5.num.3.& 4.*Farin.*d.§.3.num.*78.

10 Reo de hæresi accusato vel inquisito persuadeat aduocatus, vt veritatem fateatur, & pro culpa, si quam commisit, veniam petat. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 28. Simanch. *catholi.tit.*5.*num.*4.Farinac.*dict. num.* 78.

11 Aduocatus debet esse vir probus, de legalitate non suspectus, iuris peritus, fidei zelator, nec suspectus de hæresi, nec de genere suspecto. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. de defens. reorum. num.* 117. *vers.* Et sic. Farinac. *d.§.3.num.*78.

CAPVT XXXI.

De procuratore.

1 PRocurator est, *qui in iudicio coram iurisdictionem habente absentibus litigantibus auxilium præstat. L.*1. *ff. de procurat.*

2 Quando ad instantiam partis procurator conceditur, eas habeat in se cõditiones, quæ aduocato requiruntur qui etiam ea facere tenetur, quæ de aduocato diximus. Peñ. *ad* 3. *part. Direct. rubr. de defens. reorum. num.* 117. *comment.* 28.

3 Quamuis in causa hæresis dari possit reo procurator, tarò tamen id fiat: aduocatus enim sufficit, ac etiam Inquisitores, qui ex officio reum defendere tenentur Eymeric. *d. num.* 117. *vbi* Peñ. *d. comment.* 28.

4 Absenti citato pro hæresi, non conceditur procurator; sed quando res est dubia, admittitur aliquis tamquam

tamquam innocentiæ defensor. Peñ. *d. 3. part. Direct. comment. 36. num. 139.* Farinac. *de hær. quæst. 185. §. 7. num. 98. & seqq.*

5 Ad excusandam contumaciam, & ad allegandas causas absentiæ, procurator admittitur. Decian. *crim. lib. 5. cap. 51. num. 16. & cap. 37. num. 50.* Peñ. *dict. comment. 36. num. etiam 139.* Farinac. *d. §. 7. num. 101.*

6 Procurator non admittitur vt per eum fiat purgatio canonica. Decian. *d. lib. 5. cap. 48. num. 44.* Farin. *d. hær. quæst. 194. §. 3. num. 43.*

CAPVT XXXII.

De curatore.

1 CVratorest, *qui curam gerit alicuius, defendendo ipsum à prætore, secundùm leges legitimè datas.* Sylvest. *verbo* Tutela. *in principio.*

2 Curator in hoc differt à tutore, quia tutor primariò datur personæ, secundariò rebus. Curator verò primariò rebus, secundariò personæ conceditur. Sylvest. *citato loco. vers.* Vnde differunt.

3 Si reus sit minor viginti quinque annis, datur ei curator, cuius authoritate & sit, & defendatur in iudicio. Si quid verò absque curatore cum minore gestum sit, ipso iure irritum est & nullum. Peñ. *ad 3. part. Direct. rubr. de defensionibus reorum. num. 117. com. 28.* Farinac. *crim. quæst. 81. cap. 10. num. 352.*

4 Loco curatoris sufficit procurator legitimus datus à iudice. Farinac. *d. cap. 10. num. 367.*

5 Vt minor stare possit in iudicio, & vt eius confessio etiam iurata & geminata sit valida, ex qua valeat condemnari, dandus est ei curator; quamuis habeat patrem, vel ipse sit paterfamilias. Anton. Gomez. *var. tom. 3. cap. 1. num. 64. vers.* Quod notabiliter extende. Farinac. *d. cap. 10. num. 354. & seqq. & num. 359. & seq.*

6 Requiritur etiam curator in negatione facta à minore, ex qua ipsi præiudicium aliquod sequatur. Farin. *d. cap. 10. num. 358.*

7 Probabilius ac tutius est in iis, quæ fiunt ad inquirendam veritatem, etiam per torturam, dandum esse curatorem pupillo. *Vid.* Clar. *§. fin. quæst. 55. vers.* Vlterius. Farin. *d. cap. 10. num. 363. & seq.*

8 Authoritas curatoris non opus est quòd interueniat in examine & interrogatoriis minori faciendis; sed sufficit quòd interueniat in iuramento. Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 65. vers.* Quo casu curator. Farin. *d. cap. 10. num. 365.*

9 Quando minor, dummodo sit præsens, ob contumaciam habetur pro confesso, quæ dicitur confessio ficta, non opus est quòd interueniat authoritas curatoris. Farin. *d. cap. 10. num. 366. & quæst. 11. num. 30. vers.* Nec verum credo.

10 Confessio minoris, etiam interueniente curatoris authoritate, non valet, si curator statim quòd deputatur, sine vlla causæ cognitione authoritatem interponit. Farinac. *d. cap. 10. num. 361.*

11 Vt minor testimonium ferat in causa fidei, non indiget authoritate curatoris, sicut etiam in crimine læsæ maiestatis, & aliis delictis. *Vid.* Farinac. *crimin. quæst. 58. num. 24. & quæst. 81. cap. 10. num.*

10. *num.* 369. *& de hære. quæst.* 188. §. 4. *num.* 76. *vers.* Ampla 5.

CAPVT XXXIII.

De restitutione in integrum.

1 REstitutio in integrum est *in pristinum statum* (in quo quis erat ante læsionem) *repositio*. Marant. *de ordine iudic. part.* 6. *versic.* Et quandoque appellatur. *num.* 77.

2 Minori aduersus suam confessionem, etiam iuratam & ratificatam, & cum tutoris authoritate factam, conceditur restitutio in integrum. Ant. Gom. *var. tom.* 3. *cap.* 1. *num.* 66. Farin. *quæst.* 81. *cap.* 10. *num.* 374. 379. *& seq.* quando ex sola confessione delictum plenè conuincitur; vel quia nullæ præcesserunt probationes, vel non sufficientes.

3 In delictis atrocibus controuersum est, an minori aduersus suam confessionem competat restitutio. Placet pars negatiua, maximè in atrocissimis. Anton. Gomez. *d. num.* 66. Clar. §. *finali. quæst.* 60. *num.* 4. Rojas *singul.* 131. Molin. *Iocius de iust. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 36. *num.* 4. *Vide* Farin. *d. cap.* 10. *num.* 383.

4 An restitutio concedenda sit minori aduersus suam confessionem, iudicis arbitrio relinquitur, secundum probabilem sententiam. Tunc iudex restitutionem concedet, quando minor confessus fuerit simplicitate, tormentorum vel carceris metu, dolo aut blanditiis; secùs autem si patrati criminis con-

scientia confiteatur. Oddus *de rest. in integ. part. 2. quæst. 65. art. 9. num.* 8. Farin. *d. cap.* 10. *num.* 388.

5 Vt minor aduersus suam confessionem restituatur, requiri læsionis vel erroris saltem semiplenam probationem probabilius existimo. Ant. Gom. *d. cap.* 1. *num.* 66. *vers.* Sed his nonobstantibus. Clar. *d. quæst.* 60. Alios refert Farina. *d. cap.* 10. *num.* 378.

6 Si delictum aliàs sit probatum, non erit restituendus minor contra suam confessionem, cùm faciat id quod quilibet vir probus facere tenetur. Oddus *d. quæst.* 65. *num.* 15. & 17.

7 Quando minor, ostensa sibi à iudice competente semiplena delicti probatione, confitetur, non est restituendus, eò quòd facit illud ad quod tenebatur ex iustitia. *S.* Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. & 2. *vbi* Caiet. Molin. *socius. d. disp* 36. *num.* 4. Et quod legitimè factum fuit, retractari nequit. *L.* In ambiguis. §. Non est nouum. *ff. de reg. iur. cap.* Factum legitimè. *eodem titulo lib.* 6.

8 In crimine hæresis non competere minori restitutionem in integrum aduersus suam confessionem, ex eo quòd sit crimen atrocissimum, tradit Rojas *d. singul.* 131. Qui tamen in atrocissimis aduersus suam confessionem minori restitutionem concedit. Verũ non video cur ab hac regula hæresim excipiat.

9 Probato aliquo facto ex quo hæresis præsumitur, si minor iuridicè interrogatus de intentione hæresim fatetur, non est illi concedenda restitutio, ex fundamentis *num.* 6 & 7. adductis.

10 Minor potest probare errorem suæ confessionis intra quatuor annos, etiam post negotium per sententiam diffinitum.

11 Si

11 Si minor post concessam sibi restitutionem aduersus suam confessionem, iterum iuridicè interrogatus fateatur, siue sponte siue per torturam, non est ei concedenda alia restitutio. Anton. Gom. *d. cap. 1. num. 66. vers.* Sed adhuc tenendo istam partem. Farin. *d. c. 10. num.* 390.

CAPVT XXXIV.

De exceptionibus.

1 EXceptio est *defensio, quæ reo competit contra actionẽ quæ est in eum.* Et dicitur quasi actionis exclusio. Sylvest. *verbo* Exceptio. *l. 2. vbi* Doctores *ff. de excep.*

2 In crimine hæresis admittuntur exceptiones, tàm contra testes quàm contra Inquisitores & Episcopos. Peñ. *2. part. Direct. comment.* 30 *vers.* Cæterum. Farinac. *de hæresi quæst.* 185. §. 15. *num.* 236. *& seqq.*

3 Exceptiones friuolæ, quæ probatæ non prosunt, admittendæ non sunt. *L.* Ad probationem 21. *vbi* Doctores. C. *de probat. cap.* Inter monasterium. *vbi* Abb. *num.* 15. *de sentent. & re iudic.*

4 Exceptiones, quæ probatæ releuant excipientem, legitimæ reputantur & admittendæ sunt. Glossa 1. *& ibi* Abb. *num.* 2. *in cap.* Super eo *de appellat.*

5 Ad recusandum & repellendum Inquisitores, non quælibet causæ sufficientes sunt, sed solùm capitales aut graues inimicitiæ, vel illud ex quo tales inimicitiæ facilè oriuntur. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr.*

de recusat. Inquisit. num. 120. *vbi* Peñ. *comment.* 30. Farí. *de hæresi quæst.* 185. §. 15. *num.* 238.

6 Exceptio de incompetentia iudicis, & defectu iurisdictionis, opponi potest in crimine hæresis. Decian. *crim. lib.* 5 *cap.* 37. *num.* 51. Farinac. *de hæresi quæst.* 197. §. 3. *num.* 81.

7 De exceptionibus contra Inquisitorem iudicare debet supremus Inquisitor, interim tamen non procedat in causa, sed ad superiorem remittat recusationis causas, vt quid faciendum sit, determinet. Si autem collegam habuerit, collega ipse interim, quandiu causa non determinatur, in ipsa procedat. Peñ. *d. comment.* 30.

8 Exceptiones', quæ testes omnino repellunt, sunt conspirationes capitales, aut graues inimicitiæ: quæ verò tales non sunt, minuunt solùm de fide, magis vel minus pro inimicitiæ qualitate. Eymer. 3. *part. rubr. de defensione reorum. num.* 118. *vbi* Peñ. *com.* 28. Farin. *de hær. quæst.* 185. §. 15. *num.* 236. *& seqq.*

9 Aliæ exceptiones contra testes, vt quòd sint hæretici, periuri, infames, socij criminis, criminosi, & similes, non repellunt illos in totum; de eorum tamen credulitate nonnihil diminuunt. Eymer. *&* Peñ. *proximè citatis locis.*

10 Exceptio rei iudicatæ, quando nouæ probationes, aut noua indicia non superuoniunt, reusque fuit sufficienter ac plenè punitus; recipi debet.

11 Causæ ex quibus oriuntur inimicitiæ graues & capitales, multæ assignantur à Doctoribus. Prima, si quis voluit occidere eum, contra quem testificatur. Secunda, qui interfecit consanguineum eius, aut dedit operam vt interficeretur. Tertia, qui de occidendo

dendo minas iecit, si potens sit, aut eas executioni mandare solitus. Quarta, insidiæ paratæ circa vitam alterius siue testis, siue rei. Quinta, accusatio de crimine capitali, aut ex quo probato sequitur amputatio membri, infamia, publicatio omnium aut maioris vel magnæ partis bonorum, aut exilium. Sexta, depositio in causa criminali contra aliquem. Septima, carceratio, quæ non fit ex officio, sed ad instantiam partis. Octaua, prolatio iniuriarum: vt appellare virum coniugatum cornutum; vxorem eius meretricem; hominem honestum, ebrium; religiosum, apostatam; Ecclesiasticum, simoniacum; aduocatum, impostorem; procuratorem, cauillatorem; iudicem, acceptatorem personarum; tabellionem, falsarium; mercatorem, pecuniam tondentem, & similia: consideratis tamen personis, inter quas huiusmodi conuitia sunt prolata. Et si quis alteri moueat quæstionem status, asserens quòd sit libertus, aut seruus, aut item si moueat quæstionem de omnibus, aut de maiori, vel magna parte bonorum, de spoliatione, aut perditione vnius magnæ rei. Item, cùm quis offendit aliquem in persona, vel in facie percussit. Qui multo tempore fuit inimicus, & recenter sit reconciliatus: nam si reconciliatio sit antiqua & bene fundata, non repellit à testificando: nec similiter inimicitia procurata in fraudem, ne alius testimonium dicat. Item, descendens ab inimico capitali, & qui cum eo commoratur aut inimicitiam contrahit, vel qui sunt de aliqua familia alteri familiæ contraria. Hæc etiam iudicio Inquisitorum pônderanda sunt. Peñ. 3. p. *Direct. ad quæst.* 67. *comment.* 116. *vers.* Prima ergo. *& seqq.*

12 Ad probandas exceptiones in causis, non sunt admit-

admittendi consanguinei intra quartum gradum. Simanch. *cathol. tit.* 64. *num.* 86. Idem de affinibus intra eundem gradum dicendum est.

CAPVT XXXV.

De appellatione.

1 Appellatio (quæ inter defensionis species numeratur) *est à minori iudice ad maiorem prætextu iniquitatis primæ sententiæ prouocatio. L.* Præfecti. *ff. minor.* Host. *in sum. tit. de appella.* §. Quid sit appellatio. Sylvest. *verbo* Appellatio. *num.* .

2 In causis hæreticorum, credentium, fautorum, defensorum, ac receptatorum eorumdem, non admittitur appellatio à diffinitiua sententia. *Cap.* Vt Inquisitionis. *vers.* Non obstantibus appellationibus. Eymeric. *3. part. Direct. rubr. de appellat. num.* 121. *vbi* Peñ. *comment.* 31. Farinac. *de hæres quæst.* 185. §. 15. *num.* 227. *& seqq.*

3 A diffinitiua sententia non licet hæredibus hæreticorum appellare, nisi reus condemnatus fuerit ex præsumptionibus, vtpotè quia obiit antequam condemnaretur, nec dum vixit confessus fuit, aut conuictus. Farinac. *dict.* §. 15. *num.* 230.

4 A sententiis interlocutoriis Inquisitorum prouocari reis licet, vbi se grauari indebitè senserint. Eymeric. & Peñ. *citatis locis.* Farinac. *dict.* §. 15. *num.* 232.

5 In appellatione à sententia interlocutoria exprimi debet grauamen, à quo appellatur, & causa per quam

quam dictum impugnatur grauamen, nec sufficit ad validitatem appellationis, vel simpliciter appellare, vel causam in genere tantùm exprimere, nisi ex tenore appellationis concludatur euidenter appellantem fuisse grauatum. Peñ. *d. comment. 31. vers.* Num autem.

6 Appellare licet à decreto torturæ, & à comminatione illius. Si appellatio sit friuola, ad executionem torturæ procedendum est, in dubio autem appellationi defertur, & executio suspenditur. Simanch. *in Enchiridio tit. 52. num. 11. & tit. 65. num. 2.* Eymer. & Peñ. *vbi suprà* Farin. *d. §. 15. num. 235. & seq. & quæst. 38. num. 10. & seqq.*

7 Stante legitima appellatione à decreto torturæ, si iudex ad illam procedat, & reus confiteatur, talis confessio erit inualida. Farin. *d. quæst. 38. num. 17.*

8 Ab Inquisitore religioso non appellatur ad Prouincialem vel Generalem Ordinis, sed ad Papam, aut Inquisitorem generalem. Eymeric. *num. 126. vbi* Peñ. *d. comment. 31. vers.* Verum propter. *& seqq.*

9 Post appellationem dandæ sunt literæ ab eo Inquisitore à quo appellatur ad illum, ad quem appellatio fit, quæ literæ dimissoriæ, seu apostoli dicuntur. Si dentur apostoli refutatorij seu negatiui, debet Inquisitor exprimere causam, ob quam appellationem refutat. Si dentur affirmatiui seu reuerentiales, transmittendus est reus cum processu & idoneis custodibus ne fugiat: vel potius mittenda est summaria informatio ad Summum Pontificem, aut ad supremos Inquisitores, vt ipsi de reo iudicent. Eymer. *num. 134. & seqq. vbi* Peñ. *d. comment. 31. vers.* Exhibeat appellanti. *& seqq.*

10 Si

10 Si Inquisitor deferat appellationi, & concedat apostolos affirmatiuos, desinit in ea causa esse iudex, non tamen suspenditur eius iurisdictio, quantùm ad illa quæ tendunt in faciliorem exitum appellationis; & sic potest assignare terminum appellationis, & apostolos concedere. *Cap.* Cùm appellationibus. §. Si verò iudex. *de appellat. in 6.* Eymeric. *num.* 127. *vbi* Peñ. *d. comment.* 31. *verf.* Attendat. *& seqq.*

11 Si post appellationem aliud crimen, præsertim graue, etiam hæresis, Inquisitori deferatur, ipsa appellatione non obstante, potest circa illud contra appellantem procedere. Si tamen causa grauissima non sit, tutius est non procedere, & superioris responsum expectare. Peñ. *d. comment.* 31. *verf.* Si autem Inquisitor. *& seq.*

12 Appellatione interposita, nihil nouari oportet, siue recepta sit, siue non, antequam de illa pronuntietur. *l.* 1. *ff.* Nihil nouari appellatione interposita. Peñ. *d. comment.* 31. *num.* 122.

13 Appellationes friuolæ, frustratoriæ & moratoriæ admittendæ non sunt. *Cap.* Cum appellationibus. *de appellat in 6.* Eymer. *num.* 123. *vbi* Peñ. *d. com.* 31. Farinac. *d.* §. 15. *num.* 229.

14 Friuola appellatio illa censeri debet, quæ nec iustam causam, nec iuri consonam, aut idoneam affert. Peñ. *d. com.* 31. *verf.* Quod verò.

15 Friuola etiam est appellatio, quando nulla causa fuit expressa, aut quando non fuit legitima, dato quòd esset vera, aut quando fuit manifestè falsa, licèt esset legitima, aut quando iam erat pronunciatum illam esse falsam, & non fuit appellatum. Glossa *fin. in Clem. vnica. de dolo & contum.* Comens. *in Lucer. Inquisit.*

Inquisit. verbo Appellatio. *n. 6. vers.* Quartum decimũ.

16 Tunc admittenda est appellatio, quando dubium est, an indicia ad torturam sint sufficientia; si tamen legitima reputentur, admittenda non est. Peñ. *d. com. 31. vers.* Quæ autem.

17 Vt appellatio ante diffinitiuam sententiam sit valida, requiritur grauaminis illati vera & legitima causa; quòd sit expressa, quòd non fuit admissa sua petitio, & quòd ideo appellatum sit; quòd fiat in scriptis, quòd petantur apostoli, ac etiam quòd appelletur infra decem dies. Archid. *in cap.* Non ita. 2. *quæst. 6.* Comens. *d. num. 6. vers.* Quartum.

18 Elapso termino ab Inquisitore præfinito ad prosequendam appellationem, si appellans non prosequatur illam, aut non compareat, vel apostolos non petat, videtur renuntiare, & Inquisitor procedat in causa. Glossa *in cap.* Personas. *verbo* Ex tunc. *de appell.* Comens. *d. num. 6. vers.* Vigesimum secundum.

19 Si Inquisitor dubitat an causa appellationis sit probabilis, extraiudicialiter se informet. Glossa *in cap.* Ad Romanam. 1. *quæst. 6.* Comens. *d. num. 6. vers.* Sextum decimum.

20 Illa causa dicitur probabilis, quæ si foret probata, deberet legitima reputari. *Cap.* Vt debitus. §. Cùm autem. *de confirmat.* Comens. *d. num. 6. vers.* Decimum septimum.

21 Qui exponit causam probabilem, debet se offerre illam probaturum oblatione reali, adhibendo testes: si autem simpliciter allegat, videtur id quasi malicioſe fecisse. Glossa 3. *in cap.* Interposita. *de appell. vbi* Panorm. *in principio*, Comens. *d. num. 6. vers.* Decimum octauum.

22 Appel-

22 Appellatio interposita ab interlocutoria, expressa vna causa cum protestatione de aliis exponendis, non potest postea per alias exprimendas iustificari; quia talis protestatio non valet nec tenet. Cardin. Alexand. *in cap.* Constitutis. 2. *de appellat. in quinto notab.* Comens. *d. num. 6. verf.* Vigesimum.

23 Appellatio dicitur frustratoria ratione formæ, quia non fuit facta in scriptis, iuxta *cap.* Cordi. *de appellat. in 6.* vel ratione materiæ, quia peccat in materia, eò quòd non continet iniustitiam aut falsitatem causæ. In primo casu, si iudex procedit in causa, non dando apostolos, processus est validus. In secundo verò, si procedat non dando apostolos, cùm congruo loco & tempore petuntur, processus est nullus. *Cap.* Vt super. *eod. tit. in 6* Comens. *verf.* Vigesimum nonum.

24 Appellans cogitur recedere ab appellatione legitima, quando iudex reuocat grauamen. *Cap.* Cum cessante. *de appellat. cap.* Si à iudice. *eod. tit. lib. 6.* Comens. *d. num. 6. verf.* Secundum.

25 Iudex volens reuocare grauamen, & corrigere errorem suum, sine ipsius præiudicio & suæ iurisdictionis, debet dicere: Ego si in aliquo te grauaui, illud reuoco. *Vide* Panorm. *in dict. cap.* Cum cessante. *in principio.*

CAPVT XXXVI.

De sententia.

1 SEntentia est *applicatio iuris ad particulare factum ab habente iurisdictionem.* Ità Sylu. *verbo.* Senten-

Sententia *in princip. Ex S.* Thom. *in 4. dist. 35.* Seu est *iudicantis præceptum non naturæ, non iuri, non bonis moribus contrarium.*

2 Sententia sic diffinita diuiditur in interlocutoriam, & diffinitiuam. Interlocutoria est, *qua non super principali, sed super aliis quæstionibus profertur inter principium causæ & finem.* Diffinitiua est, *qua principalis quæstio decidituv.* Sylu. *num. 3. & 4.*

3 In crimine hæresis requiritur sententia: nec hæreticus, nisi præcedente sententia, puniri potest. *Cap. fin.* §. Iubemus. *de hær. in 6.* Farin. *de hær. quæst. 185.* §. *10. num. 162.*

4 Sententia in causa hæresis non est ferenda, cùm per canones sit lata, sed est declaratoria facti. Comens. *in Lucerna Inquisit. verbo.* Sententia. *num. 1.* Farin. *d.* §. *10. num. 168.*

5 In huiusmodi sententiis declaratoriis explicandum est, quòd talis tale crimen commisit, ratione cuius talem incurrit pœnam; & sic non dicitur in eas Excommunicamus aut priuamus; sed Excommunicatum, vel priuatum declaramus. Decian. *crim. lib. 5. cap. 38. num. 15.* Farin. *d.* §. *10. num. 164.*

6 Sententia contra inquisitos de hæresi ferri debet in die, & non in nocte, nisi Inquisitores agendorum multitudine fuerint occupati. In scriptis etiam redigenda est; aliter non valet, siue finalis siue interlocutoria sit, estque in publico legenda: non tamen opus est, vt pro tribunali sedeant Inquisitores. Peñ. *3. part. Direct. comment. 40. vers.* Præterea, *& seqq.* Farin. *d.* §. *10. num. 163. & seqq.* Comens. *in Lucerna verbo* Sententia. *num. 9.*

7 Sententia Inquisitorum, etiam per alios pro-

ad.

ferri & recitari potest. Peñ. *d. comment.* 40. *num.* 164. *vers.* Et quamquam. Farinac. *d.* §. 10. *num.* 170.

8 Sententia Inquisitorum debet statim sine dilatione, nulla data processus copia per iudicem secularem executioni mandari & reos sibi relictos per se vel per alios recipere, ac debita animaduersione indilatè punire. Si autem prædictam sententiam directe vel indirectè impedire præsumpserit, ipso facto tamquam fautor hæreticorum excommunicatur. Comens. *in Lucerna verbo.* Executio. *num.* 1. 2. *&* 3. Peñ. 3. *part. Direct. num.* 210. *comment.* 48. *vers.* Sed cùm Inquisitor.

9 Quando qualitas negotij id postulauerit, non debent Inquisitores absque peritorum consilio sententiam proferre. An autem habeant votum solummodò consultiuum, an etiam decisiuum, controuertitur. Cuiuscumque Inquisitionis stylus seruetur. In nostra Lusitania votum habent decisiuum. Farin. *d. quæst.* 185. §. 12.

10 Discordantibus peritis, ita vt in partes æquales eorum opiniones diuidantur, consulenda est Sedes Apostolica, aut supremum Inquisitionis Tribunal. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 10. Farinac. *d.* §. 12. *num.* 191.

11 Præparatoria iudicia tractari ab Inquisitoribus debent, secundùm cuiusque Inquisitionis stylum. Sic de iudicio absolutè Panorm. *in cap.* 1. *de const. num.* 3. *& in cap.* Quod clericis, *de foro compet. num.* 10. Mart. *de iurisdict. part.* 4. *cent.* 1. *casu* 5. *num.* 19.

12 In causis contra fidem iudicare debent Inquisitores secundùm leges Ecclesiasticas; quia crimina contra fidem ad forum Ecclesiasticum pertinent priua-

priuatiuè. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 60. *art.* 6. *ad* 3. *vbi expositores.* Ledesm. *in Sum. tom.* 2. *tract.* 8. *cap.* 22. *conclus.* 16. *dub.* 3.

13 Si leges ciuiles, & Imperiales approbatæ sint à Summis Pontificibus, secundùm illas iudicare possunt Inquisitores. Peñ. *disp. de authorit. literarum Apostolicarum. num.* 4. Farinac. *de hæresi quæst.* 185. §. 1. *num.* 4. Mart. *d. cent.* 1. *num.* 43. *& casu* 50. *num.* 3.

14 Quando in aliquo casu deficit determinatio iuris Canonici, aut res secundùm ius Canonicum est dubia; decisa verò in iure ciuili, ius ciuile sequendum est in ferenda sententia. Panormit. *in cap.* 1. *de noui oper. nuntiat. num.* 6. Mart. *de iurisd. part.* 4. *cent.* 2. *casu* 19. *num.* 1.

15 Inquisitor nullo modo potest condemnare illum, quem certò nouit esse criminosum, si iuridicè talis non probetur; quia priuata notitia iudicis non est sufficiens testimonium in iudicio. *Cap.* Si sacerdos. *de officio iud. ord.*

16 Si innocens probetur nocens, tenetur Inquisitor aliqua via licita illum liberare; vt examinando de nouo testes separatim, admonendo vt à falsa testificatione desistant, causam illam differendo, ostendendo innocenti viam, qua se defendat, & si est iudex inferior, remittat causam ad superiorem. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *& quæst.* 67. *art.* 2. *vbi* Caietan. Aragon. Salon. *& alij.* Soto *de iust. lib.* 5. *quæst.* 4. *art.* 2.

17 Si Inquisitor nullo modo possit innocentem liberare, & cogatur sententiam proferre, debet iudicare secundùm allegata, & probata. S. Thom. *d. quæst.* 67. *art.* 2. *& alij proximè relati* Doctores.

18 Facta omni morali diligentia, vt innocens li-

beretur, non tenetur Inquisitor cedere officio suo; cùm nulla sit lex, aut iustitiæ aut charitatis, quæ ad hoc obliget.

19 Si ex parte iudicum sint opiniones circa modum procedendi, in præparatione iudicij & causæ possunt Inquisitor & alij iudices sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori; quamuis ipsi probabiliorem teneant. Vasquez 1.2. *quæst.* 19 *art.* 6. *disp.* 64. *cap.* 2. Sanch. *de præcept. decalog. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 43.

20 Quando ex parte iuris sunt diuersæ opiniones, probabilius est teneri Inquisitores & alios iudices sequi opinionem probabiliorem. Bañ. 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 4. *dubio* 1. *circa solutionem ad* 2. Ledesm. 2. 4. *quæst.* 54. *art.* 6. *fol.* 472. *fin.* Sanch. *d. cap.* 9. *num.* 4.

21 Quando duæ opiniones ex parte iuris sunt æquè probabiles, illam sequi debent Inquisitores, & quicumque iudices in criminalibus inferendo sententiam, quæ magis fauet reo; cùm in dubio ipsi fauendum sit. *Regul.* 2. *de regulis iuris in* 6. *vbi* Dynus.

22 Si ex parte facti, secundùm quod probatur, detur æquale dubium, absoluendus est reus. Boer. *in addit. ad* Dynum. *d. reg.* 11. *lit.* A.

23 In determinando qualitatem culpæ contra fidem, anteponenda est opinio Theologorum opinioni Canonistarum. In processando causam & imponendo pœnam, Canonistarum opinio præfertur. Azor *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 17. *quæst.* 3.

24 Quando occurrit dubium circa leges, & statuta contra hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, possunt Inquisitores illud interpretari. Eymer. 3. *part. Direct. q.* 85. Peñ. *com.* 134.

25 In

25 In sententia condemnatoria exprimendus est specialis error, de quo reus notatur, ac etiam diligens criminis inuestigatio: vt citationes, admonitiones, confessiones, probationes legitimæ, inducię ad pœnitendum competentes, obduratus in erroribus animus rei, & reliqua, quæ ad iustum processum conficiendum requiruntur. Peñ. *3. part. Direct. commen.* 40. *vers.* Postremò.

26 Apponi etiam debet in sententia contra hæreticum pœnitentem, quòd fuit in tali hęresi per tantum tempus Eymeric. *3. part. Direct. num.* 190. *vbi* Peñ. *comment.* 44.

27 Non est reus publicè interrogandus, an crimina publicata in sententia commiserit. Eymeric. & Peñ. *proximè citato loco. versic.* Interrogabit eum.

28 Citetur reus ad audiendam sententiam quam audiat stando, & nudo capite. Peñ. *d. comment.* 40. *vers.* Rursus.

29 Sententia superioris, etiam iniusta, mandari debet executioni per inferiorem, nisi in executione contineatur aliquod peccatum. *cap.* Pastoralis. §. Quia verò *de offic. iud. deleg.*

30 Sententia Papæ, & eorum qui legem condere possunt, vim habet legis. *Cap.* In causis. *ae sentent. & re iudic.*

31 Sententia etiam diffinitiua Inquisitorum in causa fidei non transit in rem iudicatam, & semel absolutus, potest iterum processari & iudicari, & priora testimonia vim suam integram conseruabunt, & cum his quæ superuenerint, coniungi poterunt, ad faciendam plenam probationem. Eymeric. *3. par. rub. de primo modo terminandi processum. num.* 141. *vbi* Peñ. *comm.*

37.& ad quæst.43.comment. 92.vers. Quod si fortassis. Farinac.*de hær.quæst.*185.§.13.*num.*197.*& quæst.* 197. §.1. *num.*28.

CAPVT XXXVII.

De reo absoluendo.

1 Absoluitur reus per sententiam, quando totaliter inuenitur immunis ab eo crimine, quod ei opponebatur, vt si non conuincatur, nec confessione propria, nec facti euidentia, nec testium productione legitima, nec aliàs suspectus, vel publicè diffamatus de prædicto crimine reperitur. Eymer.*3.p. Direct. rubr.de primo modo terminandi processum.nu.*141.

2 Posse Inquisitorem & Episcopum separatim absolutoriam sententiam proferre, probabilius videtur in rigore iuris; tutius tamen est, vt simul eam proferant. Eymer.*d.num.*141.*& d.3.par.quæst.* 48.*vbi* Peñ. *comment.* 97.

3 Licèt regulariter nullus sit in crimine hæresis absoluendus tamquam innocens, sed solùm ob non probatam hæresim, seu ab instantia iudicij; si tamen ex falsitate testium, aut aliàs constet reum esse innocentem, vt innocens pronunciari debet. Peñ. 3. *part. comment.*37. Farin.*de hær. quæst.* 185.§. 10. *num.* 172. *& sequenti.*

4 Quando in crimine hæresis reus absoluitur ob non probatum delictum, tale delictum non est exprimendum in sententia. Peñ.*d. comment.* 37. Farinac. *d.*§.10.*num.*175.

5 De-

5 Defunctus etiam ob defectum probationis absolutus, si nouæ adsint probationes, accusari de nouo potest. Simanch. *cathol. tit.* 18. *num.* 20. Farin. *d.* §. 13. *num.* 200.

6 *Si* reus propter præcedentes probationes vehementem hæresis suspicionem abiurauit, & nouæ probationes aduenient circa hæreticos actus ante sententiam commissos, procedi debet contra illum, ac si lata sententia non esset, & coniungantur probationes. Doctores *citati cap. præced. num.* 31.

7 Abiurata vehementi hæresis suspicione, si dentur nouæ probationes non plenè conuincentes nouorum lapsuum post dictam abiurationem commissorum, de iuris rigore tales probationes coniungi possunt cum præcedentibus ad vnam constituendam probationem, cùm sententia non transeat in rem iudicatam. Hactenus tamen hoc practicari non vidi.

8 Condemnatus propter hæresim aut suspicionem illius in pœnam arbitrariam ex defectu probationis, si plena probatio superuenerit, puniri debet pœna ordinaria, dummodo prima pœna adimpleta non fuerit; si autem adimpleta sit, compensetur in secunda. Rojas *de hær. par.* 2. *assert.* 50. *num.* 391. *& seq.* Farin. *d.* §. 13. *num.* 199. *& quæst.* 4. *num.* 10 *tom.* 1.

9 In dicto casu, quando reus fuit insufficienter punitus ob defectum probationis, si probationes superuenientes sint plenæ, & pœna ordinaria delicti sit capitalis, prima pœna etsi corporalis, non minuet secundam, nec secunda compensatur cum prima: sed tota ordinaria imponi potest, attenta qualitate delicti, personæ, loci & temporis; cùm talis pœna diuisibilis non sit. Marant. *in praxi tit. de Inquisit. num.* 101.

Farinac. *d. quæst. 4. num. 10. vers.* Sed ad prædicta.

10 Absolutus in foro conscientiæ, adhuc potest in iudiciali puniri, nisi absolutio facta fuerit à Summo Pōtifice, siue per modum gratiæ, siue dispensationis, dummodo pœnitētiam impositam, vel conditiones dispensationis adimpleuerit. Simanc. *cathol. tit. 3. num. 5.* Peñ. *2. p. Direct. comment. 25. vers.* Item quæritur. Farinac. *d. §. 13. num. 201. & seqq.*

11 Confessarij fides, quòd pœnitens humiliter acceptauit pœnitentiam sibi iniunctam & rectè illam adimpleuit, non excusat illum à iudicio externo; prodest tamen, vt mitius cum eo agatur. Peñ. d. *comment. 25. vers.* Breui ergo. Farinac *d. §. 13. num. 106. & seqq.*

12 Inquisitores non tenentur credere confessariis asserentibus aliquem esse innocentem, vt recedant ab his, quæ in contrarium probata sunt. Peñ. *d. comment. 25. vers.* Atque in hoc *& seqq.*

13 Absolutus per sententiam nullam, aut à iudice non suo, potest iterum accusari & puniri. *Cap.* Ex tuarum. *vbi* Glossa *verbo* Non putantes. *cap.* Cum dilectis. *de purg. canon.*

CAPVT XXXVIII.

De purgatione canonica per sententiam imponenda.

1 PVrgatio canonica est *de crimine obiecto innocentiæ ostentatio, secundùm formam à iure præscriptam.* Simanch. *cathol. tit. 56. num. 3.* Peñ. *2. part. Direct.*

*Direct.comment.*14. *ad cap.* Inter solicitudines. *de purgat. canon.* Farinac. *de hæresi quæst.* 194.§.3.*num.*39.

2 Quando aliquis in prouincia, ciuitate, vel oppido est solummodo diffamatus de hæresi, nec conuincitur propria confessione, facti euidentia, testium productione legitima, nec aliqua alia indicia contra eum probantur, indicenda est ei canonica purgatio: quæ tamen in aliis criminibus in vsu non est. Eymeric. 3.*part. Direct.rubr. de secundo modo terminandi processum. num.* 144. *vbi* Peñ. *comment.* 38. Farinac. *d.* §.3.*num.*64.

3 Purgatio canonica fit per iuramentum purgati, quo iurat talem hæresin numquam tenuisse, & iuramentum compurgatorum, qui etiam iurant se credere verè iurasse purgatum. Eymeric. *dict. rubr. num.* 149. Peñ. 2.*part.Direct.comment.*14.Farinac.*dict.quæst.* 194. §. 4.

4 Compurgatores plures vel pauciores esse debent secundùm qualitatem infamiæ, & numerum locorum in quibus reus fuit diffamatus. Compurgatores sint viri catholici ac probatæ vitæ, eiusdem status, saltem in genere, cum reo, & qui ab antiquo tempore illum nouerint. Eymer. *d.rubr.num.* 149.*vbi* Peñ *d.comment.*38.*&* 2.*part.Direct.comment.*14. Farin. *d.*§.4.*num.*66.

5 Ad purgationem indicendam sufficit sola suspicio, dummodo sit probabilis, ex qua oriatur scandalum. Peñ.*d.comment.*38.Farin.*d.quæst.*194. §.3. *num.* 37.*& seqq.& quæst.*187.§.5.*num.*55.

6 Vltra purgationem canonicam potest etiam suspecto de hæresi iniungi alia pœnitentia, quando purgatio non fuerit omnino perfecta, & ablata infa-

mia: vt abiuratio, suspensio, vel solutio pecuniæ. Peñ. *d. 2. part. comment.* 14. Farinac. *dict. quæst.* 194. §. 3. *num.* 42.

7 Cùm purgatio tollat infamiam & infamiæ effectum, qui non deficit in purgatione, & propterea absoluitur, poterit ad omnes honores, dignitates & officia promoueri: nec poterit amplius molestari, nisi noua indicia superueniant. Peñ. *3. part. Direct. comm.* 38. *vers.* Hispalensi quadam. Decian. *crim. lib. 5. cap.* 48. *num.* 18. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 44.

8 Purgatio non indicitur in crimine notorio & probato, nec etiam quando per torturam fuit delata suspicio, eò quòd reus fuit sufficienter tortus. Eymer. *3. part. Direct. rubr. de tertio modo term. proces. num.* 157. *vbi* Peñ. *comment.* 39. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 57. *& seqq. & quæst.* 185. §. 8. *num.* 126 *& seqq.*

9 Non est omnibus æqualiter indicenda purgatio, sed maior vel minor, iuxta personæ & suspicionis qualitatem: quæ iudicis arbitrio relinquuntur. Peñ. 2. *part. Direct. com.* 14. Decian. *d. cap.* 48. *num.* 9. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 59. *& seqq.*

10 Qui in pluribus locis est diffamatus de hæresi, in omnibus satisfacere debet: in vno per purgationem, in aliis verò per prædicationem, laudando fidem publicè, ac detestando ei contraria. Eymeric. *rubr. de secundo modo terminandi processum. num.* 150. *vbi* Peñ. *comment.* 38. *& 2. part. d. comment.* 14.

11 Quamuis de rigore iuris probabilius fortè sit, posse Episcopum & Inquisitorem diuisim procedere ad canonicam purgationem indicendam, tutius est quòd simul concurrant. Peñ. *d. comm.* 38. *vers.* Hæc quidem.

11 Pur-

12 Purgatio canonica in occulto fiat coram solis Inquisitoribus & notario, nisi reus sit publicè diffamatus, tunc enim publica esse debet. Pen. *d.com.* 38. *vers.* Sed in hac difficultate.

13 Ad purgationem canonicam rarò deueniendum est, propter periculum, sed ad alia iuris remedia confugiendum. Pen 2. *p. Direct. com.* 14. *&* 3. *p. com.* 43. *num.* 181.

14 A decreto canonicæ purgationis indictæ, & à termino ad se purgandum præfixo, appellari licet. Pen. *d. com.* 38. Decian. *d. cap.* 38. *num.* 38. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 63.

15 Deficienti in purgatione canonica, vel nolenti se purgare, ea pœna imponitur, quæ imponenda foret, si conuinceretur, dummodo hoc faciat ex malitia: si autem ex negligentia, tunc vt infamis & bannitus ab omnibus habeatur, & insuper excommunicetur. Quòd si in excommunicatione per annum perseueret, vt hæreticus condemnetur. Farinac. *dict.* §. 3. *num.* 54.

16 Si quis leuiter de hæresi diffamatus se purgauit, etiam si in eamdem hæresim incidat, & de ea conuincatur, non erit vt relapsus curiæ seculari tradendus. Pen. *d. com.* 38. *vers.* Dixi autem.

17 Deficiens in purgatione, si pœniteat & misericordiam petat, admittendus est. Pen. 2. *p. Direct. com.* 14. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 55.

18 Ex familiaritate cum hæreticis oritur sinistra suspicio, ratione cuius purgatio canonica indicitur. Rojas *in singul. fidei singul.* 212. *num.* 3. *& singul.* 25. *num.* 3.

CAP.

CAPVT XXXIX.

De tortura reorum.

1 TOrmentum, seu tortura est *cruciatus, seu cruciatio, quæ aut eruendæ veritatis, aut criminis puniendi causa fieri solet.*

2 Quæstio est *veritatis indagatio per tormentum, seu torturam.* Panorm. *Cap.* Cùm in contemplatione. *de reg. iur.*

3 Tortura inferri non potest, legitimis non præcedentibus indiciis. Farinac. *quæst.* 37. *num.* 1. *& seq.*

4 Etiam non præcedentibus legitimis indiciis, si Inquisitor habeat vehementem opinionem contra reum, quamuis extra processum, potest eum verbaliter terrere, minando torturam, cùm hoc non sit torquere, nisi reus sit persona timida. Farin. *d. quæst.* 37. *num.* 102.

5 Confessio in tormento vel ad faciem tormenti facta, non præcedentibus legitimis indiciis prorsus est nulla, etiam si millies sit ratificata. Glossa *in lege penult. ff. de quæst.* Mascard *lib* 1. *concl.* 353. *& lib.* 3. *concl.* 1391. *num.* 5. Farin. *d. quæst.* 37. *num.* 110.

6 Quæ indicia ad torturam sufficiant, iudicis arbitrio relinquitur, qui iure & æquitate regulari tenetur Peñ. 3. *part. Direct. ad quæst.* 61. *comment.* 110. Mascard. *lib. quæst.* 15. *num.* 16. *& lib.* 3. *concl.* 1391. *num.* 18. Farinac. *d. quæst.* 37. *num.* 192. *& seqq. ac de hæresi quæst.* 185. §. 8. *num.* 140. *& seqq.*

7 Quamtumcumque reus sit indiciatus, torqueri non potest, nisi constet de corpore delicti. Peñ. *dict. com-*

comment. 110. Farinac. *quæst.* 38. *num.* 2. *& dict.* §. 8. *num.* 147.

8 Indicia remota per se sumpta, aliis non concurrentibus, ad torturam non sufficiunt. Peñ. *dict. comment.* 110.

9 Vt indicia dicantur legitima & sufficientia ad torturam inferendam, debent esse verisimilia, probabilia, non leuia aut perfunctoria; sed grauiora, vrgentia, certa, luce meridiana clariora, & apta ad plenè persuadendum, licèt non ad probandum. Mascard. *concl.* 1391. *num.* 20. Farin. *d. quæst.* 37. *num.* 3. *& seqq.*

10 Si in processu non probentur plena, & sufficientia indicia, non potest Inquisitor nec leuiter torquere reum, imò nec ducere illum ad locum tormenti, nec vestibus spoliare. Barth. *in l.* 1. §. Diuus Seuerus. *num.* 2. *ff. quæst.* Farin. *d. quæst.* 37. *num.* 104.

11 Ex violentis aut vehementibus indiciis, licèt sit vnum tantùm, deueniri potest ad torturam, etiam nulla infamia præcedente; vt religiosa seruatio reliquiarum combusti hæretici, dæmonum adoratio, & similia. Peñ. *d. comment.* 110.

12 In atrocissimis, præsertim si sint de genere occultorum, minora sufficiunt indicia ad torquendum, cùm etiam in illis licitum sit iudici iura transgredi, solemnitates non adhibere, & ordo sit ordinem non seruare. Mascard. *d. concl.* 1391. *num.* 13. *& seq.* Farin. *quæst.* 37. *num.* 85. *& seqq.*

13 In crimine sodomiæ minoribus præcedentibus indiciis torqueri potest reus; cùm crimen sit occultum & difficilis probationis. Farinac. *d. quæst.* 37. *num.* 150. *& seqq.*

14 Iuxta qualitatem indiciorum arbitrio Inquisitoris,

ſitoris, poteſt reus terreri, duci ad locum tormenti, veſtibus ſpoliari, aut leuiter torqueri.

15 Indicia ad torturam, abſolutè loquendo, debent in genere ſuo per duos teſtes probari. Maſcard. *concl.* 895. *num.* 2. Eymer. 3. *part. Direct. quæſt.* 61. *vbi* Peñ. *comment.* 110. Farinac. *d. quæſt.* 37. *num.* 13. *& ſeqq. & de hæreſi quæſt.* 185. § *num.* 145.

16 Indicium ad torturam ſi ſit proximum, vt quando deponitur de ſubſtantia delicti, probatur vnico teſte, ſi verò non ſit ita proximum, quamuis ſit valdè coniunctum, per duos teſtes probari debet. Farinac. *dict. quæſt.* 37. *num.* 13. *& ſequentibus, & num.* 54. *& ſeqq.*

17 Vnus teſtis omni exceptione maior deponens de facto cognito per viſum vel alium ſenſum corporeum, ita vt concludat, facit indicium ad torturam, niſi reus ſit talis famæ, contra quem vnus teſtis non faciat indicium, niſi aliis indiciis adiuuetur. Peñ. *dict. comment.* 110. Farinac. *d.* §. 8. *num* 129. *& ſeqq.*

18 Teſtes probantes huiuſmodi indicia, an debeant eſſe omni exceptione maiores, conteſtes, ac omnino integri, vt tortura inferatur, controuerti ſolet. *Vid.* Farinac. *dict. quæſt.* 37. *à num.* 18. *vſque ad* 42.

19 Si indicia ſint proxima aut valde coniuncta ipſi delicto, probari poſſunt teſtibus ſingularibus ad torturam inferendam, dummodo ſint idonei, & indicia ſint plura. Turrecrem. *in cap.* Nihilominus. 3. *quæſt.* 9. *col.* 2. Farinac. *d. quæſt.* 37. *num.* 38.

20 Indicia remota requirunt, vt probent ad torturam, conteſtationem duorum teſtium, aut plures ſingulares, qui deponant de illis, quæ tendunt in eumdem finem. Farin. *d. quæſt.* 37. *num.* 34. *& ſeqq.*

21 Si

21 Si contra reum sint sufficientia indicia ad torturam, & alia in contrarium innocentiæ ostensiua, non torqueatur reus, nisi contraria indicia nimis vrgeant. Menoch. *de præsumption. quæst.* 29. & 30. Farinac. *quæst.* 38. *num.* 110. & *seqq.*

22 Non potest reus torqueri, nisi dato competenti termino ad formandas defensiones, vna cum copia processus & indiciorum. Clar. *in praxi* §. *fin. quæst.* 49. *versic.* Et hoc adeo. Farin. *dict. quæst.* 38. *num.* 3. & *quæst.* 39. *à num.* 1. & *de hæret. quæst.* 185. §. 14. *num.* 213.

23 Tortura non inferatur diebus festiuis, nec repetatur in eodem die, sed interpolatis diebus. Farin. *d. quæst.* 38. *num.* 103. & 107.

24 Non inferatur etiam tempore quo reus comedit, sed expectetur saltem per nouem vel decem horas post comestionem. Clar. *d.* §. *fin. quæst.* 64. *verf.* Decreta torturæ. Farinac. *d. quæst.* 38. *num.* 32.

25 Iudex & in modo torquendi & in tempore, non immoderatè debet reum torquere, nec duret in tormento, nisi per horam ad summum, nec regulariter fiant plures quassationes seu ictus, quàm tres. Farin. *d. quæst.* 38. *num.* 52. & *seqq.* & *num.* 105.

26 Illa tormentorum genera debet iudex adhibere, quæ vsu prudenter iudicantium recepta sunt. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 39. *num.* 155. & *comment.* 110. *verf.* Qualia tormentorum.

27 Potest reus in crimine hæresis per ieiunia torqueri, ad eruendam veritatem, sed quia hoc torturæ genus non est in vsu adhibendum non est. Farina. *de hær. quæst.* 185. §. 8. *num.* 137. & *seqq.*

28 Non torquetur reus ad petitionem fisci ciuiliter

liter procedentis. Farin. *proximè citato loco.*

29 Si ex probationibus aut indiciis reus iudicatur conuictus, torqueri non potest super delicto, quia ad eruendam veritatem tortura infertur. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. De tertio modo terminandi processum. nu.* 151. *vbi* Peñ. *comment.* 39 *& comment.* 110. *num.* 2. *vers.* Primum ergo. *& seqq.* Farinac *d. quæst.* 38. *num.* 4. *& quæst.* 40. *num.* 3. *& sequentib. ac de hæresi quæst.* 185. §. 8. *num.* 121.

30 Non sunt omnes rei æqualiter torquendi, sed magis vel minus, secundum qualitatem personarum, delicti & indiciorum. Clar. *d.* §. *fin. quæst.* 64. *vers.* Nunc de gradibus. Farin. *d. quæst.* 38. *num.* 33. *& seqq.*

31 Reus de hæresi conuictus vel confessus torqueri potest pro habendis complicibus & authoribus, de quibus in specie vel in genere, secundùm qualitatem circunstantiarum, interrogari debet. Idem dicendum est de maleficis & mathematicis. Farinac. *d.* §. 8. *num.* 133. *& seqq. & quæst.* 43. *num.* 67.

32 In crimine hæresis nullus est priuilegiatus & exemptus à tortura. Ecclesiastici, nisi delicti enormitas id postulauerit, mitiùs torqueantur. Senes septuagenarij, & impubes, minores scilicet quatuordecim annorum, ob ætatis defectum non torquentur: leuiter tamen torqueri aut terreri possunt. Prægnans mulier nec terreri debet, sed expectandum est donec pariat, nec tunc torqueatur nisi post quadraginta dies. Neque etiam torqueatur mulier lactans, quãdo nulla alia reperitur nutrix. Peñ. *d. comm.* 110. *vers.* Quod autem. *& seq. & com.* 39 *num.* 156. *vers.* Scio quæsitum. Farinac. *quæst.* 41. *d.* §. 8. *num.* 125.

33 Tortura illata super qualitatibus delicti, aut

super

super sociis, moderata esse debet. Clar. *d. §. fin. quæst. 64. vers.* Veritas est. Farin. *d. quæst. 40. num. 27.*

34 Tormentum regulariter repeti non debet, nisi nouis superuenientibus indiciis fortioribus primis, ac diuersi generis: si tamen priora indicia vrgentissima fuerint, & reus insufficienter tortus, repeti licet in tormentis. Peñ. *3. part. Direct. dict. comment. 39. num. 156.*

35 Quando reus fuit insufficienter tortus, si tamen sit robustus, multum facinorosus, indiciaque nimis vrgeant ac sint manifesta, sine nouis indiciis repeti potest in tormentis, iuxta consuetudinem approbatam: hoc tamen rarò vel nunquam fiat. Peñ. *d. com. 39. vers.* Secunda regula.

36 Si repetatur seu potius continuetur tormentum, donec reus qui leuiter fuit tortus, sufficienter torqueatur, à notario scribendum est, quod reus deponitur, vt iterum torqueatur. Peñ. *d. comm. 39. versic.* Sit ergo.

37 Tunc reus dicitur sufficienter tortus, quando rigor tormenti illati commensuratur indiciis. Peñ. *d. com. 39 vers.* Tunc autem.

38 Non est reus retorquendus, aut torquendus, nisi tormentum sustinere possit. Peñ. *d. comm. 39. vers.* Verumtamen.

39 Si reus in tortura fateatur crimen, & sequenti die in ratificatione neget, affirmans quòd dolore tormentorum fassus est, torqueri iterum potest: cùm ex hac negatione oriatur nouum indicium. Si autem in secunda tortura in negatiua persistat, non est tertiò torquendus. Idem dico si secundò fateatur, & iterum in ratificatione neget, nisi priora indicia fuerint vr-

gentissima,&tortura insufficiens.Quartò autem torqueri non debet Peñ.3.*part.Direct. comment.* 39. *vers.* Sit tertia.Farinac.*d.quæst.*38.*num.*91.*& seqq. & quæst.* 185.§.8.*num.* 124.

40 Si reus reuocet confessionem in tortura factam,& nolit eam ratificare, allegans rationem talis reuocationis, ac volens probare falsum dixisse, assignetur ei tempus ad probandum. Farinac.*d.quæst.*38. *num.*100.*& seqq.*

41 Quamuis ex indiciis possit reo abiuratio indici, licitum tamen est Inquisitoribus eligere an potiùs illum tormentis exponant.Peñ. *dict. comment.* 39. *vers.*Et hoc est.Farin.*d.*§.8.*num.*149.*& seq.*

42 Confessio facta in tormentis,non nocet confitenti,nisi postea ratificetur. Idem est, si confiteatur ex realis tormenti comminatione propinqua. Verbalis terrefactio remota, ratificatione non indiget. Peñ. *d.comment.*39.*num.*158 Farin.*d* §.8.*num.*150.

43 Inter torturam & eius ratificationem ad minus interfit vna dies naturalis; benignitas tamen postulat,vt duo vel tres medient. Peñ. *dict.comment.* 39. *num.etiam* 158.

44 Tortura non solùm purgat grauia indicia, sed etiam grauissima & indubitata, imò & plenas probationes,si reus illis præcedentibus sine protestatione torqueatur: in quo euentu non ordinaria, sed extraordinaria pœna imponitur: exilij.si indicia præcesserant indubitata:corporalis,si plenæ probationes. Farin.*quæst.*40.*num.*9.*& seqq.*

45 Quando reus conuictus torquetur non super delicto,sed pro pleniori veritate habenda, tortura nihil purgat circa delictum, super quo reus non fuit

fuit tortus. Idem est si confessus interrogatur super qualitatibus delicti, super sociis, complicibus, mandatoribus, consultoribus, fautoribus aut receptatoribus. Farin. *d. quæst.* 40. *num.* 16. *& seqq.*

46 Non est reus cogendus abiurare suspicionem illius criminis, pro quo fuit sufficienter tortus, alterius verò præsumptionem, pro quo non fuit ei sufficiens tortura imposita, abiurare debet. Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 14.

47 Quando delatus, vel inquisitus de hæresi non est deprehensus nec propria confessione, nec facti euidentia, nec testium legitima productione, sunt tamen contra eum sufficientia indicia, vt non possit simpliciter ab instantia absolui, quæstionandus est vt veritatem fateatur. Quòd si in negatiua persistat, pro immuni habeatur. Eymer. *3. part. Direct. rubr. de tertio modo terminandi processum fidei. num.* 151. *vbi* Peñ. *comment.* 39. *& comment.* 110. Farinac. *quæst.* 4. *num.* 1. *& 2. & de hæresi quæst.* 185. §. 8. *num.* 128.

48 Si reus nolit ad interrogata respondere, aut non præcisè, vel si obscurè respondet, aut solùm se refert ad id quod scriptum est, torqueri potest, nullis aliis præcedentibus indiciis; dummodo crimen de quo interrogatur, tale sit, quòd ex illo deueniri potest ad torturam, quæ tamen solùm est adhibenda, vt reus ad interrogata respondeat. Idem dicendum est, si reus petat dilationem ad deliberandum an velit respondere; si tamen constat de corpore delicti, & contra reum sit diffamatio, aut indicium aliquod. Farina. *quæst.* 37. *num.* 176. *& seqq. & d.* §. 8. *num.* 139.

49 In casu præcedenti, si reus dolore commotus crimen fateatur, cõfessio est valida. Far. *d. q.* 37. *n.* 178.

50 Socij criminis in causis fidei, in maleficiis & mathematicis deponentes, faciunt indicium ad torturam. Mascard. *l. b. 3. concl.* 1317. *num.* 11. 22. & 31. Farin. *quæst.* 43. *num.* 58. & 67.

51 Dictum vnius socij criminis, etiam si adminiculatum non sit, in exceptis criminibus sufficit ad inquirendum, non tamen ad torturam, nisi sit adminiculatum, aut alia adsit præsumptio; tunc enim ad torquendum sufficit. Mascard. *d. concl.* 13 7. *num.* 11. 12. & 13 Peñ. *d. omnent.* 10. *vers.* An autem socius criminis Farin. *d. quæst.* 43. *num.* 145. & *seqq.* & *d* §. 8. *num.* 1 1. & 152.

52 Oritur indicium ad torturam, si cum depositione socij criminis concurrant testes de auditu, fama, fuga, specialis inter eos amicitia aut familiaris loquutio. Farinac. *d. q.* 43. *num.* 63. & *seqq.*

53 Socius criminis qui plures patitur defectus, vt si sit inimicus aut periurus, non facit indicium ad torturam. Mascard. *lib.* 1. *concl* 463. *num.* 24. & 25. Farin. *d. quæst.* 43. *num.* 178. & *seqq.*

54 Dicto socij criminis bona rei fama minuitur, non tamen tollitur; vnde cum bonis adminiculis ad torquendum sufficit. Farin. *d. quæst.* 43. *num.* 188.

55 Duo socij criminis, etiam si sint singulares, indicium faciunt ad torturam. Clar *in praxi* §. *fin. qu.* 1. *vers.* Sed pone quòd non vnus. Farinac. *d. quæst.* 43. *num.* 37. & 38.

56 Dictum mandatarij, qui mandatum exercuit vel acceptauit, non facit indicium ad torturam contra mandantem, quamuis non appareat causa, qua motus delictum commiserit: dictum tamen duorum indicium facit, sicut similiter dictum vnius, si concur-

concurrant illa, quæ cum dicto socij criminis sufficiunt. Farinac. *quæst.* 44. *per totam.*

57 Depositio dicentis se falsum deposuisse de alterius mandato, prece, vel pretio, non facit indicium ad torturam, neque ad inquirendum contra mandantem: duo tamen testes corrupti indicium faciunt ad torquendum contra corrumpentem, nisi aliud obstet. Farinac. *quæst.* 45. *num.* 1. 12. *& 25. & seqq.*

58 Vnus testis corruptus, si alia adsint adminicula, facit indicium ad torturam contra corrumpentem, sicut de socio criminis dictum est. Farin. *d. quæst.* 45. *num.* 46.

59 Fama vehemens aut simul orta cum delicto, vel adminiculata, indicium facit ad torturam; vt si probetur quòd ortum habuerit, ab aliqua verisimili & probabili causa, seu coniectura aut iuncta fuga. Clar. *§. fin. quæst.* 21. *vers.* Fama sola. Menoch. *de præsum. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 28. Peñ. *d. comment.* 110. Farin. *quæst.* 47. *num.* 17. *& seqq.*

60 Quòd fuga faciat indicium contra fugientem, absolutè loquendo, certum est; an verò ad torturam sufficiat, infra dicemus Mascard. *concl.* 819. *num.* 1. *&* 9. Farin. *quæst.* 48. *num.* 1.

61 Indicium similiter facit, si per euidentia signa constet aliquem se præparare ad fugam; cùm idem operetur fuga in promptu & in effectu. Mascard. *d. concl.* 819. *num.* 9. Farinac. *d. q.* 48. *nu.* 9.

62 Fuga asserti socij criminis per se sola facit solummodo suspicionem contra alium socium. Farin. *d. quæst.* 48. *num.* 23. *&* 26.

63 Fuga ob iustum timorem carcerationis, aut inquisitionis, siue actualis, siue futuræ, si pœna cor-

potalis sit imponenda, non facit indicium contra fugientem, nisi sit adminiculata. Farin. *d. quæst.* 48. *num.* 27. *& seqq.*

64 Fugæ præsumptio tollitur ex iuramento fugientis, quando constat de causa probabili, propter quam fugiens se decessisse affirmat, alias tenetur probare causam fugæ. Farinac. *d. quæst.* 48. *num.* 44. *&* 45.

65 Fuga ob iudicis sæuitiam non facit indicium contra fugientem, quia censetur ex iusta causa fugere. Mascard. *concl.* 819. *num.* 27. Farin. *dict. quæst.* 48. *num.* 47.

66 Fuga non facit indicium efficax, quando fugiens bene audiebat, & vir probus habebatur. Mascard. *d. concl.* 819. *num.* 22.

67 Non facit etiam indicium, si fiat animo reuertendi, quod per testes probari debet, vel ex conditione personæ. Mascard. *d. concl.* 819. *num.* 23. *&* 24.

68 Indicium fugæ purgatur per spontaneam reuersionem, siue fugiens existeret in propria libertate siue non; cùm hac differentia, quòd fugiens è carcere reuerti debet non ex magno interuallo; fugiens verò qui erat in sua libertate, sufficit quòd reuertatur, dummodo non expectet se condemnari. Farinac. *d. quæst.* 48. *num.* 49. *& seqq.*

69 Spontanea præsentatio licèt tollat indicium fugæ, & alia indicia debilitet, non tamen operatur quòd reus, qui aliàs erat torquendus, non torqueatur, sed quòd torqueatur leuiùs. Farinac. *d. quæst.* 48. *num.* 55.

70 Fuga ad superiorem, cui fugiens se præsentat, non facit contra ipsum indicium. Farinac. *d. quæst.* 48. *num.* 57.

71 Fu-

71 Fuga non plenè probat delictum, nec etiam semiplenam facit probationem. Farin. *d. quæst.* 48. *num.* 60. Mascard. *concl.* 819. *num.* 10.

72 Ex fuga non oritur indicium ad torturam, nisi aliquo alio indicio vel coniectura fuerit adminiculata. Farinac. *d. quæst.* 48. *num.* 5. & 58.

73 Vt fuga indicium faciat ad torturam, debet per duos testes plenè & concludenter probari. Mascard. *concl.* 819. *num.* 29. Farin. *d. quæst.* 48. *num.* 59.

74 Indicium occultæ societatis oritur contra illum, qui cùm possit manifesto contra fidem facinori obuiare, id non facit, huiusmodi autem indicium ad torturam non sufficit. Farinac. *quæst.* 51. *num.* 12. & 54.

75 Non obuians delicto, non punitur regulariter ea pœna, qua punitur principalis delinquens. Farinac. *d. quæst.* 51. *num.* 68.

76 Ex mendacio maxima præsumptio oritur contra reum, & præsumitur dolus. Mascard. *conc.* 532. *num.* 19. & *seqq.* Farinac. *quæst.* 52. *num.* 2. & 3.

77 Mendacium per se solum non facit indicium ad torturam, quod tamen operatur cum aliquo alio adminiculo. Farinac. *d. quæst.* 52. *num.* 10.

78 Vt mendacium faciat indicium contra reum, debet esse circa substantiales delicti circunstantias & sufficienter probari; non verò quando datur circa ea, quæ non præiudicarent reo, si ea fuisset confessus, aut quando pro se habet aliquod innocentiæ indicium, quia vnum per aliud tollitur. Peñ. *d. comment.* 110. *vers.* Sed in hoc. Farina *d. quæst.* 52. *num.* 11. & *seqq.*

79 Quotiescumque res de qua agitur cum reo, talis est, circa quam exiguo temporis spatio obliuio cadere non facilè præsumitur (quod arbitrio iudicis

relinquitur) & reus non est omnino stupidus, aut obliuiosus, si vel in eadem confessione, vel in diuersis vacillet & variet, ob id torqueri poterit. Peſi. *d. comm.* 110. *verſ.* Ex his videtur.

80 Variatio circa delictum aut circa qualitates illi coniunctas, facit indicium ad torturam, si sit adminiculata: dummodo reus non reddat sufficientem rationem suæ variationis. Menoch. *de præsump. lib.* 2. *quæſt.* 89. *num.* 68. Farinac. *d. quæſt.* 52. *num.* 29. *& ſeqq.*

81 Titubatio, trepidatio, tremor, timor, pallor, & similia, per se non faciunt indicium ad torturam, bene tamen cum alio adminiculo, vel præsumptione. Farin. *d. quæſt.* 52. *num.* 39. *& ſeqq.*

82 Fugiens pallidus è domo vbi commissum est crimen contra fidem, præsumitur illud commisisse, estque ad torturam sufficiens indicium; dummodo hoc plenè probetur, & domus vnicum tantum habeat ostium. Ant. Gom. *var. tom.* 3. *cap.* 13. *rubr. de tortura reorum. num.* 11. *verſ.* Sextum indicium. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *caſu* 270. *num.* 18. Farin. *d. quæſt.* 52. *num.* 50. *& ſeqq.*

83 Ex prædicto indicio potest reus condemnari sine hoc quòd ponatur ad torturam, non tamen in pœnam ordinariam. Clar. *§. fin. quæſt.* 21. *verſ.* Si aliquis. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 867. *num.* 26. *& concl.* 1226. *num.* 12. *& concl.* 1227. *num.* 58. Farinac. *d. quæſt.* 52. *num.* 65. *& ſeqq.*

84 Quando in aliqua domo inuenitur maleficium commissum, oritur indicium contra omnes habitatores domus, quos non constat domi non fuisse tempore patrati criminis. Menoch. *de præsump. lib.* 1. *quæſt.* 89. *num.* 90. Farin. *d. quæſt.* 52. *num.* 98. *&* 117.

85 Præ-

85 Prædictum indicium sufficit ad torturam, si ipsa inferatur habitatoribus domus, vt testibus verisimiliter informatis, licèt contra illos non sit alia præsumptio: vt verò inferatur tamquam principalibus propter præsumptionem, quæ contra ipsos vrget, requiritur vel quòd sint malæ famæ, vel quòd aliud indicium concurrat: aliàs torqueri non possunt. Farinac. *d. quæst.* 52. *num.* 116.

86 Quando aliquis inuenitur in loco delicti, vel in ei contiguo, vel in continenti, tempore ipsius delicti commissi, si mala fama, vel aliud indicium concurrat, torqueri potest. Mascard. *de præsump. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 106. Farinac. *d. quæst.* 52. *num.* 133. *& seqq.*

87 Idem est iudicium de eo, qui ante delictum patratum visus fuit deambulare in ea via & loco, siue locum frequentet siue non, siue etiam rarò ad illum veniat, dummodo malæ famæ sit, vel aliud indicium detur. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 98. *num.* 15. *&* 31. Farin. *d. quæst.* 52. *num.* 138. *& seqq.*

88 Contra eum qui commisso aliquo delicto statim vadit in curiam ad solicitandum, vt in tali delicto procedatur, quando ad id faciendum non tenetur, vel primò denuntiat, oritur indicium ad inquirendum, & ad sumendas informationes, non tamen ad torturam vel capturam. Ant. Gom. *d. cap.* 13. *rubr. de tortura reorum num.* 14. Menoch. *de præsump. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 106. Farin. *d. quæst.* 52. *num.* 93. *& seqq.*

89 Præparatio instrumentorum ad committendum delictum indicium facit, quod cum alio adiuncto ad torquendum sufficit. Menoch. *d. quæst.* 89. *num.* 120. *&* 122. Farin. *d. quæst.* 52. *num.* 163. *&* 164.

90 Conuersatio specialis cum notatis de aliquo

delicto facit indicium contra eum, cui tale delictum imputatur, non tamen sufficiens ad torturam. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 452. *à num.* 1. *vsque ad* 9. Farin. *d. quæst.* 52. *num.* 85. *& seqq.*

91 Confessio extraiudicialis actus hæreticalis plenè probata sufficit ad torturam, quando confitens vel negat se tale dixisse, vel negat intentionem; & tunc aut circa rem, aut circa intentionem torqueatur. Clar. *d. § fin. quæst.* 21. *num.* 32. Peñ. 3. *part. Direct. comm.* 110. *vers.* Ergo præter memorata.

92 Penes qualitates eorum apud quos reperiuntur libri hæreticorum, iudicandum est, an talis librorum retentio indicium faciat ad torturam. Peñ. *d. comment.* 110. *vers.* Libri verò.

CAPVT XL.

De condemnatione per abiurationem de leui.

1 ABiuratio est *solemnis hæresum detestatio cum assertione catholicæ veritatis, obligatione, iuramento, & pœna munita in fide catholica permanendi.* Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 40. *vers.* Est autem. Farinac. *de hæresi quæst.* 194. § 1. *num.* 1. *& 2.*

2 Abiuratio quadruplex est. Prima, quando fit pro leui suspicione contra fidem. Secunda, quando pro vehementi. Tertia, pro violenta, Quarta, in forma seu pro hæresi formali. Peñ. *d. comment.* 40. *vers.* Abiurationem hanc.

3 Omnes qui ab hæresi reuertuntur, aut de hæresi

resi sunt suspecti, abiurare debent, nisi canonicè se purgauerint: nec datur priuilegium personam aliquam ab abiuratione excusans. Peñ. *d. com.* 40. *vers.* His ita positis. Farin. *d. quæst.* 194. §. 2. *num.* 24. *& seqq.*

4 Masculi ante decimum quartum annum, fœminæ verò ante duodecimum non abiurant, nisi ratò, etiam si doli sint capaces. Peñ. *d. comment.* 40. *vers.* Sed qua ætate. *& seqq.* Farin. *d.* §. 2. *num.* 31.

5 Abiuratio aliquando fit publicè, aliquando verò secretè, secundùm quod culpa publica vel occulta fuerit, prout Inquisitoribus videbitur. Peñ. *dict. comment.* 40. *num.* 166. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 4. *& seqq.*

6 Fiat abiuratio vulgari sermone, & per scripturam scriptam vel subscriptam manu abiurantis, aut si scribere nesciat, ab Inquisitore & Notario subscribatur. Peñ. *d. comment.* 40. *num.* 169. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 15. *&* 18.

7 Cùm abiuratio sit pœna, quæ per sententiam imponitur, post sententiam fieri debet. Eymer. *3. part. rubr. de quinto modo terminandi processum. num.* 176. *vbi* Peñ. *comment.* 41. *vers.* Hoc tamen loco. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 17.

8 Abiurans iurare debet se adimpleturum omnem pœnitentiam, quæ sibi fuerit iniuncta. Peñ. *dict. com.* 40. *num.* 163. *& eadem* 3. *p. com.* 7.

9 Tenetur abiurans specialiter declarare illam hæresim, de qua iudicatur suspectus, alias verò in genere tantùm; omnes tamen debet abiurare. Peñ. *dict. comment.* 40. *vers.* Et dum hæc scribo. Farin. *d.* §. 1. *num.* 12. *&* 13.

10 In omni abiuratione obligare se debet abiurans ad denunciandos quoscumque hæreticos, aut de hæresi

hæresi suspectos vel infamatos Peñ. *d. 3. part. commen.* 42. *num.* 176. *vers.* Imò.

11 Leuiter suspectus de hæresi abiurare debet. Quod tunc faciendum est, quando delatus non deprehenditur confessione propria, facti euidentia, aut testium productione legitima, aut quando alias non sunt contra ipsum fortia & vehementia indicia, sed modica & leuia, & sic terminatur processus. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 55. *& 3. part. rubr. de quarto modo terminandi processum. num* 161. *& seqq. Vtrobique* Peñ. *comment.* 80. *& comment.* 40. Farin. *quæst.* 189. *de hæresi* §. 1. *num.* 31. *& quæst.* 194. §. 2. *num.* 27.

12 Abiurans de leui seu leuem suspicionem de fide, si in eamdem vel in diuersam hæresim incidat, licèt grauiùs puniendus sit, non tamen relapsorum pœnam incurrit. Eymeric. *d. num.* 161. *& quæst.* 87. *vbi* Peñ. *d. comment.* 40. *& 136.*

13 Licèt in abiuratione de leui omitti possit clausula, qua reus abiurat omnem hæresim, semper tamen est apponenda. Peñ. *d. comment.* 136.

14 Abiuranti de leui minor pœna imponitur, quàm aliter abiuranti: est ei etiam imponenda pœnitentia contraria iis quæ commisit, secundùm arbitrium Inquisitorum, delicti tamen & personæ qualitate considerata. Peñ. *dict. comment.* 40. *& dict. comment.* 136.

15 Processus minorum in causa fidei, quando de hæresi formali non constat, non terminatur regulariter per maiorem abiurationem, quàm de leui: cùm præmatura ætas in dicta causa fidei delicto plurimum detrahat. Peñ. *d. comment.* 136.

16 Recusans abiurare de leui, non statim est curiæ se-

riæ seculari tradendus, sed priùs excommunicetur: & si per annum pertinaciter in excommunicatione persistat, curiæ seculari traditur. Eymeric. *d. quæst.* 87. *vbi* Peñ. *d. comment.* 136. Farinac. *d.* §. 2. *num.* 35. *& 36.*

CAPVT XLI.

De condemnatione per abiurationem de vehementi.

1 VEhementer suspectus de hæresi, tenetur abiurare vehementem suspicionem. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 55. *& 3. part. rubric. de quinto modo termin. proces. num.* 166. *vtrobique* Peñ. *primò comment.* 80. *secundò comment.* 41. Farin. *de hæresi quæst.* 187. §. 3. *num.* 40. *& quæst.* 194. §. 2. *num.* 26.

2 Quando reus non est legitimè deprehensus confessione propria, facti euidentia, aut testium legitima productione, sunt tamen contra eum magna, grauia, & vrgentia indicia probata, abiurat de vehementi, & sic terminatur processus. Eymer. *d. num.* 166.

3 Abiurans de vehementi non est perpetuo carceri mancipandus, nec signandus habitu pœnitentiali: attamen secundùm delicti qualitatem potest ad tempus carcerari, præcipiendumque est ei vt in Ecclesia ad Missam solemnem cum cereo in manibus accenso stet sine pallio, discooperto capite. Eymeric. *d. rubr. num.* 172. *vbi* Peñ. *comment.* 41.

4 Abiurans de vehementi si relabatur, siue in eandem, siue in diuersam hæresim, relapsorum pœna plecti-

plectitur Eymeric.*d.num.*166.*&* 2.*p.Direct.quæst.*58. *vbi* Peñ.*comment.*83.Farin *quæst.*195.§. 1.*num.*3.

5 Abiurans de vehementi si iterum in vehementem suspicionem contra fidem circa quamcunque materiam incidat, non punitur vt relapsus, sed iteru u vehementem suspicionem abiurat. Peñ.2.*pa. Direct. ad quæst.*58.*com.* 85. *vers.* Altera huic aduersa.

CAPVT XLII.

De condemnatione in casu violentæ suspicionis.

1 OB violentam hæresis suspicionem abiuratio indici potest. Eymeric.*3.p.Direct.rubr. de sexto modo terminandi processum num.*173.Peñ.*comm.* 42.Farin.*de hæresi quæst.*187.§.4.*num.*51.

2 Quando reus non est legitimè deprehensus confessione propria, facti euidentia, aut testium legitima productione, sunt tamen contra eum fortissima & violenta indicia, vt violenter suspectus iudicatur. Eymeric.*d.num.*173.Farin.*d.*§.4.*num.*45.

3 Violenter suspectus, licèt à parte rei possit non esse hæreticus, vt hæreticus tamen habendus est, & hæreticorum ordinaria pœna puniendus. Eymeric.*d. rubr.num.*174.*&* 2.*p.Direct.quæst.*55. *vbi* Peñ.*commen.* 80.Farin.*d.*§.4.*num.*46.

4 Si violenter suspectus abiurare non vult, & satisfactionem congruam sustinere renuit, tradendus est curiæ seculari, vltimo plectendus supplicio: si autem resilire & abiurare velit, perpetuo carceri cum habitu

habitu pœnitentiali similiter perpetuo tradatur. Eymer. *d. num.* 174. *& d. quæst.* 55. *vtrobique.* Peñ. *comm.* 42. & 80. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 46. Menoch. *de præsump. lib.* 1. *quæst.* 100. *num.* 14. *& seq.*

5 Habitus pœnitentialis, qui violenter suspecto imponitur, aliquando poterit esse temporarius. Eymeric. *d. rubr. num.* 179. *vbi* Peñ. *com.* 42.

6 Condemnatus ex violenta suspicione non dicitur verus hæreticus, sed præsumptus. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 52. Menoch. *d. num.* 15.

7 Violenter suspectus, excommunicationem ipso facto incurrit, à qua post abiurationem absoluitur. Eymer. *d. rubr. num.* 177.

8 Abiuratio ob violentam suspicionem aliquando est in forma hæresis, aliquando de vehementi. Farina. *d.* §. 4. *num.* 51.

9 Abiurans violentam suspicionem si relabatur, vt relapsus curiæ seculari traditur. Eymeric. *d. num.* 177. *& d. quæst.* 55.

10 Violenta suspicio non admittit directam probationem in contrarium, indirectam tamen non respuit. Peñ. *d. com.* 80. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 48. *& seqq.*

11 Violenta suspicio quoad modum procedendi, secundùm hodiernum vsum non differt à vehementi. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 51.

12 Adorare hæreticos, communionem ab eis recipere, & alia quæ ad eorum ritus spectant, violentam suspicionem generant. Locat. *in iud. Inquisit. verbo* Suspicio. *num.* 4.

13 Vehementer suspectus, si iterum in vehementem suspicionem incidat, efficitur violenter suspectus. Locat. *in iud. Inquisit. verbo* Vehemens suspicio.

picio.*num.* 11 Menoch.*de præsump.lib.*1.*quæst.* 100. *num.* 14. Farinac.*de hær.quæst.*195.§.1.*num.* 22. *&* 25.

14 Qui imaginem Christi, Deiparæ, ac Sanctorum data opera percutit, vulnerat, deturpat, spurcat, lapidem in eam iacit, vel similia facit, violentam hæresis suspicionem incurrit: hoc enim factum manifestam hæresim sapit, & rarò vel numquam inuenitur ab hæresi separatum. Castro *de iusta hæret. punit. cap.* 15. Simanch.*catholic.tit.* 33.*num.* 18. Farin. *tom.* 1. *quæst.* 20. *num.* 68.

15 Huic nefario crimini de iure ciuili imponitur pœna mortis naturalis, arbitraria verò de iure canonico, attentis circunstantiis personæ & delicti. Clar.§.*fin.quæst.*66.*num.*19. Menoch.*de arbit.lib.*2.*cent.* 4.*casu* 376. Simanch.*d.tit.*33.*num.*19.*& seqq.* Farinac. *d.num.*68.*& seqq.ac de hæresi quæst.* 181.§.1.*num.*43.

16 Perpetrans ausu temerario publicè hoc horrendum delictum, siue hæreticalem animum fateatur siue non, tradendus est curiæ seculari, vltimo supplicio plectendus, ob facti qualitatem. Ita factum fuisse tradunt Ancharr. *cons.* 15. *&* Chassan.*cons.* 1. *in* 5.*præsupposito.num.*69.*relati per* Farinac. *d. num.* 68. *qui etiam num.*71.*& d.*§.1.*num.*44. Menoch. *dict. casu* 376. *num.*4.*& seqq.*

17 Prædicti criminis publicus nefarius patrator, si animum hæreticalem fateatur, & misericordiam petat, reconciliari debet ad Ecclesiæ vnionem; attamen curiæ seculari tradendus est. Quoniam bonum spirituale non denegatur pœnitenti; & tantum scelus non potest manere impunitum, & semper potest timeri quòd conuersio sit ficta.

18 In hoc casu torquendus est reus super complicibus:

plicibus quoniam non est credibile quòd in tali criminis patratione non interuenerint complices dantes ad minus consilium, vel auxilium promittentes, iuxta tradita per Locatum *in Iud. Inquisit. verbo* Indicium. *num.* 33. Farin. *de hæresi quæst.* 185. §. 8. *num.* 133. *& quæst.* 43. *num.* 64. Et quia sic seruatur in crimine læsæ maiestatis humanæ, à qua valet argumentum ad crimen hæresis. Gig. *de crimine læsæ maiest. lib.* 3. *in rubric. de pœnit. quæst.* 17. *num.* 18. *& seqq.* Roland. *cons.* 33. *num.* 16. *& seqq. lib.* 3. *quos refert & sequitur* Farinac. *de crimine læsæ maiest. quæst.* 112. *inspect.* 1. *num.* 7.

CAPVT XLIII.

De condemnatione per purgationem, & abiurationem.

1 QVando delatus non est legitimè deprehensus confessione propria, facti euidentia, aut testium legitima productione, reperitur tamen publicè diffamatus de hæresi, & sunt præterea indicia, quibus de hæresi redditur suspectus; ratione infamiæ, indicitur ei purgatio, ratione verò suspicionis abiuratio. Eymer. 3. *part. Direct. rubr. de septimo modo terminandi processum num.* 181.

2 Quando datur purgatio simul cum abiuratione, prius fit purgatio, & postea sequitur abiuratio. Eymer. *d. rubr. num.* 182.

3 Sic se purgantibus & abiurantibus imponantur salutares pœnitentiæ; videlicet quòd intersint in

diebus festiuis Missarum solemnitatibus cum cereo in manu accenso, nudis pedibus, & discooperto capite; quòd certo tempore locum non mutent, quòd ieiunent in sextis feriis, ac quòd certis hebdomadæ diebus Inquisitoribus se præsentent. Eymeric. *d. rubr. num.* 187. *ubi* Peñ. *comment.* 43.

CAPVT XLIV.

De condemnatione hæretici pœnitentis per abiurationem.

1 POenitens hæreticus ille dicitur, *qui aliquando errorem contra fidem habuit in mente, illumque verbis aut facto ostendit: postea verò in se reuersus confitetur errorem Inquisitoribus, quorum dispositioni subijcitur secundum ius.* Eymer. 2. *p. Direct. quæst.* 40. *vbi* Peñ. *comment.* 65 Farin. *de hær. quæst.* 193. §. 1. *num.* 4.

2 Hæreticus verè pœnitens ad misericordiam abiurata prius hæresi admittitur, dummodo relapsus non sit Eymer. 3 *p. Direct. rub. de octauo modo terminandi proceſſum. num.* 188 Farinac. *d.* §. 1. *num.* 13.

3 Hæresiarchæ & dogmatistæ si verè pœniteant reconciliandi sunt; non est tamen facilè credendum quòd verè conuertantur, præsertim si non sponte venerint, aut si post multum tempus misericordiam petant. Eymeric. *d. num.* 188. Peñ. 2. *p. Direct. comment.* 64. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 2. *& seqq.*

4 Reconciliari etiam debent, si verè pœniteant, hæreticorum fautores, receptatores, defensores, impedien-

pedientes sanctæ Inquisitionis officium, sortilegi & Iamiæ. Martin. del-Rio *disquisit. mag. lib. 5. sect. 16. vers.* Qui præbent poculum. *& vers.* Porro si spes affulgeret. *& sect. 12. in princip.* Farinac. *de hær. quæst.* 181. §. 1. *num.* 48. *& d. quæst.* 193. §. 1. *num.* 23. *& seqq.*

5 Qui non ex puro corde, sed per fraudem, fictè & simulatè ad fidem redit, reconciliari non potest. *Cap.* Vt officium. §. Prouiso solerter. *de hæret. in 6. vbi* Doctores. Decian. *crim. lib. 5. cap.* 54. *num.* 5. Sanch. *de præcep. Decal. lib. 2. cap.* 11. *num.* 8. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 30.

6 Inspecto iure non reconciliantur in aliquibus casibus etiam verè pœnitentes. Primus, Missas celebrantes non presbyteri. Secundus, non presbyteri confessiones audientes. De his tamen duobus casibus diximus *suprà lib. 1. cap.* 32. *&* 33. Tertius, negantes Trinitatem personarum in diuinis. Quartus, negantes diuinitatem Christi. Quintus, negantes Christum conceptum de Spiritu sancto. Sextus, negantes Christi mortem, vt nos redimeret. Septimus, negantes Beatæ Virginis Mariæ virginitatem. Octauus, magistratus seu domini Ecclesiastici vel temporales schismatici aut hæretici, seu hæresim aut schisma excitantes. Paulus IV. in quadam constitutione incipiente, Cùm quorumdam hominum prauitas. relata per Peñ. *in fine Direct. inter literas Apostolic. & 2. p. Direct. ad quæst.* 58. *com.* 83. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 39. *Et* Clemens VIII. die 3. Februar. anno 1603. Pontificatus sui anno 11. relatus per Paulum Piasecium *in praxi Episc. part. 2. cap. 4. num.* 43. *fol.* 302. Hoc tamen non est in praxi nostræ Inquisitionis Lusitanæ.

7 Non solùm reconciliantur sponte venientes, illi nimirum, qui non indiciati veniunt, sed etiam qui

ante latam sententiam in quocumque statu processus, imo & in ipso tabulatu misericordiam postulant. Peñ. *in 4. Dir. cl. commun.* 42. Griland. *de haret. quæst.* 5. *num.* 2. 3. 15. & 16. Farin. *d.* §. 1. *num.* 27. & §. 2. *num.* 41. dummodo signa veræ pœnitentiæ exhibeant.

8 Post latam sententiam & publicatam, an reconciliari hæreticus possit, Inquisitorum determinationi relinquitur, raro tamen reconciliari debet, maximè si iam traditus sit curiæ seculari. Peñ. *d. com.* 42. Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 39. *num.* 3. Farin. *d.* §. 2. *num.* 56. & *seqq.*

9 In articulo mortis reconciliari potest hæreticus verè pœnitens; qui si propter temporis angustias examinari non potest ab Inquisitoribus, sacramentaliter absoluatur; si verò potest examinari, priùs examinetur, & postea impendatur ei absolutionis sacramentalis beneficium. Peñ. *2. p. Direct. comment.* 25. Farin. *d.* §. 1. *num.* 20.

10 Qui absolutionem petiit, & veræ pœnitentiæ signa ostendit, si per ipsum non stetit quominus absolueretur, potest reconciliari & absolui post mortem. Simanch. *cathol. tit.* 3. *rubr. de absolut. num.* 4. Azor *instit. moral. par.* 1. *lib.* 8. *cap* 19. *de absolut. ab har. vinc.* Quæro an etiam. Farinac. *d. num.* 20.

11 Præter pœnas in iure expressas contra hæreticos, aliæ Episcoporum & Inquisitorum iudicio reconciliatis imponi possunt, attenta personæ & culpæ qualitate, inter quas est habitus pœnitentiæ, qui regulariter imponitur reconciliatis. Farina. *d. quæst.* 193. §. 4. *per totam.*

CAP.

CAPVT XLV.

De condemnatione relapsi pœnitentis.

1 RElapsus, seu iterum lapsus ille dicitur, *qui in abiuratam hæresim iterum labitur.* Eymer. 2.*par.Direct.quæst.*40:*vbi* Peñ.*comment.*65.*& quæst.*58: *com.* 83.Simanch.*cathol.tit.*57:*num.*1.Farinac. *de hæresi quæst.*195 §.1.*num.*1.

2 Relapsus alius est manifestus seu verus, alius præsumptus seu fictus. Verus relapsus est ille, *de cuius vtroque lapsu legitimis probationibus constat.* Præsumptus, *de cuius vtroque lapsu manifestè non constat.* Quod contingit dupliciter. Primò, quando quis abiurauit vehementem hæresis suspicionem, & postea legitimè deprehenditur in hæresim incidisse. Secundò, quando priùs hæresim formalem abiurauit, & posteà hæresis vehementem suspicionem contraxit. Eymer. Peñ. & Simanch. *citatis locis.* Farinac. *d.* §.1.*num.* 2. 3. & 19.

3 Quamuis iuris præsumptione dicatur relapsus ille, qui de primo lapsu confessus aut conuictus, de secundo fuit vehementer suspectus, quando vehemens suspicio oritur ex actu plenè probato, ex quo talis resultat præsumptio, non verò quando solùm ex defectu plenæ probationis; in praxi tamen Romanæ curiæ non habetur pro relapso. Rojas *de hæret. part.*2. *num.*333. Farinac. *d.* §.1.*num.*18. Suar. *de fide tract.*1.*disp.* 24.*sect.*2.*num.*7. nec etiam in praxi nostræ Inquisitionis Lusitanæ.

4 Relapsus tamen censendus est ille, de cuius

lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet siue comitetur, aut munera vel dona eis conferat, mittat, seu fauorem impendat, qui excusari non possit, etiam sine adoratione. *Cap.* Accusatus. §. Ille quoque. *de hær. in 6.* Simanch. *cathol. tit.* 11. *num.* 9. *& tit.* 50. *&* 57. *num.* 4. Peñ. *d. comment.* 85. *vers.* Qui ergo fautoriam. Farinac. *dict.* §. 1. *num.* 32. Suar. *de fide tract.* 1 *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 7.

5 Nullus dicitur relapsus, nisi plenè constet de vno lapsu: vnde nec leuiter aut vehementer suspectus, si iterum in leuem aut vehementem suspicionem incidat, reputatur relapsus. Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst.* 58. *comment.* 83. *vers.* Ex quibus apparet. Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 56. *num.* 13. Farinac. *dict.* §. 1. *num.* 22. *& seqq.*

6 Vt abiurans de vehementi dicatur relapsus, si in hæresim incidat, requiritur quòd abiuratio ritè & rectè iudicialiter facta sit: secùs si nulliter. Farin. *d.* §. 1. *num.* 26.

7 Vt quis dicatur relapsus sufficit, quòd post primum lapsum semel incidat in hæresim, siue eadem sit, siue diuersa. Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 55. *num.* 13. *&* 14. Peñ. *comment.* 41. *in* 3. *part. Direct. num.* 169. Menoch *de arbit. lib.* 2. *casu* 374. *num.* 1. Farin. *d.* §. 1. *num.* 13. 40. *&* 41.

8 Qui post purgationem canonicam indictam propter vehementem hæresis diffamationem, in eandem incidit hæresim de qua se purgauit, reputatur relapsus; secùs verò si in diuersam. Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 150. *vbi* Peñ *comment.* 38. Param. *de origine Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *rubr. de exped. proces. num.* 5.

Farinac.

Farinac. *dict.* §. 1. *num* 27. 29. 30. & 47.

9 Relabentes in fautoriam hæreticorum abiuratam tamquam vehementem, non sunt iudicandi relapsi, quamdiu non extat Summorum Pontificum declaratio; nisi fortè in eamdem fautoriam pluries incidant. Peñ. 2. *p. Direct. comment.* 83. Decian. *d. lib.* 5 *c.* 56. *num.* 16. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 36. & 39.

10 Qui post abiuratam hæresim, de qua legitimè fuit conuictus vel confessus, iterum ab Inquisitoribus apprehenditur, quia probatur feciſſe diminutam confessionem, si fateatur & plenam præteritorum errorum confessionem faciat, non reputatur relapsus; eo quòd non datur nouus lapsus.

11 Si quis hæresim aut illius vehementem suspicionem abiurauit, & postea comprehensus fateatur se semper in hæresi perstitisse vsque ad tempus præsentis confessionis, verùm post præcedentem abiurationem non constat de aliquo actu externo hæresis ostensiuo, non est ab Inquisitoribus puniendus vt relapsus. Ratio est, quia nullus ibi datur nouus lapsus externus verus aut præsumptus; cùm nullus ad illam internam hæresim sequutus sit actus externus; & sic continuatio illa post abiurationem manet intra limites hæresis internæ: nec abiuratio sine actu externo facit præsumptionem noui lapsus quoad pœnæ impositionem.

12 Si quis in prædicto casu fatetur aliquem externum actum occultè factum, per quem verè relapsus constituitur, si postea quoad hunc lapsum reuocat confessionem, vel perseuerantiam in hæresi post dictam abiurationem, non est tradendus curiæ seculari, sed examinandus per torturam, quia de illo actu

aut perseuerantia nulla est probatio in iudicio: sed cùm ex tali reuocatione præsumatur mendacium, & aliqualis impœnitentia, datur sufficiens indicium ad torturam; sed quia indicium magnum non est, tortura debet esse moderata.

13 In casu dicti vndecimi aphorismi confiscatio bonorum debet fieri vsque ad tempus abiurationis in forma hæresis, non verò vsque ad tempus primæ abiurationis de vehementi; quia cùm hæreticus ille in hæresi semper perstiterit, quam nunc solùm est confessus, hæresis est vna toto illo tempore, ac proinde hæresis exterior.

14 Quod diximus de hæreticis & suspectis de hæresi, intelligendum similiter est de sortilegis, & inuocantibus dæmones, dummodo sortilegium hæreticale sit, & in secundo lapsu constet eos habuisse in mente errorem contra fidem. Simanch. *cathol. tit.* 57. *num.* 9. Peñ. 3 *p. Direct. com.* 26. *verſ.* Vnum hic. *& ſeqq.* Farin. *d.* §. 1. *num.* 9. *& ſeqq.*

15 Idem est iudicium de schismaticis, similiter si primò vehementem suspicionem abiurent, & secundò conuincantur de errore in mente. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 8.

16 Relapsus qui non indiciatus de secundo lapsu voluntariè se præsentat Inquisitoribus, non est tradendus curiæ seculari secundùm benignitatem iuris. Albertin. *de agnosc. quæſt.* 25. *num.* 25. Castro *lib.* 2. *de iuſta hæretic. punit. cap.* 2. Peñ. 3. *par. Direct. comment.* 12. *num.* 56. *verſ.* Sed quod si.

17 Relapsi comprehensi & probati, etiam pœnitentes, traduntur curiæ seculari; prius tamen dandæ sunt eis legitimæ defensiones. Simanch. *cathol. tit.* 57. *num.*

*num.*23. Rojas *singul.*23.*num.* 6. Farinac. *de hæret. quæst.* 185.§.14.*num.*217.*& quæst.*193.§.1.*num.* 32.*& quæst.* 195.§.1.*num.*6.*&* 51.

18 Relapsi etsi non admittantur ad pœnitentiam quoad pœnam temporalem, si tamen conuertantur, admittuntur ad recõciliationem spiritualem,& conceditur eis sacramentum Pœnitentiæ & Eucharistiæ. S.Thom.2.2.*quæst.* 11.*art.* 4. Eymeric. 2.*part. Direct. quæst.*40.*num.* 3.*& quæst.*58.*num.*6.*vbi* Peñ.*d. comment.* 83.*Idem* Eymeric.3.*part.quæst.*99. *vbi etiam* Peñ. *comment.*148. Farin.*de hæret.quæst.*193.§.1.*num.*32. *& seqq.*

19 Ad huiusmodi relapsum pœnitentem mittendi sunt duo vel tres viri Ecclesiastici, qui eum in fidei veritate confirment,ad patientiam exhortentur in morte quæ excusari non potest:tunc recipiant prędicta sacramenta; & post duos vel tres dies tradantur curiæ seculari. Eymeric. 3.*part. Direct. rubr. de nono modo terminandi processum.num.*197.

20 Si relapsus est in aliquo ordine constitutus, prius est realiter degradandus ab Episcopo,& sic degradatus, & priuatus omni officio & beneficio, tradatur curiæ seculari.Eymer.*d.rubr.num.*198.*vbi* Peñ. *commen.*45.

21 Sententiam degradationis contra hæreticum Ecclesiasticum tunc solus Inquisitor declarare poterit, quando Episcopus negligens fuerit. Albercin. *in cap.*Quoniam.*de hæret.in* 6.*quæst.*7.*num.*3. Peñ. *d.comment.*45.

22 In fine sententiæ contra relapsum,per quam curiæ seculari traditur, rogent Inquisitores secularem potestatem,quòd circa talem citra sanguinis effusionem & mortem, sententiam suam moderen-

tur. Eymeric. *dict. rubr. num.* 199.

23 Tradendus curiæ seculari, nec ante, nec post sententiam præsentetur personaliter coram Inquisitoribus, nec ipsi ei declarent quòd est morte plectendus; sed hoc faciant Ecclesiastici qui ad ipsum mittuntur, qui ab eo non recedant, donec spiritum Creatori suo reddiderint: caueantque ne aliquid dicant vel faciant, quo mors præueniatur, & efficiantur irregulares. Eymeric *d. rubr. num.* 200. *vbi* Peñ. *dict. comment.* 45.

24 Circa diem & locum vbi tradendi sunt relapsi, an in die feriato vel festo, an etiam in loco sacro vel non, seruanda est cuiusque Inquisitionis consuetudo. Peñ. *dict. comment.* 45.

CAPVT. XLVI.

De condemnatione hæretici impœnitentis non relapsi.

1 PErtinaces & impœnitentes hæretici (aliquando confunduntur hæc vocabula, cùm tamen pertinacia sit superior ad impœnitentiam) illi sunt, *qui ab Inquisitoribus aut ab aliis conuicti adhuc errores suos defendunt, vel illos detestari, & ad Ecclesiæ vnitatem conuerti nolunt, abiurando vel se purgando, secundùm Inquisitorum arbitrium.* Eymeric. 2. *part. Direct. quæst.* 40. *vbi* Peñ. *comment.* 65. Tabiena *verbo*, Hæreticus, *num.* 16. & 26. Farinac. *de hær. quæst* 196. *num.* 2.

2 Pertinacia & impœnitentia in dubio non præsumi-

sumitur. Simanch. *catholic. tit.* 48. *num.* 24. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 12. Farinac. *d. quæst.* 196. *num.* 31.

3 Hæretici impœnitentes si conuerti omnino recusent, tradendi sunt curiæ seculari, vt viui comburantur, nec cum eis aliquis dispensare potest. Eymeric. & Peñ. *proximè citato loco.* Albertin. *in cap.* 1. *de hæret. in* 6. *num.* 41. *& seqq. in notab.* 9. *& num.* 54. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 55. *num.* 12. Farin. *d. quæst.* 196. *num.* 4. *&* 29.

4 Hæretici impœnitentes in tuto carcere ponendi sunt, & nullus eos alloquatur, nisi custos carceris: frequenter vocentur ab Inquisitoribus, qui de fide eos informent, & authoritatibus, & rationibus eos conuincant, interrogent de fundamentis suorum errorum, vt ea soluant. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. de decimo modo term. proceff. num.* 201. *vbi* Peñ. *com.* 46.

5 Si Inquisitores non possint huiusmodi impœnitentes conuertere, mittant ad eos viros doctos, qui eos conuincant, & persuadeant; mitiùs tractentur; promittatur eis, quòd si conuertantur, misericorditer tractabuntur; adducantur ad eos vxores & filij, præsertim paruuli; detineantur in carcere per sex menses vel per annum; nec tradantur curiæ seculari, nisi his aut aliis remediis adhibitis, ac sæpè moniti. Eymeric. *d. num.* 201. Simanch. *cathol. tit.* 46. *num.* 49. *& tit.* 48. *num.* 42. Farin. *de hæresi quæst.* 195. *num.* 52. *& quæst.* 196. *num.* 33

6 Si impœnitentes conuerti velint, admittantur ad reconciliationem, sicut alij hæretici non relapsi. Quia tamen talis conuersio præsumi potest metu mortis facta, perpetuo sunt immurandi; & si sunt in aliquo ordine, priùs degradentur. Hæc degradatio de

iure

iure debet esse realis: attamen secundum introductam consuetudinem verbalis sufficit. Eymeric. *de rubr. num.* 202. *vbi* Peñ. *d. comment.* 46.

7 Post latam sententiam, si huiusmodi impœnitentes dicant quòd volunt conuerti & abiurare, poterunt in aliquo casu raro ex misericordia recipi; regulariter tamen non admittantur, nisi quoad spiritualem reconciliationem, & non comburantur viui. Eymeric. *de rubr. num.* 204. Peñ. *d. comment.* 46. Albert. *in cap.* Quoniam. *de hær. in* 6. *quæst.* 12. *num.* 16.

8 Impœnitenies non sunt absque processu tradendi curiæ seculari, quidquid alij velint. Farinac. *& quæst.* 196. *num.* 30.

CAPVT XLVII.

De condemnatione hæretici impœnitentis & relapsi.

1 SI relapsus impœnitens iudicialiter confessus vel conuictus conuerti velit, admittendus est, & antequam curiæ seculari tradatur, ministretur ei sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ, sicut de relapsis pœnitentibus dictum est. Si verò non conuertatur, relaxetur curiæ eo modo, quo impœnitentes relaxantur. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. de vndecimo modo terminandi proces. num.* 205. Peñ. *ibi comment.* 47.

CAP.

CAPVT XLVIII.

De condemnatione hæretici conuicti persistentis in negatiua.

1 QVando aliquis conuincitur facti euidentia vel testium legitima productione de hæresi, vel facto aut dicto hæreticali, vel quod facit suspicionem contra fidem, ipse tamen firmiter persistit in negatiua, & constanter confitetur catholicam fidem Romanam, dicitur hæreticus negatiuus seu impœnitens. Similiter etiam censetur negatiuus, qui non plenè confitetur. Eymer. 2.p. *Direct. quæst.* 34. & 3.p. *rubr. de duodecimo modo terminandi processum. vbi* Peñ *comment.* 48. & 59. Farin. *de hær. quæst.* 178. §. 1. *nu.* 20. & *quæst.* 196. *num.* 16.

2 Qui conuictus de hæresi quam dixit, aut de facto hæreticali, ex quo hæreticus, vel hæreticorum credens iudicari possit, & persistit in negatiua, vt negatiuus & impœnitens tradendus est curiæ seculari nonnullis conditionibus concurrentibus. Peñ. *d. com.* 48. *vers.* Quod si quis quærat. & *seqq.* Farin. *citatis locis.*

3 Prima conditio est, quòd conuincatur de vera & formali hæresi, aut de facto, ex quo hæresis, apostasia, aut credentia consurgit; non tamen de assertione scandalosa & temeraria, malesonante & similibus, ex quibus colligatur solùm leuis aut vehemens suspicio; quia tunc pro qualitate suspicionis punietur. Peñ. *d. comment.* 48. & *d. comment,* 59. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 22.

4 Secun-

4 Secunda, quòd verba aut facta sint certa & clara, non verò dubia, quæ faciant duplicem sensum, alterum catholicum, alterum hæreticum, aut quæ in bonam, & in malam partem possint accipi; quia benignè hæc interpretanda sunt, nisi aliter ex circunstantiis appareat. Peñ. *d. comm.* 48. Farin. *d.* §. 1. *num.* 22. *vers.* Alterum.

5 Tertiò, quòd conuincatur per testes idoneos, ac omni exceptione maiores, & non suspectos. Peñ. *d. com.* 48. *vers.* Tertium. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 22.

6 Quarta, quòd dictum vel factum non sit ita antiquum, vt præsumi possit reum illud obliuisci. Peñ. *d. comment.* 48. *vers.* Quartum. *& 2. p. comment.* 59. Farin. *d. num.* 22.

7 Quinta, quòd reus conuincatur dixisse se illa credere, esseque ab aliis credenda; cùm verba hæreticalia multis modis sine credulitate dici possint. Albertin. *de agnos. quæst.* 34. *num.* 51. *&* 52. Peñ. *d. comment.* 48. *vers.* Postremum est. Farinac. *d. num.* 22.

8 Quando obliuio præsumatur, dictum est suprà *lib.* 1. *cap.* 16. *à num.* 5.

9 In causis quæ insignes & arduæ non sunt, quantum tempus exigatur, ad hoc vt præsumatur obliuio, licèt multi decennium determinent, probabilius est iudicis arbitrio relinquendum esse. Rojas *de hæret. p.* 1. *num.* 90. *& seq.* Peñ. *d. comment.* 59. *versic.* In cæteris verò.

10 Ad hoc vt huiusmodi arbitrium rectum sit, diligentissimè multa consideranda sunt, quia agitur de vita hominis. Nimirum delinquentis ingenium, an sit obliuiosus, stupidus, an verò tenax & memoratus; item qualitas delicti graue ne an leue sit, anti-

quum

quum aut recens, frequenter aut rarò commissum. Peñ. *d. comment. 59. vers.* Ego ab hac.

11 Diminutus qui confitetur de se, non tamen omnes suos errores, nec omnes complices reuelauit, tradendus est curiæ seculari; dummodo etiam circa illa obliuio non præsumatur, & diminutio plenè probetur. Simanch. *cathol. tit. 48. num. 27. & seq.* Rojas *de hær. p. 2. num. 235. & seqq.* Peñ. *d. comment. 59. vers.* Ex his possumus colligere, *& vers.* Contraria verò. Farin. *de hær. quæst. 196. num. 17.*

12 Si diminutio non plenè probetur, & considerabilis sit ac non modica, danda est reo tortura, iuxta probationis qualitatem. Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hær. cap. 1. num. 57.* Farinac. *de hær. quæst. 185. §. 8. num. 133.*

13 Diminutus similiter censetur, qui non confitetur omnes qualitates, quæ respiciunt veram & formatam hæresim; & item qui non confitetur tempus errorum, quando obliuio nullo modo præsumitur, sed potiùs malitia. Simanch. *d. num. 28.* Farinac. *d. num. 17. & 18.*

14 Circa tempus à parte ante facilè, saltem regulariter præsumi potest obliuio. Complicum obliuisci posse reum præsumendum est, si remoti sint, & cum quibus semel vel rarò conuersabatur, præsertim si confitetur de consanguineis, & propinquis. Item si confiteatur præcipuos errores, aut circunstantias & qualitates illorum, minores verò taceat, præsumi potest obliuio. Peñ. *d. comment. 59. vers.* Ex his possumus. Sic sustineri possunt. Rojas *d. part. 2. assert. 22. num. 240. & seqq.* Decian. *crimin. lib. 5. cap. 35. num. 10. & 16.* Farin. *d. num. 18.*

15 Qui

15 Qui hæresim profitetur & prædicat, si dicat non credidisse hæresim, sed propter aliquod commodum temporale prædicasse, non est credendus, sed tradendus curiæ seculari. Farinac. *de hære. quæst.* 179. §. 4. *num.* 49.

16 Qui hæreticale factum exercet, aut hæreticalia verba profert, quæ excusationem non habent, de quibus est conuictus non ex confessione sua, si negat intentionem, tradendus est tamquam negatiuus curiæ seculari. Farinac. *de hær. quæst.* 179. §. 4. *à num.* 49. *vsque ad fin. præsertim. num.* 60.

17 Quando factum hæreticale exercens, aut verba hæreticalia proferens, habet contra se aliquam probationem, nec est plenè conuictus, nisi ex confessione propria, & confitens factum negat intentionem, super intentione torquetur, & si in negatiua perseuerat, debet de leui vel vehementi abiurare, iuxta suspicionis qualitatem. Idem est dicendum, quando verba vel factum non sunt ita manifesta, quin aliquam admittant excusationem. Simanch. *cathol. tit.* 65. *num.* 52. Albert. *de agnosc. quæst.* 36. *circa finem.* Peñ. 3. *part. Direct. ad quæst.* 61. *comment.* 110. *vers.* Ad hæc. Farin. *d.* §. 4. *à num.* 55. *vsque ad* 61.

18 Cùm aliquis non est delatus, sed sponte se offert confitens factum aut verba hæreticalia, negans tamen intentionem, credendus est, nec est cogendus abiurare, nisi ex circunstantiis aliqua oriatur suspicio.

19 Ad cognoscendum, ad iudicandum vel præsumendum an faciens actum hæreticalem aut proferens hæreticalia verba, negando intentionem vel excusando, verum dicat, nonnulla consideranda sunt. Nimirum,

Nimirum, vtrùm interuenerit metus, & qualis, an cadens in virum constantem an non; vtrùm proueniat factum vel dictum ex aliqua affectione, cupiditate videlicet, ira, odio, amore, ioco, & similibus. Qualitas item personæ consideranda est, simplex ne sit an docta, Ecclesiastica vel secularis, vir aut fœmina, iuuenis an ætate prouecta. Peñ. 1. *part. Direct. ad quæst.* 9. *comment.* 24. *&* 2. *part. ad quæst.* 34. *d. comment.* 59. *&* 3. *part. comment.* 17. *versic.* Modus proferendi. Farin. *d.* §. 4. *num.* 62.

20 Quando negantes intentionem excusantur ab hæresi propter circunstantias concurrentes, siue abiurent suspicionem siue non, aliquę pœnæ seu pœnitentiæ pro qualitate culpæ imponendæ sunt publicè vel secretè, secundùm circunstantias occurrentes, potest etiam eis imponi pœna pecuniaria. Rojas *singul.* 103. *num.* 5. Simanch. *catholic. tit.* 17. *num.* 23. *& seqq.* Peñ. *d. comment.* 17. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 63. *&* 64.

21 Qui in tormentis prauam intentionem quam priùs negabant, confitentur, si volunt reconciliari, abiurant in forma hæreticorum. Quòd si non spontè venerunt, perpetuo carceri mancipantur. *Si* autem spontè se præsentarunt, abiurant & dimittuntur liberi; attamen vtrisque pro qualitate culpæ salutaris imponitur pœnitentia. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 59. *verf.* Sed videamus, *& seqq.*

22 Impœnitens etiam & negatiuus censetur, qui hæresim confessus, factam confessionem, ante adimpletam pœnitentiam, reuocat, non probans causam talis reuocationis: & nisi resipiscat, tradendus est curiæ seculari. Simanch. *catholic. tit.* 13. *num.* 25. Rojas *de hæret. part.* 2. *num.* 255. *& seqq. assert.* 25. Decian. *crim.*

lib. 5. cap. 55. num. 14. Farinac. *de hæresi quæst.* 197. *num.* 20. 22. & 24.

23 Qui de hæresi factam confessionem reuocat post adimpletam pœnitentiam, vt temerarius puniendus est Inquisitoris arbitrio, & nonnumquam fustibus castigari debet, addita commination gratioris pœnæ, si deinceps in eamdem temeritatem inciderit. Simanch. *dict. tit.* 13. *num.* 26 & *tit.* 60. *num.* 8. & in *Enchirid. tit.* 29. *num.* 11. Farinac. *dict. quæst.* 197. *num.* 21. & 23. Intellige dummodo in reuocatione non persistat Si tamen persistat, tradendus est vt impœnitens.

24 Negatiui in duro carcere detinendi sunt, ac sæpè admonendi, & ab Inquisitoribus, & ab aliis mittendi ad ipsos, quòd fateantur veritatem, & reconcilientur Ecclesiæ; aliàs quòd tradentur seculari curiæ. Eymeric. 3. *part. Direct. rubr. de duodecimo modo termin. proces. num.* 207.

25 Si sic moniti adhuc in negatiua persistant, examinentur de nouo testes: qui si persistant in affirmatiua, possunt iterum examinari, ac eorum mores perscrutari; si testes vacillent, vel aliàs contra eos indicia aliqua insurgant, quæ illos reddant suspectos, arrestrent eos, & puniant, prout iuris fuerit. Eymer. *d. rubr. num.* 108. Peñ. 3. *part. comment.* 48.

26 Si reus persistat in negatiua, & omne periculum cessat, & magna adest causa, recto Inquisitorum arbitrio confrontari possunt testes. Simanch. *in Enchirid. tit.* 35. *num.* 16. Eymer. *d. rubr. num.* 209. *vbi* Peñ. *comment.* 48. *vers.* Sit ergo. & *seqq.* & *eadem* 3. *part. tit. de cautelis. num.* 101. *vbi etiam* Peñ. *comment.* 2[illegible].

27 Securè potest fieri confrontatio, quando testes

stes sunt complices eiusdem criminis cum reo, quia non tàm confrontantur vt testes, quàm vt complices Item quando & testes, & rei vilissimæ sunt personæ, quæ parùm curant bonam vel malam habere famam; procul tamen absit periculum. Peñ. *d.* 3. *part. comment.* 48. *vers.* Sit secundum, *& seq.*

28 Quando complices eiusdem criminis confrontantur cum reo, non producantur simul ad confrontationem, sed singuli per se ponantur coram eo & interrogentur, & si variant in loco & tempore, præsumptio est esse falsos, totúmque notarius scribat Peñ. *d. comment.* 48. *vers.* Postremo vbi.

29 Non solus Inquisitor confrontationem fieri decernat, sed adhibito consilio Episcopi, & peritorum, & tandem supremus Senatus consulatur. Peñ. *d. comment.* 48. *versic.* Iam in confrontatione.

30 Antequàm negatiuus condemnetur, considerandum est, an habuerit vitam bonis moribus ornatam an è contra; qualitas etiam testium & rei delati. Detinendus est reus per vnum vel plures annos, quo tempore expectato si fateatur, & velit reconciliari, reconciliandus est, abiurato errore; si autem abiurare nolit, tradendus est curiæ seculari. Eymeric. *d. rubr. de duodecimo modo termin. proceſſ. num.* 208. *vbi* Peñ *d. comment.* 48.

31 Si testes iterum examinati aut confrontati reuocant suum dictum, & reus in negatiua perseuerat, dimittendus est vt innocens: testes verò grauiter puniantur. Eymer. *d. num.* 208. *& eadem* 3. *part. quæſt.* 73. *vtrobique.* Peñ. *comment.* 48. *&* 122.

32 Testium pœna erit carceratio perpetua, stare ad portam Ecclesiæ discooperto capite, fustigari, mit-

ti ad triremes, imo & pro qualitate nocumenti curiæ ſeculari tradi Eymer. *d. rubr. num.* 209. Peñ. *d. commen.* 122. *verſ.* Sed iam qua pœna. *vſque ad fin. quæſt.*

33 Si teſtes in affirmatiua, reus verò in negatiua perſiſtant, tradatur curiæ ſeculari. Eymer. *d. num.* 208.

CAPVT XLIX.

De condemnatione conuicti de hæreſi contumaciter abſentis, vel fugitiui.

ABſentes vel fugitiui tunc dicuntur contumaces, quando citati legitimè ad reſpondendum de fide, elapſo citationis tempore comparere nolunt. Et hi vt veri hæretici aut præſumpti & impœnitentes tradendi ab Inquiſitoribus ſunt ſeculari curiæ. Eymeric. *3. par. Direct. rubr. de tertiodecimo modo terminandi proceſſum. num.* 212. *vbi* Peñ. *comment.* 49. Simanch. *cathol. tit.* 2. *num.* 1. *& ſeqq.* Farin. *de hæreſi qu.* 185. §. 7. *num.* 93. *& ſeq.*

2 Deprehenſus in hæreſi confeſſione propria, facti euidentia, vel teſtium legitima productione, ſi fugiat aut ſe abſentet, & legitimè citatus non compareat, tradendus eſt curiæ ſeculari tamquam verus hæreticus, contumax & impœnitens. Eymeric. *d. num.* 212. *ex cap.* Ad abolendam. § Præſenti. *de hæret. in 6.*

3 Si tamen non ſit de hæreſi conuictus, ſed ſolummodo inuenitur leuiter ſuſpectus de hæreſi, citandus eſt reſponſurus de fide: quòd ſi non compareat, excommunicetur, & ſi ſic excommunicatus per annum

annum in excommunicatione perseueret, tamquam hæreticus præsumptus curiæ seculari tradatur. Eymeric. *d.num.* 212. *ex cap.* Cum contumacia. *& cap.* Vt Inquisitionis §. Prohibemus. *de hær. in 6.*

4 Similiter etiam traditur curiæ seculari vt præsumptus hæreticus & impœnitens ille, qui directè impediuit iudicium, sententiam, seu processum fidei ab Episcopo vel Inquisitore factum; vel qui ad hoc dedit auxilium, consilium vel fauorem, & contumaciter se absentauit. Talis cùm sit ipso iure excommunicatus, si per annum excommunicationem sustineat, præsumitur hæreticus. Eymer. *d.num.* 212. *ex dict. cap.* Vt Inquisitionis. *d. etiam* §. Prohibemus. *de hær. in 6.*

5 Si absens conuictus de hæresi sit condemnandus, citandus est peremptoriè ad omnia & singula iudicij acta, vt infra triginta dies compareat, alias quòd sua causa vsque ad finalem sententiam iudicabitur in singulis edicti terminis fiscalis libellum accusatorium edat; cùm de crimine constiterit, condemnetur, & eius statua comburatur. Eymer. *d. rubr. num.* 213. *vbi* Pen. *d. comment.* 49. *& eadem 3. p. ad quæst.* 42. *comm.* 91. *verf.* Secundus modus. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 102.

6 Quando absens non est verè hæreticus, sed solùm de hæresi suspectus, citandus est ad modum explicatum, addita excommunicatione, vt compareat, ipsius autem non comparentis contumaciam accuset fiscalis, & petat literas seu libellos aggrauatorios, quibus denuntietur eius contumacia, & tunc non comparentem declarent Inquisitores hæreticum. *Cap.* Cum contumacia. *de hær. in 6.* Eymer. *dict. num.* 213. Pen. *d. com.* 91. *verf.* Possunt autem.

7 Qui elapso anno, quo contumaciter in excom-

municatione perseuerauit, etiam si coactus, & post combustam eius statuam comparuerit, audiendus est, quantum ad excusationem criminis, & probationem innocentiæ; non verò ad hoc vt bona recuperet, nisi vel de innocentia eius, vel de iusto impedimento legitimè constiterit: innocentia tamen non probata, si abiurare velit, reconcilietur, præmissa abiuratione, provt iuris fuerit, nisi sit relapsus Eymer. *d. rubr. num.* 215. *vbi* Pen. *com.* 49. Simanch. *cathol. tit.* 2. *num.* 20. & 21. *& tit.* 14. *num.* 10. Sanch. *Decalog. tom.* 1. *cap.* 20. *num.* 28. Farin. *d.* §. 7. *num.* 103. 106 *& seq.*

8 Quamuis Inquisitor possit prædictum contumacem statim non realiter, sed fictè (cùm absens sit) curiæ seculari tradere, mitiùs tamen aget si solùm declaret ipsum esse contumacem, non tradendo illum curiæ, vt quoties reuerti voluerit, possit ad misericordiam admitti. Eymeric. *d. num.* 215. *vbi* Peñ. *dict. com.* 49.

9 Si contumax sit clericus, & tradatur curiæ seculari, prius est verbaliter degradandus; quia non realiter, sed fictè traditur. Qui si à potestate laica postea apprehendatur, potest, iuris rigore inspecto, sine actuali degradatione puniri: tutius tamen est, vt prius actualiter degradetur. Eymer. *&* Peñ. *proximè cit. locis.*

10 Bene facient Inquisitores, si in sententiis contra absentes contumaces præcipiant, vt capti à potestate seculari, ante pronuntiationem sententiæ coram ipsis Inquisitoribus præsententur. Peñ. *d. com.* 49. *vers.* Iam Magistratus.

11 In crimine hæresis pro absente citato procurator comparens admittitur vt defensor innocentiæ, dummodo res sit dubia, & inquisitus sit solùm de

hæresi

hæresi suspectus. Si verò sit verè hæreticus, ac de hæresi in processu constet, tunc non admittitur vt defensor innocentiæ, admitti tamen debet ad excusandam contumaciam, & allegandas absentiæ causas. Peñ. 3. *par. Direct. com.* 36. *num.* 139. Simanch. *cathol tit.* 52. *nu.* 4. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 50. *& cap.* 51. *num.* 16. Farinac. *de hær. quæst.* 185. §. 7. *num.* 98. *& 99.*

12 Inquisitores possunt citare absentes, etiam extra suum territorium; cùm statuta laicorum siue in procedendo, siue in puniendo in crimine hæresis locum non habeant. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 104. *& seqq.*

13 Quando absens citatur, si causa sit leuis, exprimi potest in citatione, quòd veniat responsurus de fide; si tamen sit grauis, hoc taceatur, nisi procedatur ad condemnationem. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 53. *num.* 131. Farin. *d.* §. 7. *num.* 112. *& seqq.*

14 Si absens inueniri facilè possit, citandus est personaliter: si tamen latitat, per edicta citari & vocari debet. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 116.

CAPVT L.

De condemnatione memoriæ defuncti hæretici.

1 NVllo vnquam tempore præscribit actio procedendi contra hæreticum. Simanch. *catholic. tit.* 18. *num.* 14. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 92. *vers.* In qua difficultate. Sanch. *Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 42. Param *de Origine Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *tit. de ordine ind. sancti Offic. num.* 83.

2 Quidam volunt quinquennio præscribi, alij tempore quadraginta annorum: quos refert Farinac. *de hær.quæst.*193.§.4.*num.*112.*& seqq.*

3 Contra defunctum hæreticum vel apostatam inquiri & procedi potest, eiúsque memoria damnari. Simanch.*cathol.tit.*4.*num.*4.*& tit.*18.*num.*1. *& seqq.* Eymeric.3.*part.Direct.num.*43.*vbi* Peñ.*d.comment.*92. *vers.* In crimine tamen. Farinac. *de hær.quæst.*197.§.4. *num.*86.*& seqq.*

4 Damnatur memoria defuncti, qui accusatus vel in carcere detentus propter hæresim, se ipsum interfecit: quia ex hoc præsumitur conuictus, nisi filij aut hæredes probent, quòd non se occidit ex conscientia criminis. Peñ.*d. comm.* 92. *vers.* Quòd ipsum. Farin.*d.*§.4.*num.*90.

5 Contumax qui per annum in excommunicatione ex causa fidei perstitit, si elapso anno moriatur, damnatur eius memoria. Clar.*in pract.* §.Hæresis.*num.* 21. Decian *crim. lib.*5.*cap.*57.*num.*6. Farin. *d.*§.4.*num.*93.

6 Instituens hæreticum hæredem condemnari potest post mortem. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 97. *& quæst.* 190.§.8.*num.*114.

7 Credentium erroribus hæreticorum, qui vt hæretici puniuntur, damnatur similiter memoria post mortem. Peñ. *d. comment.* 92. *vers.* Cæterum si prædicti. Decian. *dict. cap.*57.*num.*6. Farin. *dict.* §. 4. *num.* 105.

8 Defensorum, fautorum & receptatorum hæreticorum memoria non damnatur post mortem. Peñ.*d.comment.*92.*vers.* Alterum caput. Decian. *d.lib.* 5.*cap.*51.*num.*37. Farinac.*d.*§.4.*num.* 104.

9 Quando

9 Quando damnatur memoria defuncti, eius ossa exhumuntur, si discerni possint ab aliis, & comburuntur, sicut & eius statua. Simanch. *cathol. tit.* 4. *num.* 4. *& tit.* 18. *num.* 8. Peñ. 3. *part. Direct. dict. comment.* 92. *vers.* Contra verò fiet. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 94. *& 96.*

10 Vt alicuius memoria damnetur post mortem, non sufficit quòd viuens fuerit accusatus, sed debet hæresis plenè probari. Simanch. *cathol. tit.* 62. *num.* 6. *tit.* 18. *num.* 13. *& tit.* 46. *num.* 77. Peñ. *d. commen.* 92. *vers.* Ad primum. Farin. *d.* §. 4. *à. num.* 99. *vsque ad* 103.

11 Vt defuncti memoria damnetur, pleniores & clariores probationes requiruntur. Simanc. *cathol. tit.* 18. *num.* 12. 13. *&* 19. Rojas *de hær. part.* 2. *num.* 30. Peñ. *d. com.* 92. *vers.* In hac causa. Farin. *d.* §. 4. *n.* 220.

12 Quando memoria defuncti damnatur, citandi sunt eorum filij & hæredes, & generaliter omnes qui eam volunt defendere; cum ad illam defendendam quilibet admittatur. Si nullus appareat defensor, Inquisitores idoneum defensorem eligant. Simanch. *d tit.* 18. *num.* 15. *&* 17. Peñ. *d. comment.* 92. *vers.* Hæc autem accusatio. *vers.* Cùm reus moritur. *vers.* Termino elapso. *vers.* Illud præterea. Farin. *d.* §. 4. *num.* 106. *&* 108.

13 Hæretici pœnitentis memoria non damnatur. Locat. *in Iud. Inquis. verbo* Cadauera. *num.* 1. *& verbo* filij *num.* 13. Farin. *d.* §. 4. *num.* 121. *& quæst.* 193. §. 1. *num.* 21.

14 Si quis suspectus de hæresi in vita processatus, lite pendente, moriatur, possunt Inquisitores contra illum procedere, & condemnare vt

suspectum, vel absoluere, non tamen pœnam pecuniariam imponere hæredibus propter solam suspicionem. Simanch. *catholic. titul.* 18. *num.* 13. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 6. Farin. *d.* §. 4. *num.* 100.

15 Hæreticus cuius memoria post mortem damnatur, declaratur excommunicatus, eius bona confiscantur infrà tempus præscriptionis, & ipse ac eius filij & nepotes incurrunt pœnas contra ipsos statutas. *Vide* Farinac. *dict.* §. 4. *num.* 91. *& 92. & per eum citatos.*

†

APHO-

APHORISMORVM.

LIBER III.

DE POENIS HÆRETICORVM, ET EORVM CRIMINVM, QVÆ Inquisitorum iurisdictioni subiiciuntur.

CAPVT I.

De pœnis hæreticorum ordinariis communia.

POEna in sui ratione tria importat; quòd sit contra voluntatem;& propter culpam ; & quòd sit passio ab extrinseco.S.Tho.1.2.*quæ*.46.*art*.6. *ad* 2.*& de malo quæst*.1.*art*.4. Tabiena *verbo* Pœna. *in principio.*

2 Secundùm Canonistas accipitur pœna strictè, pro ea quæ est corporis afflictiua : latè,pro omni illa, quæ priuat ab aliquo legitimo. Panorm. *in cap.* Inter alia.*de immunitate Ecclesiarum.*Tabiena *d.verbo* Pœna. *num.*9.Armil.*eodem verbo num.*2.

3 Pœna igitur apud Iurisperitos est *delictorum debita coercio vel satisfactio, quæ a lege aut a ministris imponitur.*

ponitur. Azor *in Summ. de pœnis. l.* Si pœna. *ff. de pœnis.*

4 Pœnæ aliæ sunt spirituales, aliæ corporales. In spiritualibus numerantur excommunicatio, irregularitas & suspensio. Corporales dicuntur, quæ corpus quomodolibet respiciunt, vt mors, exilium, carcer, & bonorum publicatio. Tabien. *dict. num.* 6. Armil. *dict. num.* 2.

5 Diuiduntur etiam pœnæ in ordinarias seu à iure determinatas, & in extraordinarias seu arbitrarias. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 40. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *cap.* 10. *& seqq.*

6 Pœnæ ordinariæ ad quatuor capita reducuntur: aut enim sunt spirituales propriè, quæ animam concernunt, vt Ecclesiasticæ censuræ; aut corporales, provt spiritualibus propriè dictis opponuntur. Et hæ vel respiciunt corpus tantum, vel famam & dignitatem, vel bona & fortunas. Decian & Azor *citat. locis.*

7 Pœnæ arbitrariæ multiplices assignantur: de quibus inferiùs agendum est. Farin. *de hæresi quæst.* 193. §. 4.

8 Iustam esse hæreticorum punitionem constat ex sacra Scriptura, ratione naturali ostenditur, & legibus Ecclesiasticis ac ciuilibus comprobatur. San. Thom. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. Hosius *de Ceremoniis cap.* 91. Simanch. *cathol. inst.* 46. *num.* 9. *& seqq.* Azor *d. lib.* 8. *cap.* 13. Sanch. *Decal. lib.* 2. *cap.* 9.

CAP.

CAPVT II.

De pœna excommunicationis.

1 PRima & præcipua hæreticorum pœna est excommunicatio maior, quam ipso facto incurrunt, estque hæc excommunicatio post Bullam Cœnæ Summo Pontifici reseruata, cùm ante illam reseruata non esset. Azor *tom.* 1 *.inst.moral.lib.*8.*cap.*10. *quæst.*1.Sanch.*in opere moral.tom.*1.*lib.*2.*cap.*9. *num.* 2. Farinac.*de hær.quæst.*192.§.1. *num.* 1. *& seqq.*

2 Non ex eo quòd quis excommunicationem incurrit propter hæresim, vitandus est tamquam nominatim excommunicatus. Sanch.*d.cap.* 9.*num.*3.

3 Casus in quibus huiusmodi excommunicatio incurritur, declarantur suprà *lib.*1.*cap.*15.

4 Contra schismaticos etiam non hæreticos, ac etiam purè externos, lata est excommunicatio in Bulla Cœnæ Summo Pontifici reseruata. Dixi *in relectione de censuris Bullæ Cœnæ cap.*2.*disp.*8.*&* 9. Farinac. *de hær.quæst.*184.§.2.*num.*1.*& seqq.*

5 Credentes, receptatores, fautores, & quilibet hæreticorum defensores excommunicantur in Bulla Cœnæ, ac etiam qui eorum libros hæresim continentes scienter legunt, iuxta ea quæ tradita sunt suprà *lib.*1.*à cap.*21.*vsque ad* 25. Dixi *in d.cap.*2.*à disp.*8. *vsque ad* 17.

6 Impedientes officium sanctæ Inquisitionis in excommunicationem incidunt. Diximus suprà *lib.*1. *cap.*28.

7 Sortilegus, diuinator, magus & maleficus, si hæresim

hæresim coniunctam habuerint, ipso iure sicut hæretici excommunicationem incurrunt; si tamen hæresim coniunctam non habeant, excommunicandi sunt. Suar. *de statu relig. tom. 1. tract. 3. lib. 2. rubr. de superst. cap. 19. num. 2. 7. & 8.* Sanch. *d. lib. 2. cap. 38. num. 90. & seqq.* Farin. *de hær. quæst. 192. §. 1. num. 12.*

8 Perseuerans in excommunicatione per annum, quando citatur ad respondendum de fide, tamquam præsumptus hæreticus punitur, iuxta ea quæ diximus suprà *lib. 2. cap. 49. à num. 3 & lib. 1. cap. 27.* Si tamen non citatur in causa fidei, solùm reputatur suspectus, & abiurat de leui. Farin. *d. quæst. 192. §. 2.*

9 Vt quis iudicetur hæreticus ex perseuerantia per annum, requiritur quòd lata sit excommunicatio, probabili aliqua suspicione præcedente. Annus incipit à die latæ sententiæ seu declarationis, vel notoreitatis censuræ incursæ. Albert. *in rubr. de hær. in 6. quæst. 13. num. 35. & seqq.* Farinac. *dict. §. 2. num. 26. & seqq.*

10 Annus etiam non interpolatus sed continuus esse debet. Rojas *singul. 60. num. 3. &* 4. Simanc. *cathol. tit. 14. num. 3.* Farinac. *d. § 2. num. 30.*

11 Moriens ante elapsum annum, non condemnatur vt hæreticus, neque eius bona confiscantur, nisi esset plenè conuictus. Albertin. *dict. quæst. 13. num. 39.* Simanch. *dict. titul. 14. num. 4.* Decian. *crimin. lib. 5. capit. 32. numer. 10.* Farinac. *dict. §. 2. num. 36. & 37.*

CAP.

CAPVT III.

Hæretici carent Ecclesiastica sepultura, & de pœna sepelientium eos.

1 HÆretici & eorum credentes, fautores, & defensores, ac receptatores priuantur Ecclesiastica sepultura, sicut etiam instituens eos hæredes. Simanch. *cathol. tit.* 18. *num.* 7. *& seqq.* Peñ. 3. *part. Direct. ad quæst.* 40. *num.* 89 Farinac. *de hæresi quæst.* 192. §. 3. *num.* 38. *& seqq. & quæst.* 190. §. 8. *num.* 107.

2 Qui in carceribus pro hæresi aut hæresis suspicione detenti se ipsos occidunt, Ecclesiastica carent sepultura. Peñ. *d. comment.* 89.

3 Si de facto hæretici in sepultura Ecclesiastica sepeliantur, exhumari debent, dummodo eorum ossa possint discerni ab ossibus catholicorum. Peñ. *dict. comment.* 89. *vers.* Quòd si quandóque. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 41. *num.* 6. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 41. *&* 42.

4 Tam clerici, quàm laici, qui scienter sepeliunt hæreticos, aut eorum credentes, fautores, defensores & receptatores excommunicationi ipso facto subiiciuntur. Simanch. *cathol. tit.* 18. *num.* 7. Eymer. *d.* 3. *part. quæst.* 40. *vbi* Peñ. *d. comment.* 89. Rojas *singul.* 62. *num.* 5. Decian. *d. cap.* 41. *num.* 6. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 45. *& seqq.*

5 Clerici vltra dictam censuram suo priuantur officio, ad quod absque Sedis Apostolicæ indulto restitui non possunt. *Cap.* Excommunicamus. §. Credentes. *vers.* Sanè clerici. *de hær. vbi* Doctores. Farinac. *d.* §. 3 *num.* 46.

6 Sepe-

6 Sepelientes prædictos sunt de fide suspecti, magis vel minùs, secundùm qualitatem personarum & circunstantiarum occurrentium. Peñ. *d. comment.* 89. *vers.* Sed alterum iam caput. Farin. *d.* §. 3. *num.* 49.

7 Sepelientes non ex causa hæresis, nec in sepultura Ecclesiastica, sed ex amicitia vel consanguinitate, aut ne cadauer putredine aërem corrumpat, si sepeliant extra ciuitatem, non excommunicantur. Peñ. *d. comment.* 89. *vers.* Si quis verè. Farin. *dict.* §. 3. *num.* 50.

8 Sepelientes prædictos ignoranter vel non certò scientes esse hæreticos, sed solùm per famam, non excommunicantur. Vgolin. *de censur. Pontifici reseruatis.* Glossa *verbo* Fautores. *num.* 18. Farin. *d.* §. *num.* 51.

9 Qui prædictos sepelierunt non absoluuntur, nisi eos exhumauerint, licèt vnus tantùm id fecerit, vel alius extraneus: non tamen per solam exhumationem manent absoluti. Peñ. *d. comm.* 89. *vers.* Quòd si quandoque. Decian. *cap.* 41. *num.* 6. Farin. *d.* §. 3. *num.* 41. & 43.

10 Sepultura in qua hæreticus fuit sepultus non debet amplius aliorum esse sepultura. Rojas *singul.* 102. Decian. *d. num.* 6. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 44.

CAPVT IV.

De absolutione ab excommunicatione propter hæresim vel suspicionem illius contracta.

1 AB excommunicatione propter hæresim, etiam externam, potest quilibet simplex sacerdos

sacerdos absoluere in articulo mortis, imò & prima tonsura initiatus. Rojas *de hæret. part. 2. num. 320. asser. 38.* Peñ. *2. par. Direct. comm. 25. vers.* Quod si quis dicat Sanch. *in opere morali tom. 1. lib. 2. cap. 13. nu. 1.* Dixi *in relect. de censur. Bullæ Cœnæ cap. 23. dispu. 100. num. 5.* Farin. *de hæret. quæst. 192. §. 4. num. 62.*

2 Idem dicendum est, secundùm satis probabilem sententiam, & fortè probabiliorem, in probabili mortis periculo, dummodo sit proximum. Sanch. *d. cap. 13. num. 1.* Diximus *dict. cap. 23. disp. 99. num. 3. & seqq.*

3 Si articulus mortis, aut probabile mortis periculum non sit ita proximum, vt statim mors sequatur, sed ferè certum, quòd mors differetur tempore sufficienti ad recurrendum ad Inquisitorem vel Episcopum, vbi Inquisitor non inuenitur, non est hæreticus absoluendus, nisi habita facultate ab Inquisitore vel Episcopo. Simanch. *cathol. tit. 3. num. 3.* Couar. *4. Decret. 1. part. §. 11. num. 8. fin.* Sanch. *dict. cap. 13. num. 3.*

4 Ab hac excommunicatione est hæreticus absoluendus, præmissa cautione saltem iuratoria, aut promissoria. Si tamen constitutus in articulo mortis, eam dare non possit, absolui debet. Sayro *lib. 3. de censur. cap. 25. num. 4.* Suar. *de censur. tom. 5. disp. 21. sect. 3. num. 1.* Diximus *d. cap. 23. disp. 98.*

5 Probabile est posse occultos hæreticos, etiam externos à suis Episcopis absolui extra articulum vel periculum mortis. Opposita tamen sententia tutior est. Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 7. & alij quos citat.* Sanch. *d. lib. 2. cap. 11. num. 27.* Diximus *dict. disp. 100.* Farin. *d. §. 4. num. 61.*

6 In ea sententia, quæ affirmat Episcopum posse absoluere hæreticos occultos, verbum, *occultos* intelligitur prout opponitur probabili in iudicio. Emman. Rod. *in Bulla cruciatæ §. 9. num. 69.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 11. num. 46. & 47.*

7 Quamuis fortè Episcopus possit absoluere in foro conscientiæ hæreticum, qui vnum habet complicem, per hoc tamen non tollitur obligatio denunciandi. Garcia *de benef. part. 11. cap. 10. num. 143. & 144.*

8 Verius ac tutius existimo hæreticum habentem vel vnum complicem aut testem non posse ab Episcopo absolui, etiam in foro conscientiæ; quia probatio in iudicio non potest accipi pro plena probatione. Emman. *d. num. 69.*

9 Ab hæresi purè interna, aut quæ signo externo non sufficienter explicatur, quilibet habens iurisdictionem absoluendi à peccatis, potest absoluere; nisi fortè in aliquo Episcopatu sit reseruata, iuxta ea quæ diximus *in d. relectione cap. 2. disp. 4. & 5.* Farinac. *d. §. 4. num. 60.*

10 Quando Inquisitores iudicialiter absoluunt hæreticos; simul etiam absoluunt eos in foro conscientiæ. Idem est circa excommunicatos propter suspicionem hæresis. Eymeric. *3. part. Direct. num. 59. vbi* Peñ. *comment. 12. & quæst. 122. vbi idem* Peñ. *comment. 171.* Sanch. *dict. lib. 2. cap. 12. num. 1.* Farinac. *d. §. 4. num. 54.*

11 Excommunicatos in causa hæresis aut suspicionis illius, non delati ad forum iudiciale, possunt Inquisitores per se, vel per alios simul, vel quilibet illorum absoluere in foro conscientiæ. Idem possunt commis-

commissarij Inquisitorum per se Grafis *in 1.decis.lib. 2.cap.9.num.5.* Viuald.*in Candelabro in edit.anni 1602. 1 part.tit.11.num.15.* Eymer.*d.3.part.num.61. quos, & alios refert.* Sanch.*d.cap.12.num.1.& seqq.*

12 Non solùm consistorium Inquisitorum, sed quilibet illorum potest hanc facultatem delegare. Sanch.*d.cap.12.num.5.*

13 Cognita causa hæresis, si non imponatur pœnitentia iudicialiter, possunt Inquisitores simul, non verò diuisim committere hæreticum confessori, vt audita eius sacramentali confessione illum ab hæresi absoluat. Bañ.*2.2.quæst.11.art.4. dubio 2.pos. 3. argument.contra secundam concluſ.* Sanch.*d.cap.12.num.6.*

14 Absolutio data hæretico ab Inquisitoribus in vtroque foro inualida est, si hæreticus fictè conuertitur: ita vt posteà resipiscens noua egeat absolutione. Suar.*tom.5.de censur.disp.7.sect.7.num.12.* Sanch. *d.cap.12.num.8.*

15 Hæreticus ab Inquisitoribus absolutus, qui fassus est aliquas hæreses in foro externo, & alias tacuit ex industria, ab illis tantùm manet absolutus quas expressit, ratione verò aliarum manet excommunicatus: quando autem bona fide aliquas hæreses non declarauit, vtpote quia non meminit, manet absolutus ab omnibus. Sanch.*d.cap.12. num.9.*

16 Idem dicendum est, quando scienter tacuit aliquos actus externos, quos circa hæresim confessam exercuit, dummodo actus tacitus sit alicuius momenti, tunc enim non manet ab illis absolutus, secus si parui sunt momenti. Auila *de censur. part.2. cap.6.disp.2.dubio 3.* Sanch.*d.num.9.*

17 Si hæreticus fassus est aliquas hæreses, &

6 In ea sententia, quæ affirmat Episcopum posse absoluere hæreticos occultos, verbum, *occultos* intelligitur prout opponitur probabili in iudicio. Emman. Rod. *in Bulla cruciatæ §. 9. num. 69.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 11. num. 46. & 47.*

7 Quamuis fortè Episcopus possit absoluere in foro conscientiæ hæreticum, qui vnum habet complicem, per hoc tamen non tollitur obligatio denunciandi. Garcia *de benef. part. 11. cap. 10. num. 143. & 144.*

8 Verius ac tutius existimo hæreticum habentem vel vnum complicem aut testem non posse ab Episcopo absolui, etiam in foro conscientiæ; quia probatio in iudicio non potest accipi pro plena probatione. Emman. *d. num. 69.*

9 Ab hæresi purè interna, aut quæ signo externo non sufficienter explicatur, quilibet habens iurisdictionem absoluendi à peccatis, potest absoluere; nisi fortè in aliquo Episcopatu sit reseruata, iuxta ea quæ diximus *in d. relectione cap. 2. disp. 4. & 5.* Farinac. *d. §. 4. num. 60.*

10 Quando Inquisitores iudicialiter absoluunt hæreticos; simul etiam absoluunt eos in foro conscientiæ. Idem est circa excommunicatos propter suspicionem hæresis. Eymeric. *3. part. Direct. num. 59. vbi* Peñ. *comment. 12. & quæst. 122. vbi idem* Peñ. *comment. 171.* Sanch. *dict. lib. 2. cap. 12. num. 1.* Farinac. *d. §. 4. num. 54.*

11 Excommunicatos in causa hæresis aut suspicionis illius, non delati ad forum iudiciale, possunt Inquisitores per se, vel per alios simul, vel quilibet illorum absoluere in foro conscientiæ. Idem possunt commis-

commissarij Inquisitorum per se Grafis *in 1.decis.lib. 2.cap.9.num.5.* Viuald. *in Candelabro in edit.anni 1602. 1 part.tit.11.num.15.* Eymer. *d.3.part.num. 61. quos, & alios refert.* Sanch. *d.cap.12.num.1.& seqq.*

12 Non solùm consistorium Inquisitorum, sed quilibet illorum potest hanc facultatem delegare. Sanch. *d.cap.12.num.5.*

13 Cognita causa hæresis, si non imponatur pœnitentia iudicialiter, possunt Inquisitores simul, non verò diuisim committere hæreticum confessori, vt audita eius sacramentali confessione illum ab hæresi absoluat. Bañ. *2.2.quæst.11.art.4. dubio 2.post 3. argument.contra secundam conclus.* Sanch. *d.cap. 12.num.6.*

14 Absolutio data hæretico ab Inquisitoribus in vtroque foro inualida est, si hæreticus fictè conuertitur: ita vt posteà resipiscens noua egeat absolutione. Suar. *tom.5.de censur.disp.7 sect.7.num.12.* Sanch. *d.cap.12.num.8.*

15 Hæreticus ab Inquisitoribus absolutus, qui fassus est aliquas hæreses in foro externo, & alias tacuit ex industria, ab illis tantùm manet absolutus quas expressit, ratione verò aliarum manet excommunicatus: quando autem bona fide aliquas hæreses non declarauit, vtpote quia non meminit, manet absolutus ab omnibus. Sanch. *d.cap.12. num.9.*

16 Idem dicendum est, quando scienter tacuit aliquos actus externos, quos circa hæresim confessam exercuit, dummodo actus tacitus sit alicuius momenti, tunc enim non manet ab illis absolutus, secus si parui sunt momenti. Auila *de censur. part.2. cap.6.disp.2.dubio 3.* Sanch. *d.num.9.*

17 Si hæreticus fassus est aliquas hæreses, &

alias occultas data opera tacuit, potest ab excommunicatione propter eas contracta absolui ab eo, qui hæreticum occultum absoluere valet. Sanch. *d. num. 9. & cap. 11. num. 21.*

CAPVT V.

Hæretici fiunt irregulares.

1 PRopter hæresim vel apostasiam externam, siue publicam, siue occultam, irregularitas contrahitur. Decian. *crimin. lib. 5. cap. 54. num. 17. & 18.* Pen. *3. part. Direct. ad quæst. 113. comment. 162. vers.* Num autem. *& seqq.* Sanch. *in opere moral. tom. 1. lib. 2. cap. 25. num. 1. & seqq.* Farinac. *de hær. quæst. 192. § 5. num. 67. & seqq. & num. 72.*

2 Hæretici purè mentales non efficiuntur irregulares. Nauar. *in Sum. cap. 27. num. 249.* Suar. *tom. 5. de cens. disp. 43. sect. 1. num. 3* Sanch. *d. cap. 25. num. 4.* Farin. *d. § 5. num. 69.*

3 Apostatæ externi tantùm & ficti specialem incurrunt irregularitatem propriam talis criminis, secundum probabiliorem sententiam Suar. *d. tom. 5. disp. 43. sect. 2. num. 2.* Sanch. *d. cap. 25. num. 5. & 6.* Farin. *d. § 5. num. 73.*

4 Irregularitas in hæreticos lata extenditur ad receptatores, fautores & defensores hæreticorum, etiam occultos, secundùm magis probabilem opinionem, sicut etiam ad administrantes hæreticis sacramenta, dummodo hoc eis præstent, quia hæretici sunt

sunt. Suar. *d. num.* 5. & 6. Sanch. *d. cap.* 25. *num.* 7. 8. & 9. Farinac. *d.* §. 5. *num.* 74.

5 Ob suspicionem contra fidem, quæ non oritur ex facto immediatè concernente hæresim, non incurritur irregularitas propter hæresim imposita, sed ea, quæ sequitur ad notoreitatem criminis enormis; vt ex annua perseuerantia in excommunicatione, ex pacto cum dæmone, ex inuocatione illius, ex petitione responsi, ex cultu absque intellectus errore; dummodo huiusmodi crimina sint notoria. Suar. *d. sect.* 2. *num.* 9. & 10. Sanch. *d. cap.* 25. *num.* 10. & 11.

6 Abiurantes de leui, vel de vehementi propter hæresis suspicionem non manent irregulares; nec inhabiles ad officia & beneficia. Nauar. *lib.* 5. *consil. de hæret. in* 1. *edit. consil.* 5. & 6. & *in* 2. *conf.* 18. & 19. Sanc. *d. cap.* 25. *num.* 12. Farinac. *d.* §. 5. *num.* 80.

7 Hæretici pœnitentes non possunt sine dispensatione Summi Pontificis vel eius Legati quamcumque religionem intrare: & si qui absque tali licentia ante canonicam absolutionem ingressi fuerint, reuocentur. Peñ. *referens consilium Narbonense in* 2. *part. Direct. ad quæst.* 40. *comment.* 65. *vers.* Illud hoc loco. Farinac. *de hæresi quæst.* 193. §. 3. *num.* 69.

CAPVT VI.

De pœna mortis.

1 HÆreticos esse morte plectendos indultum est apud viros Catholicos. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 40. & 42. Farin. *de hær. quæst.* 189. §. 1.

2 Pœna ordinaria hæreticorum ex antiqua consuetudine, est vltimum supplicium per ignem. Clar. *verbo* Hæresis. *num.* 7. Couar. 2. *variar. resolut. cap.* 10. *num. vlt.* Simanch. *catholi. tit.* 46. *num.* 45. Decian. *d. cap.* 42. *num.* 4. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 4.

3 In quibus casibus hæc pœna infligatur hæreticis, ex vi relaxationis curiæ seculari ab Inquisitoribus factæ, dictum est suprà *lib.* 2. *à cap.* 41. *vsque ad* 49.

4 Inquisitores remittentes hæreticos curiæ seculari, non incurrunt irregularitatem, etiam nonadhibita protestatione (non tamen est omittenda protestatio) tum quia relaxatio solùm ordinatur ad mortem ex accidenti propter dispositionem iuris, tum etiam quia Inquisitores solùm remittunt reum à suo foro. Peñ. *in* 2. *p. Direct. com.* 20. *in cap.* Nouimus. *vers.* Idem ipsum. *& seq. de verbor. signific.* Nauar. *in manuali cap.* 27. *num.* 208. *& cap.* 28. *Vide* Farin. *d.* §. 1. *n.* 9. *&* 10.

5 Seculares iudices, quibus hæretici ab Inquisitoribus relinquuntur, non possunt remittere pœnam mortis. Clar. §. *fin. quæst.* 91. *num.* 7. *in fine.*

6 Seculares iudices ex hoc præcisè quòd non imponunt hæreticis sibi relictis pœnam mortis, non excommunicantur; quia talis excommunicatio non reperitur in iure. Si tamen hoc, vt faueant hæreticis faciant, excommunicationem incurrunt latam contra fautores: sicut etiam in excommunicationem incidunt non exequendo Inquisitorum mandatum. *Cap.* Ad abolendam. *de hæret.*

7 Inquisitores non possunt directè procedere contra iudices laicos ex eo præcisè, quòd non imponunt hæreticis sibi relictis pœnam mortis; possunt tamen prædicti iudices à suis superioribus puniri, quia

Quia circa pœnam mortis solus secularis est iudex.

8 Quamuis Inquisitores directè præcipere non possint iudicibus secularibus, vt hæreticos sibi relictos cómburant, iuxta magis tutam sententiam; cùm hoc proprium sit potestatis secularis, possunt tamen illos tanquam hæreticorum fautores punire: eo quòd omissione talis punitionis verè fauent hæreticis. *Vide* Peñ. 3 *p. Direct. ad quæst.* 34. *comment.* 85. *vers.* Quæsitum est. *& duobus seqq.*

9 Si iudex secularis non imponat pœnam mortis per ignem hæreticis sibi relictis, potest Inquisitor, monitione præmissa, per cènsuras illum obligare, vt seruet constitutiones contra hæreticos editas: quòd si monitus adhuc talem pœnam imponere nolit, ad grauiores pœnas contra illum procedendum erit, sicut contra fautorem hæreticorum, consulto tamen supremo Senatu. Peñ. *d. commen.* 85. *vers.* Potest etiam. *& sequenti.*

10 Hæretici pertinaces, impœnitentes, & connicti viui comburuntur. Simanch. *cathol. tit.* 46. *num.* 49. *& tit.* 48. *num.* 6. Baiard. *ad Clar.* §. Hæresis. *num.* 15. Rojas *de hæret. p.* 2. *num.* 360. *& seqq.*

11 Hæretici conuicti & negatiui, si postquam iudici seculari traduntur, coram illo non confiteantur fidem Catholicam, viui comburuntur. Quia cùm constet ipsos esse hæreticos, tacendo, cùm respondere teneantur, pertinaces reputantur. Ita de facto iudicatum fuit ab omnibus Prætoribus Senatus Supplicationis in hac ciuitate Olyssiponensi hoc anno 1629. Dominica 2. Septembris, die 9. eiusdem mensis, cùm in actu fidei tunc celebrato tres homines de genere hæbreorum Christiani noui nuncupati, ab Inquisito-

ribus curiæ ſeculari traditi ſunt propter iudaiſmum, de quo erant conuicti, qui perſiſtentes in negatiua, affirmabant coram ipſis Inquiſitoribus ſe eſſe Chriſtianos, at verò coram iudicibus ſecularibus poſiti, & interrogati de fide, noluerunt reſpondere, & ſic traditi ſunt miniſtris, vt viui comburerentur, & viui combuſti ſunt.

CAPVT VII.

De pœna priuationis famæ & honoris.

1 HÆretici propter hæreſim incurrunt infamiam, & ſi fuerint nobiles, vt viles & plebeij puniendi ſunt. Rojas *ſingul.* 81. Peñ. 1. *part. Direct. comment.* 4. Azor *inſtit moral. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *verſ.* Septima hæreticorum pœna. Farinac. *de hæret. quæſt.* 189. §. 4. *num.* 40.

2 Infames ſunt etiam credentes, receptatores, fautores & defenſores hæreticorum, dummodo in cauſa hæreſis receptent, &c. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 45. Farin. *de hæreſi quæſt.* 184. § 3. *num.* 43. Sanch. *in opere morali tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26 *num.* 3.

3 Hæretici, credentes, &c. non ſolùm ſunt infames ipſo facto infamia iuris, ſed etiam infamia facti. Hanc, niſi crimen fuerit notorium, poſt ſententiam incurrunt Peñ. *d. comment.* 4. Azor *d. cap.* 13. *quæſt.* 7. Sanch. *in opere morali tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 1. Farin. *d. quæſt.* 189. §. 4. *num.* 54. *& ſeqq.*

4 Prædicti hæretici, credentes, &c priuantur ipſo facto omnibus honoribus, dignitatibus & officiis publicis.

blicis. Decian. *d. lib. 5. cap. 43. num. 8.* Peñ. *d. comment. 4.* Azor *d. cap. 13. quæst. 3.* Farin. *d. §. 4. num. 43. & 44.*

5 Priuantur omnibus priuilegiis, quibus fruebantur, quando erant Catholici. Simanch. *cathol. tit. 29. num. 18.* Rojas *singul. 81.* Decian. *d. cap. 43. num. 8.* Farin. *d. §. 4. num. 45.*

6 Priuantur omni actu legitimo, & omnia acta per eos facta sunt nulla, nec agere, conueniri tamen possunt. Simanch. *in Enchirid. tit. 67. num. 4.* Zanchin. *de hæret. cap. 18. num. 3.* Farin. *d. §. 4. num. 46. & seqq.*

7 Non possunt esse iudices, nec arbitri, & causæ coram eis agitatæ & sententiæ nullæ sunt, etiam si communi opinione reputentur fideles. Rojas *singul. 20. & 88.* Simanch. *cathol. tit. 46. num. 58.* Decian. *d. ca. 43. num. 3* Farinac. *d. § 4. num. 49.*

8 Non possunt esse notarij, & instrumenta ab eis facta non valent, nec similiter aduocati. Sylue. *verbo* Hæreticus. §. 1. *num. 16.* Tabien. *eodem verbo num. 21. vers.* Si tabelliones. Simanch. *d. tit. 46. num. 61.* Farinac. *d. §. 4. num. 50. & seqq.* Decian. *d. cap. 43. num. 4. & c ap. 51. num. 79.*

9 Non possunt etiam esse milites. Decian. *d. cap. 43. num. 4.* Farinac. *d. §. 4. num. 53.*

10 Collatio beneficiorum facta hæreticis, credentibus, &c. est irrita, & tenentur statim restituere fructus tamquam iniquè perceptos. Peñ. *3. p. Direct. ad quæst. 113. comm. 162.* Azor *d. cap. 13. quæst. 8.* Sanch. *d. cap. 26. num. 4.*

11 Hæretici reconciliati non ex eo recuperant famam & honores quibus propter hæresim priuantur, sed actualiter dispensari debent. Simanch. *cathol. tit. 47. num. 75.* Peñ. *in 1. par. Direct. commen. 4. ad 1.* Cun-

ctos populos. Cod. *de Summ. Trinit.* Decian. *d. lib. 5. cap. 43. num. 8. Vide* Farina *de hæresi quæst. 193. §. 3. num. 68. qui alios refert.*

CAPVT VIII.

De pœna carceris.

1 HÆreticus, qui postquam deprehensus est, ad fidem conuertitur, si non sit relapsus perpetuo carceri traditur; si tamen sponte veniat, vel post apprehensionem fatetur delictum, antequam testes ei publicentur, non traditur perpetuo carceri. Rojas *de hæret. part. 2. num. 188. & seqq. asser. 16.* Eymer. *3. par. Direct. quæst. 93. vbi* Peñ. *comm. 142. & eadem 3. p. comment. 41. num. 188.* Simanch. *cathol. tit. 47. num. 29. 41. & seqq.* Farinac. *de hæresi quæst. 193. §. 5. num. 101. & 103.*

2 Abiurans de leui aut de vehementi non damnatur ad perpetuum carcerem. Simanc. *d. tit. 47. num. 53. & in Enchiridio tit. 58. num. 7.* Eymeric. *d. 3. part. rubr. de quinto modo termin. proces. num. 172. vbi* Peñ. *d. comment. 42. num. 172.* Rojas *singul. 1. num. 21. & d. 2. part. num. 197. & seq.* Farinac. *d. §. 5. num. 103.*

3 Iis qui perpetuo carceri non traduntur, minuitur de tempore carceris, secundùm quòd citiùs conuertuntur & fatentur delicta sua, & sic etiam iusto Inquisitorum arbitrio commutatur vel dispensatur dicta pœna. Rojas *proximè citatis locis.* Peñ. *dict. 3. part. comment. 142.* Farin. *d. num. 103. & 104.*

4 Hære-

4 Hæreticus veniens antequam denuncietur, vel statim rediens ad fidem post deprehensionem, non est damnandus ad perpetuum carcerem, dummodo non sit notoriè deprehensus in hæresi, nec alios corrumpendi timor adsit. Locatus *in Judic. Inquisit. verbo.* Hæreticus. *num.* 34. *& seqq. & verbo* Inquisitor. *num.* 33 Farinac. *d.* §. 5 *num.* 104. Peñ. *d. comment.* 142.

5 Pœna carceris commutari potest in peregrinationem, vel reclusionem in aliquo monasterio. Simanch. *cathol. tit.* 16. *num.* 5. Peñ. 2. *part. Direct. in cap.* Excommunicamus. 2. *num.* 5. *de hær. & comment.* 46. Farinac. *d.* §. 5 *num.* 104.

6 Quando mulier nupta damnata est ad perpetuum carcerem, potest ei de supremi Senatus consensu assignari pro carcere domus mariti. Peñ. *dict.* 3. *part. comment.* 142. Farin. *d.* §. 5 *num.* 105.

7 Carcer perpetuus pœnitenti hæretico assignandus non debet esse talis, quòd abbreuiet dies incarcerati. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 42. *num.* 14. Farin. *d.* §. 5. *num.* 106.

8 Hæretici ad mortem damnati, confessi vel conuicti possunt retineri in carcere obscuro & tetro, vbi intra paucos dies moriantur. Martin. del Rio *disquisit mag. lib.* 5. *sect.* 7. *vers.* Potest autem capi. Farin. *d.* §. 5. *num.* 107.

9 Condemnatis ad perpetuum carcerem, prouidere debent de necessariis ij, qui bona eorum possident; si verò bona non habuerint, eis prouideatur per Prælatum. Concil. Tolosanum *cap.* 10. *relatum à* Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 46. *vers.* Quod verò dicit.

10 Clericus condemnatus ad perpetuum carcerem,

rem, sicut etiam damnatus in perpetuum ad triremes, actualiter degradandus est; ex consuetudine tamen solùm verbaliter degradatur. Griland. *de hæret. quæst.* 7. Albert. *in cap.* Quoniam. *de hæret. in 6. num.* 55. Pen. *d. comment.* 46. *num.* 202. *per totum.*

11 Hæretici reconciliati damnati ad perpetuum carcerem, admittendi sunt ad audiendam Missam, & ad alia sacramenta; cùm hoc non sit eis prohibitum.

CAPVT IX.

De confiscatione bonorum hæretici.

1 Diuersum quid sunt Annotatio, Confiscatio, & Incorporatio bonorum. Annotatio bonorum est *descriptio bonorum delinquentis fisci nomine ex causa, cum obligatione vel sequestratione eorumdem. L.* 1. *vbi* Glossa. *verbo* Annotatio. *ff. requirend. reis.* Ant. Gom. *ad l.* 76. *Tauri num.* 7. *& de delict. cap.* 9. *num.* 2. Clar. *§. fin. quæst.* 44. *num.* 2. *& seqq.*

2 Annotatio in illis tantùm casibus fit, in quibus confiscatio locum habitura est, ne in detrimentum fisci aliqua occultentur aut surripiantur. Gom. & Clar. *citatis locis.*

3 Confiscatio est *bonorum in fiscum applicatio.*

4 Incorporatio bonorum est, *eorum, quæ ad fiscum sunt delata, eiusdem nomine occupatio, & in corpus bonorum fisci redactio. L.* 3. *l.* Incorporatio. *C. bonis vacantibus lib.* 10.

5 Pœna confiscationis ex multis causis maximè

conuenit

conuenit hæreticis. Primò; quia hæresis plerumque à diuitiarum cupiditate procedit. 1. *ad Thimot. 6.* Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 5.*

6 Secundò; quia cùm hæretici sint cæteris sceleratis peiores, eò magis diuitiæ sunt eis auferendæ, ne per illas noceant. Simanch. *catholic. tit. 9. num. 1. & 2.*

7 Tertiò; quia cùm, vtpote magis carnales, maximè sunt affecti diuitiis, magis deterrentur per earum priuationem, quam nec fugientes facilè euitant. *L.* Bona fides. *vers.* Nam male. *ff. Depositi.*

8 Bona hæreticorum externorum, ac etiam apostatarum, ipso iure sunt confiscata, siue pœniteant, siue non, quamuis ad breue tempus in hæresi vel apostasia perstiterint. Eymeric. *3. p. Direct. q. 109. vbi* Peñ. *comment. 158.* Simanch. *d. tit. 9. num. 21.* Sanch. *Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 1.* Farinac. *tom. 1. de delict. quæst. 25. num. 12. ac de hær. quæst. 190. §. 1. num. 1. & seqq. & §. 10. num. 132. & seqq.*

9 Confiscatio non habet locum nisi in casibus in iure expressis. Authent. *de non eligendo secundò nubentes.* Clar. *§. fin. quæst. 78. num. 5.* Farinac. *de hær. quæst. 193. §. 6. num. 120.*

10 Bona suspectorum de hæresi, siue leuiter suspecti sint, siue vehementer, non publicantur. Reper. Inquisit. *verbo* Confiscatio. *vers.* Item sciendum. & *vers. ic.* Actis quia. Tabiena *verbo* Hæreticus. *num. 5. ad finem.* Farin. *de hæresi d. quæst. 190. §. 1. num. 26.*

11 A die commissi criminis bona hæreticorum censentur confiscata, requiritur tamen sententia non condemnatoria, sed declaratoria criminis; dummodo hæresis notoria non sit: tunc enim solummodo assi-

do assignandus est terminus ad excusandum factum. Simanch. *d. tit. 9. num.* 126. Nauar. *consil.* 20. *num.* 4. *de hæret. lib.* 5. Peñ. *d. comment.* 158. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 14. *& seqq.* Farinac. *d.* §. 1. *num.* 5.

12 Bona hæreticorum confiscantur etiam post mortem, quamuis ipsi in vita delati non fuerint; citandi tamen sunt hæredes propter confiscationis præiudicium. Ant. Gom. *de delictis cap.* 2. *de crimine læsæ maiestatis diuinæ & humanæ. num.* 1. *vers.* Item etiam est pœna. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 4. *&* 7. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 9. *& seqq.*

13 Nomine bonorum hæretici, quæ confiscantur, clauduntur bona mobilia, immobilia, semouentia, iura, actiones, & iura sepulchrorum. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num.* 7. Vasq. 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 5. *disp.* 169. *num.* 3. Azor *instit. moral. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 2. *&* 3.

14 Iura personalia (ea videlicet, quæ non egrediuntur personam) non transeunt in fiscum. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *à num.* 90. *vsque ad* 97. Sanch. *d. c.* 14. *num.* 5. 6. *&* 42.

15 Quæ ad hæredes extraneos non transeunt, nequeunt in fiscum transire; non tamen sequitur. Transit in hæredes extraneos, ergo in fiscum; cùm fiscus propriè hæres non sit, esto sit propriè vniuersitatis bonorum hæretici successor. Peregr *d. tit.* 1. *à num.* 60. *vsque ad* 68. Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 4. *&* 5.

16 Omnia bona quæ hæreticus habebat tempore commissi delicti, & quæ eo durante acquisiuit, confiscantur. Baiard. *in addit. ad Clar. lib.* 5. §. Hæresis. *num.* 19. *& quæst.* 78. *num.* 12. Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 7. *vsque ad* 10. Farin. *d.* §. 1. *num.* 25.

17 Bona

17 Bona acquisita post sententiam reconciliationis publicanda seu confiscanda non sunt. Sanch. & Farinac. *locis proximè citatis idem* Farin. *tom. 1. quæst. 25. num. 138. & seqq.*

18 A die qua hæreticus fecit plenam confessionem coram Inquisitoribus, ita vt nihil supersit ad hoc vt sententia in eius causa pronuncietur, & habeatur pro vero confitente, etiam antequam sententia pronuncietur, non sunt confiscanda bona, quæ eo medio tempore acquisiuit, & hæreditatem sibi relictam potest licitè retinere. Idem dicendum est de bonis sodomitæ confiscandis. Sanch. *d. cap. 14. num. 10.* & Farinac. *d.* § 1. *num. 25.*

19 Si sit dubium, an hæresis, quæ acquisitionem dominij impedit, perseueret, præsumitur perseuerare. Sanch. *d. cap. 14. num. 11.*

20 Ius conditionale descendens ex vltima voluntate, vt hæreditas, legata, aut fidei commissa conditionalia, non publicantur, si conditio post condemnationem impleatur; seu, iuxta superius dicta, postquam cessauit delictum: cùm nulla dispositio conditionalis in vltimis voluntatibus transmittatur ad hæredes, nisi sit ius passiuum (illud nimirum, quod acquiritur ex conditione adimplenda per alium) quia hoc transit in fiscum. Sanch. *d. cap. 14. quæst. 2. num. 15. & seqq* Farin. *tom. 1. de delictis quæst. 25. num. 143. & seq. ac de hær. quæst. 190.* § 1. *num. 13.* Vasq. *1. 2. quæst. 96. art. 5. disp. 169. cap. 1. num. 7.*

21 Si conditio perseuerante hæresi impleatur, prædicta iura conditionalia transeunt in fiscum. Sanch. *num. 20.*

22 Iura & debita conditionalia si descendant ex contractu,

contractu, etiam si impleatur conditio post condemnationem, pertinent ad fiscum; quia iura conditionalia ex contractibus consurgentia transmittuntur ad hæredes. Vasqu. *num.* 5. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 146. Sanch. *num.* 21.

23 Iura actiua contracta ex conditione potestatiua (illa nimirum quæ à sola voluntate illius cui imponitur, dependet) posita in contractu, transeunt ad fiscum, quando fiscus ipse potest conditionem implere ad eundem effectum, quem contrahentes intendunt. Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 25. & 26. Farin. *dict. quæst.* 190. §. 1. *num.* 13.

24 Ius passiuum contractum ex conditione potestatiua in contractu tempore habili celebrato posita, impleta post delictum à contrahente cum reo, non transit in fiscum, quia non retrotrahitur, sed respicit tempus adimpletæ conditionis. Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 24. & 27.

25 Si conditio posita in contractu sit de præsenti, aut de præterito, & res ita se habeat, vt in conditione ponitur, ea bona transeunt ad fiscum: si verò non ita se habeat, euanescit contractus. Anton. Gomez. *tom* 2. *variar. cap.* 11. *num.* 38. *corolar.* 5. & *tom.* 3. *cap. vltimo num.* 2. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 147. Sanch. *d. cap.* 14. *num.* 29.

26 Attento iure communi canonico vel ciuili, hæreticus ante latam sententiam potest acquirere hæreditatem sibi relictam, nec ad illam redditur incapax, etiam post commissum delictum, secundùm probabiliorem sententiam, ac proinde talis hæreditas venit confiscanda. Molin. *tom* 2. *de iustit. disputat.* 658. *num.* 9. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 1.

Sanch.

Sanch. *d.cap.*14.*num.*31.*&* 34.Simanch.*cathol.tit.*47. *num.*7.Tellius *ad l.*4.*Tauri num.*48.*& seq.* Consonat *l.Tauri*77.Ord.Regn.*tit.* 3.§.6.

27 Si alicubi sit lex municipalis,quæ reddat hæreticos incapaces à die commissi criminis,fidei commissum, legatum vel hæreditas illis delata non transit in fiscum.Sanch.*d.cap.*14.*num.*32.*&* 34.

28 Casu quo hæretici sunt incapaces, hæreditas,fideicommissum illis factum,aut legatum illis relictum durante hæresi, non transit in fiscum, etiam post latam sententiam, sed in relinquentis hæredes ab intestato, dummodo interueniat ignorantia hæresis.*Ita* Sanch.*cum per eum citatis.d.num.*32.34.*&* 38.

29 Donatio facta hæretico ab eo qui ignorat illum esse hæreticum, valida est, & bona donata transeunt in fiscum post latam sententiam.Sanch. *d. cap.* 14.*num.*36.

30 Quæ hæreticus suo labore,artificio, aut negotiatione acquisiuit, ad fiscum similiter spectant post latam sententiam. Meres *de maioratu in cap.* Editione.*part.*1.*quæst.*1.*num.*99. Sanch.*d.cap.*14.*num.*37.

31 Relicta vel donata hæretico,ab eo qui nouit ipsum esse hæreticum, confiscantur etiam in opinione dicentium hæreticum esse incapacem ad legatum vel donationem recipiendam;nisi sit verè pauper, & quæ ei relinquuntur aut donantur, habeant rationem eleemosynæ, aut sit legatum alimentorum. Simanch.*cathol.tit.*45.*num.*56.Azor *tom.*1.*inst.moral.lib.* 5.*cap.*8.*quæst.*1.*& lib.*8.*cap.*12.*quæst.*8 Sanch.*d.cap.*14. *num.*38.39.41.*& seq.*

32 Alimenta quæ debentur in futurum pro tempore, quod post sententiam cessit,non confiscantur,

quæ tamen tempore sententiæ debita erant, confiscanda veniunt Idem dicendum est, quando legatum alimentorum est implicitum, sub nomine vsufructus. Farinac *crimin. tom. 1. quæst. 25. num. 146.* Sanch. *dict. cap. 14. num. 42 & seqq.*

33 Quæ debentur ex contractu in singulos annos confiscantur; quia est vna tantùm obligatio; quæ verò ex vltima voluntate debentur soluenda in singulos annos, cùm censeantur plura legata, confiscanda non sunt, iuxta dicta num. præcedenti. Simanch. *catholic. titul. 9. num. 135. & 136.* Sanch. *dict. cap. 14. num. 46.*

34 Hæreditas delata hæretico ante commissum crimen, nondum tamen ante illud adita, non confiscatur, nisi adeundi ius tale sit, vt ad hæredes extraneos transmittatur, aut legitima filijfamilias, qui post obitum patris deliquit, quæ publicatur. Farinac. *dict. quæst. 25 num. 141.* Sanch. *dict. cap. 14. num. 48. & 49.*

35 Tam ante sententiam post delictum hæresis commissum, quàm post sententiam latam potest hæreticus repudiare hereditatem sibi delatam in preiudicium fisci, non tamen in fauorem alicuius, vt vice ipsius alter succedat, dando illi vices suas, qui aliàs non esset successurus. Vasq. 1. 2. *quæst. 96. art. 5. disput. 172. cap. 4. num. 13. & seqq.* Sanch. *d. cap. 14. num. 50. & seqq.*

CAP.

CAPVT. X.

De confiscatione peculiorum, ac legitimæ parentum, ob filijfamilias, ac etiam patris crimen.

1 PEculium castrense (illud nimirum, quod filiofamilias degenti in militia confertur ratione militiæ, aut quod ipse in militia acquisiuit) vel quasi castrense (videlicet illud, quod acquiritur per officium publicum) non confiscatur ob filijfamilias hæresim, sed ad patrem defertur, secundùm probabiliorem & communiorem sententiam. Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. num. 70.* Farin. *tom. 1. de delictis quæst. 23. num. 11. & 13.* Sanch *tom. 1, Decal. lib. 2. cap. 15. num. 4. & 5.*

2 Ob crimen filijfamilias probabilior sententia tenet non publicari bona aduentitia (scilicet quæ acquiruntur ex industria, labore vel donatione, aliunde, quàm intuitu patris facta ex successione, aut quæ casu vel fortuna comparantur) neque quoad proprietatem, neque quoad vsumfructum, etiam si filius consensu patris illa administret, aut ad patrem non pertineat vsusfructus illorum, nisi solùm in spe, vtpote quia relicta sunt filio, vsufructu alteri reseruato. Menoch. *d. remed. 9. num. 66. 87. & 90.* Farinac. *d. 1. comment. quæst. 24. num. 5. & 9.* Sanch. *d. cap. 15. num. 9. & seqq.*

3 Si bonorum aduentitiorum pater non habet vsumfructum, publicantur huiusmodi bona ob deli-

ctum filijfamilias, iuxta probabilem ſententiam, Sanch. *d. cap.* 15. *num.* 14.

4 Peculium profectitium (illud videlicet, quod proficiſcitur à patre, vel eius cauſa proxima & principali, non tamen pertinet ad bellum vel ad officium publicum) non publicatur ob hæreſim filijfamilias, quamuis habeat à patre facultatem illud donandi ac diſſipandi. Menoch. *d. remed.* 9. *num.* 97. Farinac. *dict. quæſt.* 24. *num.* 3. & 4. Sanch. *d. cap.* 15. *num.* 18. & 19.

5 Legitima debita filiofamilias in bonis paternis non confiſcatur, quando ſuperſtite parente filiusfamilias deliquit, imo nec mortuo parente poſt delictum commiſſum. Baiard. *ad Clar. lib.* 5. *quæſt.* 78. *num.* 48. Farinac. *dict. quæſt.* 24. *num.* 16. Sanch. *dict. cap.* 15. *num.* 19. & 21.

6 Si pater aſſignauit & tradidit legitimam filiofamilias, qui poſt hoc in hæreſim incidit, talis legitima confiſcatur. Sanch. *d. cap.* 15. *num.* 20.

7 Ob patris delictum confiſcatur peculium caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe filijfamilias. Sanch. *d. lib.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. Farin. *de hær. quæſt.* 190. §. 1. *num.* 17.

8 Vſusfructus publicatur propter crimen vſufructuarij pro toto eo tempore, quo ipſe delinquens erat illud potiturus. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num.* 19. Farinac. *d. tom.* 1. *quæſt.* 25. *num.* 150. Sanchez *d. cap.* 16. *num.* 4. & 5.

9 Quando expreſsè interdicta eſt vſusfructus alienatio in fauorem tertij qui ſubſtituitur, non publicatur vſusfructus, ob vſusfructuarij delictum, ſed ad ſubſtitutum ſpectat. Sanch. *d. cap.* 16. *num.* 5.

10 Bona aduentitia filijfamilias non publicantur ob paternum delictum, quoad proprietatem, imò neque

neque quoad vsumfructum, quando pater ante delictum eum remiserat. Sanch. *d. cap. 16. num. 9. & 10.* Farin. *de hæres. quæst. 190. §. 1. num. 27.*

11 Si ex delicto patris non amittitur patria potestas, totus vsusfructus quem habebat in bonis filij aduentitiis, confiscatur pro eo tempore, quo apud patrem perseueraturus erat. Antonius Gomezius *2. var. cap. 15. num. 18.* Menoch. *d. remedio 9. num. 244.* Sanch. *dict. cap. 16. num. 15. & seqq.*

12 Confiscatis bonis propter hæresim patris, non confiscatur vsusfructus aduentitiorum filij, sed consolidatur cum proprietate, & ad filium pertinet, cùm ex tali delicto exemptus maneat quoad omnia sua bona. Simanch. *d. tit. 9. num. 81.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 5. cap. 7. quæst. 8. & lib. 8. c. 12. quæst. 15.* Sanch. *d. cap. 16. num. 18.*

13 Si filius ob aliud delictum patriam potestatem egrediatur, illorum tantùm aduentitiorum bonorum publicatur vsusfructus, quæ ante delictum patris filius acquisierat, non verò eorum quæ post delictum comparauerat. Molin. *de iust. tom. 1. disp. 9. vers.* Ab hac regula. Sanch. *d. cap. 16. num. 19.*

14 Profectitia bona non confiscantur ob patris delictum, sed reseruantur filio Anton Gomez. *d. cap. 15. num. 16.* Menoch. *d. remed. 9. num. 73.* Sanch. *d. cap. 16. num. 21.*

15 Antequam huiusmodi bona profectitia tradantur filio, satisfaciendum est creditoribus, quando cætera patris bona non sufficiunt. Salicet *l. penul. num. 3 C. qui bonis cedere.* Sanch. *d. cap. 16. num. 24.*

16 Legitima filij debita in bonis paternis non confiscatur ob patris delictum, sed filio reseruatur,

excepto crimine læsæ maiestatis diuinæ vel humanę. Simanch. *cathol. tit. 29. num. 12.* Barb. *lib. 1. part. 4. num. 84. & 85. ff. solut. matr.* Sanch. *d. cap. 16. num. 25. & seqq.*

CAPVT XI.

De confiscatione bonorum coniugum.

1 NEque bona mariti ex delicto vxoris, neque vxoris bona ex mariti delicto publicantur. Ex quo deducitur non confiscari ex viri delicto vxoris dotem, bona paraphernalia, videlicet bona extra dotem, archas, sponsalitiam largitatem, quando ea est vxoris, nec medietatem lucrorum, quæ constante matrimonio acquisita sunt, & diuiduntur inter coniuges Sanch. *decal. tom. 1. lib. 2. cap. 17. num. 2. & sequentibus.* Peñ. *ad 3. part. Direct. quæst. 111. comment. 160.* Farin. *de hær. quæst. 190. §. 3. à num. 44. vsque ad 47.*

2 Si dos vxoris non fuit verè tradita, confiscari potest, quamuis vir fateatur illam recepisse, nisi aliæ subsint coniecturæ. Simanch. *cathol. tit. 9. num. 67. & seq.* Sanch. *d. cap. 17. num. 5. & seqq.* Peñ. *d. comment. 160.* Farinac. *d. §. 3. num. 48.*

3 Dum fiscus non soluit vxori dotem, tenetur ei alimenta præstare, sicut quicumque alius hæres. Peregr. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 82.* Sanchez *d. cap. 17. num. 8.*

4 Mulier contrahens scienter cum hæretico, est suspecta de hæresi. Colligitur ex cap. Decreuit. *de hær. in 6.* iuncta Glossa *verbo* Tunc. Soto *in 4. d. 39. art. vlt.*

5 Si

5 *Si* mulier scienter nupsit viro hæretico, in delicti pœnam publicatur eius dos per iudicis sententiam; secùs verò si post contractum matrimonium sciuit, quamuis ipsum non reuelet; in dubio autem præsumitur ignorantia. Probatio quòd sciuit, incumbit fisco. Peñ. 5. *part. Direct. comment.* 160. Farinac. *d.* §. 3. *num.* 49. 52. 53. *&* 54. *d.* Glossa *verbo* Tunc.

6 Quando dos data est vxori cum grauamine, vt soluto matrimonio alteri, vel danti restituatur, non confiscatur, quamuis mulier scienter contraxerit. Sanch. *d. cap.* 17. *num.* 19.

7 Bona paraphernalia vxoris etiam scienter contrahentis cum hæretico, non confiscantur, nisi quæ fuerunt donata à viro post crimen commissum. Sanc. *d. cap.* 17. *num.* 20. *&* 22.

8 Mulieris scienter contrahentis cum hæretico non confiscatur dimidia pars bonorum, quæ durante matrimonio sunt acquisita; quia hoc non determinatur in iure; & quia non fuit causa contrahendi illicitè, sicut à principio.

9 Constante matrimonio si mulier delinquat contra fidem, eius dos publicatur, & aufertur dos ipsa viro, non solùm quoad proprietatẽ, sed etiam quoad fructus, nisi vir vel alius ex pacto esset dotem lucraturus soluto matrimonio. Anton. Gom. *ad l.* 78. *Tauri num.* 6. Barb. *l* Si constante. 25. §. *fin. num.* 1. *ff. solut. matrim.* Sanch. *d. cap.* 17. *num.* 31. *& seqq.*

CAPVT XII.

De bonorum, quæ alienari prohibentur, item de iuris patronatus ac emphyteusis confiscatione propter hæresis vel sodomiæ crimen.

1 SI prohibitio fiat in fauorem illius, cui alienatio interdicitur, confiscantur in perpetuum alienari prohibita, ob eius delictum. Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. num* 78. Farin *tom. 1. quæst. 25. num. 46.* Sanch *Decalog. lib. 2. cap. 18. num. 5.*

2 Quando alienationis prohibitio est solùm in fauorem aliorum, & prohibitio est tacita, ob possessoris delictum, qui primus institutor non est, confiscatur, quamdiu viuit, commoditas vsusfructus, qui tamen ad vxorem non pertineat, non verò proprietas, nisi viuente grauato moriatur ille qui substituebatur loco criminosi Baiard *ad Clar. lib. 5 quæst. 78. nu. 34. & 35.* Sanch *d cap. 18. num. 8. 9. & 10.*

3 Non confiscantur bona alienari prohibita, etiam viuente possessore, qui primus institutor non est, etiam quoad vsumfructum, sed statim transeunt ad sequentem vocatum. Clar. *in praxi lib. 5. quæst. 78. num. 10.* Farin. *tom. 1. de delictis quæst. 25. num. 35.* Sanch. *d. cap. 18. num. 15.*

4 *Si* cum prohibitione alienandi tacita inueniatur expressa conditio, quòd bona non diuidantur, aut quòd conseruentur in familia vel agnatione, non confiscantur, quia per hoc inducitur expressa alienationis

tionis prohibitio. Clar. *d. num.* 10. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 31. *& 32.* Sanch. *d. cap.* 18. *num.* 17. *& seq.*

5 Confiscantur bona cum conditione expressa quòd non alienentur, si solùm prohibeantur alienari per contractum, aut quando defuerint omnes personæ, quarum causa interdicitur alienatio. Clar. *d. quæst.* 78. *num.* 43. Farinac. *d quæst.* 25. *num.* 49. Sanch. *d. cap.* 18. *num.* 22. *& 23.*

6 Maioratus institutus ex bonis propriis ex solius iuris priuilegio, non confiscatur in perpetuum ob delictum possessoris, qui non est primus institutor. Ant. Gom. *ad l.* 40. *Tauri num.* 91. Molin. *socius tom.* 3. *de inst. disp.* 657. *à num.* 3. *& disp.* 582. *num.* 1. Sanch. *d. cap.* 18. *num.* 36.

7 Maioratus ex bonis patrimonialibus institutus, Regia tamen facultate, adiecta clausula à Rege, aut ab institutore, vt ea bona publicentur, ob crimen læsæ maiestatis diuinæ vel humanæ, aut sodomiæ, confiscantur in perpetuum propter talia delicta, nec venit ad alios vocatos, secundùm probabilem sententiam. Ant. Gom. *d. num.* 91. Molin *socius d. num.* 1. Sanc. *d. cap.* 18. *num* 41.

8 Probabilius mihi videtur, quòd maioratus institutus ex facultate Regia, ex bonis patrimonialibus, cum clausula quòd non deferatur in fiscum ob crimen possessoris præterquam in crimine hæresis, læsæ maiestatis & sodomiæ, confiscatus solùm in vita delinquentis, ipso autem mortuo transit ad successorem; quia secundùm iuris regulas *suprà num.* 6. etiam in aliis casibus confiscatur solùm ad vitam delinquentis, non verò in perpetuum in præiudicium successorum. Et clausula illa concedit, quòd extra illos

casus, nec in vita delinquentis deferatur ad fiscum, in quo gratia videtur consistere. Exceptio igitur illorum casuum reliquit rem in terminis iuris communis, vt solùm in vita delinquentis ob tria illa crimina confiscetur, aliàs gratia retorqueretur in odium, quod non est admittendum. *L.* Quod fauore. *C. de legibus l.* Nulla iuris ratio. *ff. eodem tit. cap.* Quod ob gratiam. *61. de reg. iuris in 6.*

9 Si prædicta clausula non apponatur, non confiscatur maioratus in perpetuum. Sanch. *dict. cap. 18. num. 43.*

10 Non confiscatur in perpetuum ob prædicta crimina, etiam si interueniat Regis facultas, si habens descendentes illum ex tertio vel quinto suorum bonorum instituit. Anton. Gomez. *d. num. 91.* Molin. *socius. d. disp. 582. num. 2. & disp. 657. num. 6.* Sanch. *d. cap. 18. num. 47.*

11 Quando quis instituit maioratum cum Regia facultate, ex bonis tamen, ex quibus sine illa illum instituere poterat, & instituit, ratione illius priuilegij ex maiori parte quam poterat, solùm publicatur in perpetuum, quantum ad excessum. Molina *socius. d. disp. 582. num. 3.* Sanch. *d. cap. 18. num. 50.*

12 Si maioratus sit adeò antiquus, vt de eius institutione non constet, non confiscatur in perpetuum, nisi probetur quòd deficiente priuilegio instituere non poterat, vel quoad totum, vel quoàd aliquid. Molina *socius. d. disp. 582. num. 3.* Sanch. *dict. cap. 18. num. 53.*

13 Non confiscatur regnum ob hæresim, aut alia possessoris crimina: sed si propter talia crimina amittatur, deuoluitur ad subsequentem successorem Catholi-

Catholicum; quia, sicut in reliquis maioratibus, omnes successores suo ordine instituti sunt. Decian. *crimin. lib. 5. cap. 44. num. 28.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 12. quæst. vlt.* Sanch. *d. cap. 18. num. 54.*

14 Si aliter communi bono consuli non potest, integrum est Pontifici regnum descendentibus Catholicis auferre, & concedere illud Regi Catholico debellanti. Molin. *Iocius. d. tom. 3. disp. 620. num. 9. & disp. 657. num. 4.* Azor *d. quæst. vlt.* Sanch. *dict. cap. 18. num. 55.*

15 Quando bona maioratus publicantur in perpetuum, licitum est solo æquari principalem domum maioratui subiectam: secùs autem, si in perpetuum non publicentur; nisi fiat maioratui compensatio valoris domus. Molin. *Iocius d. disp. 657. num. 5.* Sanch. *d. cap. 18. num. 56.*

16 Casu quo bona maioratus confiscantur in perpetuum, manent talia bona apud Regem libera à maioratus vinculo. Sanch. *dict. cap. 18. num. 58.*

17 Si maioratus instituatur post delictum commissum, ob quod bona ipso iure publicantur, confiscatur in perpetuum ex tali delicto institutoris: secùs si bona non publicentur ipso iure. Molina *Iocius dicto tom. 3. disp. 659. num. 1.* Sanch. *dict. cap. 18. num. 60. & seqq.*

18 Si maioratus sit in aliqua vltima voluntate, vt in testamento, codicillo, vel donatione causa mortis, confiscatur in perpetuum ob subsequens institutoris delictum. Molin. *d. disp. 659. num. 2.* Sanch. *d. cap. 18. num. 63.*

19 Si maioratus sit institutus contractu irrevocabili inter viuos ante institutoris delictum, non confiscatur

confiscatur in perpetuum, nisi sit institutus Regia authoritate, cum clausula quòd possit confiscari, iuxta dicta *num.* 7. Anton. Gomez. *leg.* 40. *Tauri. num.* 91. *col.* 3. Molina *tractatu de iustitia disp.* 659. *num.* 1. Sanch. *dict. cap.* 18. *num.* 64. *& seq.*

20 Si maioratus institutus sit contractu reuocabili inter viuos, non confiscatur in perpetuum ob subsequens institutoris delictum. Ant. Gom *citato loc.* Molina *tractatu de iustitia disp.* 659. *num. vlt.* Sanch. *dict. cap.* 18. *num.* 66.

21 Si institutor ante sententiam declaratoriam sui criminis reuocet dictum contractum, confiscatur maioratus in perpetuum; si verò post sententiam, tunc nec in perpetuum, nec ad tempus confiscatur. Sanch. *d. cap.* 18. *num.* 67.

22 Casu quo maioratus ob delictum instituentis vel possidentis non confiscatur in perpetuum, confiscantur fructus illius in instituentis aut possidentis vita. Sanch. *d. cap.* 18. *num.* 57. *& 68.*

23 Ius patronatus Ecclesiasticum, quod ex sua institutione nequit ad hæredes extraneos transire, non publicatur ob patroni delictum. Clar. *in pract. lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 8. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *titulo* 1. *num.* 72 *& 121.* Sanchez *lib.* 2. *Decal. cap.* 19. *num.* 2.

24 Quando iudex Ecclesiasticus bona patroni confiscat, publicatur cum illis ius patronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest. Molin. *lib.* 1. *de primogen. cap.* 24. *num.* 26. Cantera *in quæst. crim. tit. de quæstionibus tangentibus punitionem delictorum. cap* 1. *nu.* 50. Sanch. *d. cap.* 19. *num.* 3.

25 Iudex laicus non potest per se & directè confiscare ius patronatus Ecclesiasticum, nec facta ab eo confis-

confiscatio valida est. Sanchez *d. cap. 19. num. 4.*

26 Publicatis omnibus bonis per iudicem laicum, publicatur indirectè ius patronatus Ecclesiasticum, quod potest ad extraneos transire, dummodo in talis publicationis sententia non fiat mentio iuris patronatus. Clar. *d. num. 8.* Molin. *d. num. 26.* Sanchez *d. c. 19. & seq. num. etiam 14. & 15.*

27 Si iudex secularis in confiscatione omnium bonorum dicat: Confisco omnia bona cum iure patronatus, probabilius est valere talem confiscationem; si tamen dicat: Confisco omnia bona & ius patronatus, nulla est talis publicatio. Sanchez *d. cap. 19. num. 12. & 13.*

28 Quoties ius patronatus publicatur in perpetuum, manet Ecclesia libera sub Episcopi potestate, & ius ipsum extinguitur, nisi sint alij compatroni; quia tunc in illis manet ius præsentandi. Vasquez *1. 2. quæst. 96. art. 5. disp. 169. cap. 2. num. 19. vers. 11.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 12. quæst. 9.* Sanchez *d. cap. 19. num. 16. & 17.*

29 Emphyteusis, siue ab Ecclesia, siue alio priuato accepta, quando ex sua institutione nequit transire ad hæredes extraneos, minimè transit in fiscum. Sanchez *d. cap. 19. num. 20.*

30 Quando emphyteusis ab alio quàm ab Ecclesia est concessa, & non transit ad extraneos commoditas illius, viuente emphyteuta pertinet ad fiscum. Fatinac. *tom. 1. par. 1. quæst. 25. num. 58.* Molina *de iust. tom. 2. disp. 481. vers.* Primum ac præcipuum. *& tom. 3. disp. 656. num. 3.* Sanchez *dict. cap. 19. num. 21.*

31 Emphyteusis, quæ non transit ad extraneos, ab

ab Ecclesia accepta,& fructus illius non publicantur, etiam viuente emphyteuta, sed integrè cum emphyteusi redeunt ad Ecclesiam habentem directum illius dominium.Sanchez *d.cap.19.num.22.& 23.*

32 Si in emphyteusi ab Ecclesia accepta non transeunte ad extraneos sint alij vocati, qui non sint inhabiles ad illos, non ad Ecclesiam transit emphyteusis.Molina *socius tom.2.de iust.disp.*481. Sanchez *d. cap.19.num.24.*

33 Si emphyteusis ab alio quàm ab Ecclesia sit accepta, possitque ad extraneos transire, publicatur cum aliis emphyteutæ bonis, & fiscus manet emphyteuta habentis dominium directum.Simanch.*catholic.tit.9.num.* 97.Molin.*d.disp.*481.*concl.* 1. Sanchez *d.cap.19.num.* 25.

34 Dominus directus potest cogere fiscum, vt emphyteusim transferat in personam minùs potentem.Sanchez *d.cap.19. num.26.*

35 Emphyteusis Ecclesiastica, quæ transire potest ad extraneos, publicari potest ob emphyteutæ delictum, quando confiscatio fit à iudice Ecclesiastico:datur tamen optio Ecclesiæ,vt intra biennium deliberet, an malit reuocare, quàm fiscum habere emphyteutam.Simanch.*d.tit.9.num.* 103. *& duobus seqq.* Farin. *tom.1.part.1.quæst.25.num.56.*Sanchez *d.ca.19. num.29.& 31.*

36 Elapso biennio,potest Ecclesia aduersus talis temporis lapsum restitui, & petere reuocationem. Simanch. *d.tit.9.num.*106.Sanch.*d.cap.19. num.* 32.

37 Melioramenta in re emphyteutica à delinquente facta post delictum commissum, ad fiscum pertinent quoad æstimationem, quando res emphyteutica

teutica in fiscum non transit. Idem, secundùm communiorem sententiam, dicendum est de melioramentis ante delictum factis. Molin. *d. disp.* 481. Sanc. *d. cap.* 19. *num.* 33. *& seqq.*

38 Si delictum sit domini directi ipsius emphyteusis, tale dominium confiscatur, & emphyteuta soluet pensionem fisco. Sanch. *d. cap.* 19. *num.* 38.

CAPVT XIII.

De confiscatione bonorum Ecclesiarum, ac Ecclesiasticorum.

1 BOna Ecclesiarum ob Ecclesiastici delictum non confiscantur, & Inquisitorum, Episcoporum, aut Capitularum sede vacante commissarij, ac vicarij eorum, qui scienter huiusmodi bona fisco etiam Ecclesiastico applicauerint, excommunicantur. Idem etiam secundùm communem sententiam dicendum est de Inquisitoribus. Suar. *tom.* 5 *in* 3. *parte disp.* 23. *sect.* 5. *num.* 24. Sanch. *in opere morali tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 3. 4. *&* 11. Farin. *de hæresi quæst.* 190. §. 11. *num.* 161. *&* 162. Episcopi si huiusmodi bona fisco applicent, non incurrunt prædictam censuram. Glos. *verbo* Commissarij *in Clem.* 2. *de hæret.* Suar. *citato loco.* Sanch. *num.* 6.

2 Qui per ignorantiam quamcumque, dummodo non sit affectata, aut ita crassa, vt sit ingens temeritas, prædicta Ecclesiarum bona fisco applicat, non excommunicantur. Tabiena *verbo* Excommunicatio.

num.

*num.*8.Suar*num.*26.Sanch.*num.* 11. *&* 12. *citatis locis.* Farinac. *d.*§. 11. *num.* 162.

3 Bona acquisita à Religioso professo, qui Ordinis Minorum non sit, applicari similiter non possunt fisco,& ea applicans excommunicatur;quia hæc bona non Religioso,sed monasterio acquiruntur. Simanch. *de cathol.tit.9.num.* 88.Azor *tom.1.instit moral. lib.8.cap.*12.*quæst.*14.Sanch.*d.cap.*20.*num.* 13.*&* 14.

4 Bona acquisita per fratres Minores,etiam confiscari non possunt, & qui illa fisco applicauerit, excommunicationem incurrit: quia licet eorum dominium ad ea largientes, vel ad Summum Pontificem pertineat, vsus tamen ad monasterium attinet, & in dict. Clem. 2. *de hæret.* non fit distinctio inter bonorum dominium & vsum,sed legitur absolutè de confiscatione bonorum.

5 Clericorum bona patrimonialia ob eorum delictum confiscantur, vt quæ ex proprio patrimonio, aut propria industria, intuituve personæ comparant. Simanc. *de cathol.tit.* 9. *num.* 92. Peñ. *in* 3. *part. Direct. comment.*161.Sanchez *d.cap.*20.*num.* 22. Farinac.*d.*§. 11.*num.* 160.

6 Bona quasi patrimonialia clericorum, ea nimirum quæ non sunt beneficij fructus, acquiruntur tamen ratione ministerij Ecclesiastici, vt pro sacris faciendis,concionibus, &c. confiscari possunt ob eorum delictum.Sanch.*d.cap.*20.*num.* 23.

7 Bona clericorum acquisita ratione beneficij Ecclesiastici, attento iure communi, non publicantur.Couar.2.*variar.cap.*9 *num.*11.Sanch.*d.cap.*20.*nu.* 24.Pereg.*de iure fisci lib.*5.*tit.*1.*num.*97.

8 Si alicubi vsu legitimo introductum sit, vt de his

his bonis valeant clerici liberè testari,& in ea succedant quicunque hæredes, sicut in aliis bonis, publicari etiam poterunt. Siman. *cathol. tit. 9. num. 90.* Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 12. quæst. 14.* Sanch. *d. cap. 20. num. 25.*

CAPVT XIV.

De confiscatione bonorum hæretici contumacis, & eorum quæ sunt in alieno territorio.

1 HÆreticus contumax absens, cuius bona elapso anno publicantur, non auditur, quamuis postea compareat, quoad hoc vt bona ipsa recuperet, nisi vel de innocentia eius, vel de iusto impedimento legitimè constiterit. Simanch *cathol. tit. 2. in fine.* Peñ. *3. p. Direct. comment. 49. num. 214.* Sanch. *in opere morali tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 28.*

2 Minori, cuius bona ob contumaciam publicantur, competit aduersus huius anni lapsum beneficium restitutionis in integrum. Sanch. *d. cap. 20. n. 29.*

3 Quando in diuersis territoriis bursa fiscalis est vna & eadem,& confiscatio fit iure communi, extenditur etiam ad bona in alio territorio sita: fit autem iure communi, quando lata est lex à superiori vtriusque territorij Pereg. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. num. 158.* Clar. *in pract. lib. 5. quæst. 78. num. 27.* Sanch. *d. cap. 20. num. 30. & 31.* Farinac. *crim. tom. 1. quæst. 25. num. 95. & 100.*

4 Si confiscatio fiat de iure speciali statutorum

non existentium extra territorium iudicis confiscantis, non extenditur ad bona extra territorium sita, vbi tale statutum non seruatur, licèt vtrumque territorium ad vnum tantum principem pertineat. Farin. *d. quæst.* 25. *n.* 96.

5 Trahitur confiscatio ad diuersum territorium, etiam quando hæc iure speciali, dummodo tale ius in vtroque territorio vigeat, & vtriusque idem sit dominus, & bursa fiscalis vna & eadem. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 98.

6 Si territoria sint diuersa, ac etiam diuersi domini vtriusque territorij, bursæque fiscales distinctæ, & confiscatio fiat iure speciali, licèt in vtroque territorio obseruetur, non trahitur confiscatio ad diuersum territorium. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 99.

7 Licèt iudex territorij in quo reus iudicatur, ferat sententiam confiscationis bonorum, quæ sunt in alieno territorio, apprehensio seu confiscationis executio facienda est a iudice talis territorij, requisitio tamen à iudice, qui sententiam tulit. Farin. *d. quæst.* 25. *num.* 95. Sanch. *d. cap.* 20. *num.* 33.

8 Vbi bursa fisci communis non est, bona immobilia confiscata pertinent ad fiscum vbi sunt sita, dummodo dominus secundi territorij habeat etiam ius confiscandi. Clar. *d. quæst.* 78. *num.* 27. Farin. *d. quæst.* 25. *num.* 101. Sanch. *d. cap.* 20. *num.* 34.

9 Bona mobilia in prædicto casu, cùm scilicet diuersi sunt fisci, pertinent ad fiscum loci in quo fit confiscatio, eò quòd concernunt personam damnati. Peregr. *d. tit.* 1. *num.* 141. Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 108. Sanch. *d. num.* 34.

CAP

CAPVT XV.

De validitate alienationis bonorum, quæ solùm per sententiam confiscantur.

1 OMnes alienationes factæ in fraudem fisci, quocumque tempore fiant, reuocati possunt à fisco post latam confiscationis sententiam, intentando contra possessores actiones reuocatorias. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *tit.* 2. *num.* 153. Tuscus *tom.* 4. *concl.* 482. *num.* 2. *& seqq.* Sanch. *de præceptis Decalogi lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 25. *& seqq.* qui à principio capitis expendit coniecturas, quibus in præsenti materia fraus præsumitur.

2 Quæcumque alienatio siue titulo oneroso, siue lucratiuo ante delictum à delinquentibus quibus non est interdicta administratio, nec bona publicantur ipso iure, valida est & irreuocabilis, dummodo facta non sit in fraudem fisci. Sanch. *d. cap.* 21 *num.* 31.

3 Valida & irreuocabilis similiter est alienatio facta ab huiusmodi delinquente, non in fraudem fisci propter delictum commissum, ante latam tamen sententiam, quamuis accusatio & litis contestatio alienationem præcedat. Peregr. *d. tit.* 1. *num.* 178. *& sequentibus.* Ant. Gom. *tom.* 3. *variar. cap. vlt. num.* 4. Sanch. *d. cap.* 21. *num.* 32.

4 Post latam sententiam non appellatam, & quæ transijt in rem iudicatam, non valent alienationes à prædictis factæ. Ant. Gom. *d. num.* 4. Pereg. *d. tit.* 1. *num.* 181. Sanch. *d. cap.* 21. *num.* 36. *& seqq.*

CAPVT XVI.

De alienatione bonorum quæ ipso iure confiscantur.

1 DOminus bonorum, quæ ipso iure confiscantur, non amittit illorum dominium à die commissi delicti, secundùm probabiliorem sententiam: manent tamen bona statim fisco obligata. Simanch. *cathol. tit. 9. num. 173. 178. & à num. 229. vsque ad 234.* Molin *socius tom. 1. de iust. disp. 93.* Sanch. *in opere morali tom. 1. lib. 2. cap. 22. num. 1. & seqq.*

2 Amittentes bona ipso iure ob delictum, non tenentur ante sententiam ea tradere fisco. Bañ. *2. 2. quæst. 12. art. 2. dubio vnico circa solutionem ad 3.* Molin. *d. disp. 95.* Sanch. *d. cap. 22. num. 7.*

3 Etiam post latam sententiam non tenentur amittentes bona ipso iure ea offerre fisco, nisi iudex id in sententia exprimat, sed tenentur non occultare, ac non resistere vt bona ab eis auferantur. Simanch. *d. tit. 9. num. 184. & 209.* Molina *d. disp. 95.* Sanc. *d. cap. 22. num. 8. & 9.*

4 Tunc iudex solet obligare ad solutionem, quando condemnat ad rationem mulctæ pecuniariæ, non verò quando condemnat ad amissionem omnium vel partis bonorum. Molina *d. disp. 95.* Couar. *4. decret. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 10. corol. 2.* Sanch. *d. cap. 22. num. 9.*

5 Si hæreticus & alij quorum bona ipso iure confiscantur, occultent aliqua bona aut non manifestent, quando specialiter vel generaliter per edicta interrogantur, tenentur illa fisco restituere; secùs verò

verò si non interrogentur, & purè negatiuè se habeant. Bañ. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 3. *dub.* 2. Aragon. *ibidem.* Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 10. *& seq.*

6 Eodem modo successores in bonis hæreticorum possunt retinere, bona etiam damnatis hæreticis, quandiu illa à fisco per edicta vel alio modo non petuntur. Molin. *socius de iust. tom.* 1. *disp.* 66. *ante quartam conclusionem, & d. disp.* 95. Azor *tom.* 1. *inst. moral. lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 4. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 12.

7 Quando bona illa ab hæredibus petuntur, restituere ipsi tenentur, si ea adhuc in propria specie perseuerant: si autem iam sunt consumpta, & ipsi bona fide receperunt, illa solùm tenentur restituere, in quibus ditiores sunt effecti. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 13.

8 Quantumcumque delictum sit notorium, aut reus in iudicio confessus, non potest fiscus bona illius apprehendere, antequam sententia proferatur; & si apprehendat tenetur ea restituere. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num.* 165. *& num.* 166. *& num.* 175. *vsque ad* 178. Molina *d. disp.* 95. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 15. 16. *&* 18. Farinac. *de hær. quæst.* 190. §. 5. *num.* 85.

9 Ad diem commissi criminis per actum externum in bonis quæ ipso iure confiscantur, retrotrahitur actio, & ab eo confiscantur, & rescinduntur contractus & alienationes quæcumque illæ sint. Doctores *citati num.* 1. *huius cap.* Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 33. *&* 34.

10 Si hæreticus damnatur in contumacia, vel quia defecit in purgatione canonica, à tali die confiscantur eius bona, non verò à die, qua testes deponunt illum in hæresim incidisse. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num* 26. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 35.

11 Alienationes bonorum, quæ ipso iure con-

fiscantur, rescinduntur à die commissi delicti, quamuis transierint bona fide. Surdus *decis.* 247. *num.* 11. Peñ. *in Direct. inquisit. 2. part. in glossa.* Archid. *super* 6. *Decret. tit. de hæret. cap.* Cùm secundùm leges. *num.* 11. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 36.

12 Non rescinduntur alienationes & contractus post hæresim initi, transacto præscriptionis tempore. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 37.

13 Alienationes factæ ab iis, quorum bona ipso iure confiscantur, validæ sunt, quamuis cognito crimine reuocari possint à fisco. Bañ. 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. *in solut. ad* 4. Vasq. 1. 2. *quæst.* 69. *art.* 5. *disp.* 171. *cap.* 2. *num.* 9. *& seqq.* Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 50. *&* 51.

14 Quando bona ipso iure non publicantur, sed per sententiam, tenetur fiscus stare locationi per delinquentem factæ post commissum delictum. Cùm verò publicatio fit ipso iure, si publicentur omnia bona, non rescindetur locatio: rescindetur tamen, si publicatio sit alicuius rei particularis locatæ. Anton. Gom 2. *var. cap.* 3. *num.* 10. Peregr. *de iure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 74. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 53.

15 Alienationes necessariæ non reuocantur, vtpote pro soluendo debitum, pro substentatione propriæ personæ vel familiæ, pro sua aut suorum valetudine, pro defendenda causa, vt pro expensis licitis, siue circa crimen de quo agitur, siue pro tuendis rebus suis. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num.* 33. *& seqq.* Ant. Gomez *var. tit. cap. vlt. num.* 4. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 54. *& seqq.* Farinac. *d. §.* 5. *num.* 87.

16 Non omnes alienationes factæ pro causis necessariis reputantur necessariæ, vt quæ fiunt pro dotandis filiis. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 57.

17 Fiscus

17 Fiscus vendicans à tertio possessore res alienatas ab ijs, quorum bona ipso iure confiscantur post crimen patratum, non tenetur ipsi soluere pretium, quo res illas emerat, nisi pretium illud versum fuerit in vtilitatem bonorum delinquentis, atque illa vtilitas ad fiscum cum bonis deferatur. Simanc. *d. tit. 9. à num. 27. vsque ad 38.* Ant. Gom. *3. variar. cap. 2. num. 2.* Sanchez *d. cap. 22. num. 68. & seqq.* Farinac. *d. §. 5. num. 75. & seqq.*

18 Emptori incumbit probare pretium datum conuersum fuisse in vtilitatem, non tamen exiguntur dilucidæ probationes, sed satis sunt probabiles coniecturæ. Simanch. *d. tit. 9. num. 39. vsque ad 53.* Sanchez *d. cap. 22. num. 72.*

19 Omnia debita ante delictum contracta, siue possint peti actione ciuili, siue solo iure naturali debeantur, tenetur fiscus soluere creditoribus illorum, quorum omnia bona confiscantur; nec ad soluendum debet expectare sententiam diffinitiuam. Sanch. *d. ca. 22. num. 74. 75. & 81.* Farin. *d. tom. 1 quæst. 25. num. 176.*

20 Ad debita contracta post delictum non tenetur fiscus, nisi quatenus cesserunt in vtilitatem bonorum delinquentium. Sanch. *d. cap. 22. num. 76.*

21 Probare debita esse contracta post delictum, fisco incumbit; nec esse contracta post crimen probatur sola delinquentis confessione, sed aliunde probandum est. Sanchez *d. cap. 22. num. 77.* Simanch. *catholi. tit. 9. num. 60.*

22 Quando bona publicata sunt in diuersis territoriis, non tenetur fiscus vnius territorij soluere debita in alieno territorio contracta, nisi in subsidium, vbi illa bona non satis essent ad soluendum.

Farinac. *d. tom. 1. quæst. 25. num. 173.* Sanchez *d. cap. 22. num. 78.*

23 Probabilius est ad soluendum debita hæreticorum (ad hæredum similitudinem) non esse habendam rationem loci aut territorij, sed totius patrimonij, vt pro rata illius quisque fiscus teneatur ad debita, iuxta l. Pro hæreditariis. C. *hæredum action.* §. Tractatum. *l. 2. C. vt public. leg.* Inter eos. 52. §. *vlt. ff. fideiuss.* Alexan. *consil. 31. num. 7.*

24 Actio intentata contra delinquentem non prosequitur contra fiscum, sed ea pereunte, noua debet inchoari. Barbos. *l.* Si constante. 25. §. *fin. à num. 15. ff. solut. matrim.* Sanch. *d. cap. 22. num. 82. & seqq.*

25 Si bona confiscata non sufficiant ad satisfaciendum creditoribus condemnati, & fisco quoad expensas factas in lite per ipsum fiscum, creditores sunt præferendi. Bajard. *ad Clar. lib. 5. quæst. 78. num. 169.*

26 Quando delinquenti pœna aliqua pecuniaria imponitur, partim fisco, partim alij priuato applicanda, si condemnatus non possit vtrique parti persoluere, præferendus est fiscus, nisi pœna applicetur parti, pro reparatione damni illati ex eo delicto. Farinac. *d. quæst. 25. num. 188. & 189.* Sanch. *d. cap. 22. num. 94. & seq.*

CAP.

CAPVT XVII.

De confiscatione fructus bonorum à tertio possessore percepti.

1 FRuctus percepti, qui inter hæreticorum bona reperiuntur, publicantur sicut reliqua hæreticorum bona. Sanch. *lib. 2. Decal. cap. 23. num. 194.* Farinac. *de hær. quæst. 190. §. 1. num. 19.*

2 Fructus extantes apud tertium possessorem bonæ fidei, publicandi sunt; consumpti verò, quatenus ex illis factus est ditior, sicut de bonis perceptis ab aliis bonæ fidei possessoribus dici solet. Vasq. 1. 2. *quæst. 95 art. 5. disp. 172. cap. 1. num. 3. & 4.* Sanch. *dict. cap. 23. num. 197.*

3 Si tertius possessor sit malæ fidei, omnes fructus tam extantes, quàm consumpti publicandi sunt. Sanch. *d. cap. 23. num. 199.* Simanch. *cathol. tit. 9. num. 58. & 59.*

4 Fructus qui percipi potuerunt, tam ab ipso delinquente, quàm à tertio possessore malæ fidei, non pertinent ad fiscum. Sanch. *d. cap. 23. num. 200. & sequentibus.*

5 Generaliter dicendum est, omnes illos fructus & meliorationes pertinere ad fiscum, ac publicari debere, secundùm quod ad eos restituendos tenentur possessores bonæ aut malæ fidei. In quibus casibus teneantur, & quis sit bonæ aut malæ fidei possessor, tractat Sanch. *d. cap. 23. à num. 1. usque ad 193.*

CAPVT XVIII.

De confiscatione domus in qua hæretici conueniunt.

1 DOmus in qua hæretici conueniunt, prædicant, conuenticula & congregationes faciunt, destruitur, & nullo vnquam tempore reædificanda venit, nec vlla temporis duratione præscribit: quæ verò supersunt, lapides & rudimenta applicantur fisco. Peñ. *ad 3. part. Direct. quæst. 43. comment. 92. rubr. Formula sententiæ.* Decian. *crim. lib. 5. cap. 44. nu. 13.* Farin. *de hær. quæst. 190. §. 2. num. 30. 36. & 38.*

2 Domus, in quam dominus illius prohibuit ingressum curiæ, ad ibi perquirendum & capiendum hæreticum; illa etiam in qua hæreticus inuenitur, & aliæ contiguæ ac appendices eiusdem domus, similiter destruuntur, & rudimenta confiscantur. Peñ. *dict. quæst. 43. comment. 92.* Farinac. *d. §. 2. num. 32. & 33.*

3 Reperta in domo in qua hæreticus inuentus est, aut in quam dominus prohibuit ingredi ad ipsum perquirendum vel capiendum, confiscantur: nisi esse aliarum personarum constet. Farinac. *d. §. 2. num. 34.*

4 Dominus prædictæ domus incurrit perpetuam infamiam, & quinquaginta librarum imperialium pœna afficitur: quam si non soluerit, in perpetuum carcerem detruditur, iuxta Apostolicas constitutiones. Libra imperialis, quæ & asiatica dicitur, continet quatuor aureos. Farin. *d. §. 2. num. 35.*

5 Quando dominus ignorat (inculpabiliter intellige)

tellige) quæ in eius domo ab hæreticis fiunt, licèt domus destruatur, Pretium illius domino ignoranti restituitur. Simanch. *cathol. tit.* 46. *num.* 90. Farinac. *d.* §. 2. *num.* 37. & 40.

6 Ignorantia domini domus non præsumitur, & ideò per eum non solum probãda est, sed etiam probanda manifestè, & per idoneos testes. Calderin. *de hæret. in tract. de forma procedendi. rubr. de pœnis. num.* 6. & *seqq.* Farin. *d.* §. 2. *num.* 41.

7 Non destruitur domus domini cuius procurator, vel dictæ domus conductor scienter domum ipsam hæreticis accommodauit, ipsi tamen pœna pecuniaria, exilij aut verberum puniuntur, iuxta personarum qualitatem Decian. *lib.* 5. *crim. cap.* 51. *num.* 50. Farinac. *d.* §. 2. *num.* 39.

8 Si dominus dõmus reuelat curiæ, quæ in ea ab hæreticis fiunt, nec domus destruitur, nec ipse vllam incurrit pœnam. Farinac. *d.* §. 2. *num.* 42.

CAPVT XIX.

De præscriptione iuris confiscandi delinquentium bona.

1 HÆreticorum bona, ac etiam sodomitarum in fisci præiudicium præscribi posse ab hæredibus defuncti hæretici, aut sodomitæ, quando eius bona publicantur, nulla est dubitatio. Quando autem, & quanto tempore præscribantur, controuersum est Farinac. *crim. part.* 1. *quæst.* 25. *num.* 158. &

multis

multis sequentibus. ac de hæresi quæst. 190. §. 9. *per totum.* Sanch. *de præceptis Decalogi tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 22. *d num.* 38. *usque ad* 41. *Vide supra lib.* 1. *cap.* 59. *num.* 30. *& duobus sequentibus.*

2 Præscriptio computatur à morte hæretici: nam ipso viuente, nullo præscriptionis tempore bonorum illius possessores iuuantur. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 37. Farin. *de hær. quæst.* 190. §. 9. *num.* 122.

3 Vt præscriptio in bonis hæreticorum fiat etiam post mortem hæretici, exigitur quadraginta annorum tempus, siue Ecclesiastico, siue seculari fisco eorum bona applicentur, aliquibus tamen conditionibus concurrentibus. Simanch. *cathol. tit.* 18. *num.* 14. *& tit.* 19. *num.* 133. *& seq.* Farin. *crim. par.* 1. *quæst.* 25. *num.* 163. *& de hæresi d.* §. 9. *num.* 121. Sanchez *dict. cap.* 22. *num.* 40.

4 Prima conditio est, vt hæretici quorum bona præscribuntur, fuerint tempore vitæ suæ reputati Catholici. *Cap. fin. verf.* Si post mortem. *de præscrip. in* 6. Sanch. *d. cap.* 22. *num.* 41.

5 Non reputantur Catholici, quando tempore mortis erant damnati, diffamati, aut saltem suspecti de hæresi: & sic quadragenaria præscriptio locum non habet, centenaria tamen admittitur, dummodo aliæ conditiones assignandæ concurrant. Repertor. Inquisit. *verbo* Præscriptio. *verf.* Sed super præscriptione. *& verf.* Exigitur quarto. *cum seq.* Sanch. *d. num.* 41. Farin. *d.* §. 9. *num.* 128.

6 Secunda conditio est, vt possidentes toto illo tempore sint Catholici: nam si hæretici sint, nullo tempore præscribent. *Dicto cap. fin. vbi* Glossa *verbo* Catholici. Sanch. *d. num.* 41.

7 Tertia

7 Tertia conditio est, vt bona fide possideant. *Dicto cap. fin.* Sanch. *d. num.* 41. Farin. *d. §. 9. num.* 130.

8 Tunc datur in hoc casu bona fides, quando recipiens putabat Catholicum esse eum, à quo bona illa accepit. *Dicta* Glossa *verbo* Bona fide. Peñ. 3. *part. Direct. comment.* 92. Sanch. *d. num.* 41.

9 Quarta conditio est, vt toto eo quadragenario tempore non detegatur hæresis: nam si intra id tempus possidens nouerit hæresim defuncti, interrumpitur præscriptio. Peñ. *d. comment.* 92. Sanch. *dict. num.* 41.

10 Qui possidet cum titulo bona sodomitæ per sententiam publicata, quæ in rem iudicatam transiuit, præscribit illa spatio decem annorum; sine titulo autem viginti. *Vide* Farinac. *d. quæst.* 25. *num.* 163. *vers.* Secùs. *& d. §. 9. num.* 125. *& quæ diximus suprà lib.* 1. *ca.* 59. *à num.* 29. *vsque ad* 32.

CAPVT XX.

Cui applicentur bona confiscata, & per quem iudicem.

1 DEterminare cui applicanda sunt bona hæreticorum confiscata, ad Summum Pontificem spectat; ita vt sine illius consensu domini temporales de hoc disponere non possint. Peñ. *ad* 3. *p. Direct. commen.* 158. *vers* Numquid à iure canonico. Farinac. *de hæresi quæst.* 190. §. 12. *num.* 172. *&* 173.

2 Clericorum bona patrimonialia & propria propter

propter hæresim confiscata, inspecto iure communi antiquo, applicantur Ecclesiæ, à qua stipendia accipiunt. Simanch. *cathol. tit. 9. num. 89.* Peñ. *d. 3. part. ad quæst. 112. com. 161. vers.* Ergo alterum axioma. Farina. *de hæresi quæst. 190. § 11. num. 155.*

3 Si clericus cuius bona confiscantur, à pluribus Ecclesiis stipendia accipiat, inter omnes eius bona diuiduntur, secundùm proportionem bonorum, quæ ab vnaquaque percipiebat, inspecto iure communi antiquo. Bernard. Diaz *in pract. in verbo* Hæretici. *cap. 11. num. 4.* Decian. *crim. lib. 5. cap. 44. num. 2.* Farinac. *d. § 11. num. 157.*

4 Bona clericorum patrimonialia, qui non habent stipendium ab aliqua Ecclesia, iure etiam antiquo inspecto, applicantur fisco Ecclesiæ Episcopalis. Clar. *in pract.* § Hæresis. *num. 11.* Decian. *d. num. 2.* Farinac. *d. § 11. num. 158.*

5 Ex generali consuetudine bona clericorum hæreticorum, siue habeant beneficia Ecclesiastica siue non, ad fiscum secularem deferuntur. Simanch. *cathol. tit. 9. num. 92.* qui alios refert.

6 Laicorum hæreticorum bona confiscata ex sola Summi Pontificis concessione, ad fiscum Principum secularium pertinent. *Vide* Decian. *crim. lib. 5. ca. 44. num. 3.* Peñ. *3. p. Direct. ad quæst. 109. comment. 158. vers.* Numquid. *& vers.* Neque his.

7 Bona quorumcumque hæreticorum, quæ fisco seculari applicantur, non pertinent ad illum, & ad dispositionem Principum secularium, nisi post latam sententiam: & antequam sententia proferatur, non valet secularis potestas de illis disponere, nec circa illa quidquam ordinare. *Vide* Decian. *d. num. 3. vers.*

Et nota

Et nota. *& seq.* Peñ. *d. comment.* 158. *vers.* Postremo. Calderin. *de hæret. cap.* 18. *num.* 4.

8 Post latam sententiam, taliter bona hæreticorum confiscata secularium Principum sunt propria ex Pontificum donatione, vt de illis possit libere disponere, & ea donare, etiam ipsis hæreticis reconciliatis, à quibus ablata fuere. *Vide* Peñ. *d. com.* 158. *vers.* Quantum verò.

9 Non possunt seculares Principes statuere ne hæreticorum bona adnotentur, & multò minus ne publicentur, quamuis eis à Summis Pontificibus cõcessa sint post latam sententiam. Quia adnotatio & confiscatio sunt de iure Canonico, quod auferre, minuere, aut mutare non potest secularis potestas. *Vide* Decianum *d. cap.* 44. *num.* 1. Farin. *de hæresi quæst.* 190. §. 1. *num.* 1. Eymeric. 3 *part. Direct. quæst.* 109. *vbi* Peñ. *d. comment.* 158.

10 Ante latam contra hæreticos sententiam, maximè ante eorum apprehensionem, non licet Principibus secularibus remittere alicui statui, & qualitati personarum bona confiscanda propter hæresim, etiam pro eo tempore, quo adiudicanda sunt fisco. quia confiscatio est ordinata ab Ecclesia & in pœnam delicti, & in medicinam & præuentionem. Peñ. *ad* 3. *part. Direct. quæst.* 95. *com.* 144. *vers.* Huiusmodi autem. Nam hæresis plerumque à diuitiarum cupiditate procedit. Apostolus 1. ad Thimot. 6. Castro *lib.* 2. *de iusta hæreticorum punitione cap.* 5. Et quia hæretici maximè sunt affecti diuitiis, sicut diximus suprà, per earum ablationem magis deterrentur; sunt etiam hæretici cæteris sceleratis peiores, & sic per diuitiarum possessionem plurimum nocent. Simanc. *cathol. tit.* 9. *num.*

num. 1. & 2. Si igitur sint certi per liberalem Principum concessionem, aut ex vi alicuius pacti, quòd quatenus in hæresim prælabantur, non amittent bona sua, audaciores efficientur, facilius hæresim amplectentur, & in ea quam habent persistent impudenter: quod proculdubio est hæreticis fauorem præstare.

11 Bona clerici hæretici, quæ ipsius Ecclesiæ sunt, Ecclesiæ ipsi applicantur. Simanch. *catholic. tit. 9. num.* 88. Soto *lib.* 10. *de instit. & iure. quæst.* 4. *art.* 3. Peñ. *d. comment.* 161. *vers.* Quo autem pleniùs.

12 Bona feudalia clerici hæretici ad directos dominos reuertuntur, dummodo transire non possint in alienos dominos. Peñ. *d. comment.* 161. *vers.* Quod si clericus. Farinac. *d. quæst.* 190. §. 4. *num.* 59. Decian. *dict. num.* 2.

13 Iura personalia probabile est pertinere ad fiscum illius loci, in quo debitores conueniendi sunt: quia censentur esse ibi ad effectum exactionis à fisco faciendæ. Lappus *allegat.* 22. *num.* 6. Simanch. *cathol. tit.* 9. *num.* 131.

14 Iura personalia quæ inhærent personæ creditoris, censentur existere in territorio, vbi reus ipse qui creditor est, existit. Alexand. *cons.* 31. *num.* 7.

15 Bona restitutioni obnoxia redduntur ei, cui restituenda erant. Simanc. *d. tit.* 9. *num.* 93. Peñ. *d. com.* 161. *vers.* Id ipsum.

16 Laicorum bona confiscata in Hispania & Lusitania applicantur fisco Regio. Nauar. *cons.* 2. *num.* 1. *de hæret.* Peñ. *d. comment.* 158. *vers.* Hinc consequitur. Farin. *d. quæst.* 190. §. 12. *num.* 188.

17 Bona laicorum confiscata, applicantur domino

mino loci vbi sita sunt, & non vbi condemnantur. Sylvest. *verbo* Hæreticus. §. 2. *num.* 15. Simanch. *cathol. tit. 9. num.* 129. *& seqq* Farinac. *d.* §. 12. *num.* 166.

18 Super confiscatione bonorum hæretici; tam Ecclesiastici, quàm secularis, solus iudex Ecclesiasticus pronunciat; iudex verò laicus non se potest intromittere, nisi requisitus: quidquid sit de iure antiquo. Locat. *in Iudic. Inquisit. verbo* Bona hæreticorum. *num.* 1. Tabiena *verbo* Hæreticus. *num.* 7. Farinac. *dict.* §. 12. *num.* 168.

19 Iudex secularis, cuius fisco bona hæretici applicantur, non potest illa confiscare, aut eorum possessionem apprehendere, nisi post sententiam iudicis Ecclesiastici: non tamen tenetur expectare abiurationem hæretici, si post sententiam à iudice Ecclesiastico detineatur. Calderin. *de hæret. rubr. de pœnis hæreticorum num.* 3. Peñ. *d. comment.* 158. *versic.* Iam Bonifacius Octauus. Decian. *d. cap.* 44. *num.* 3. *& 9.* Farinac. *d.* §. 12. *num.* 169. *& seq.*

20 Inquisitores cogere possunt per censuras Ecclesiasticas potestates seculares, vt confiscationem bonorum hæreticorum exequantur Eymer. 3. *part. Direct. quæst.* 110. *vbi* Peñ. *comment.* 159.

21 Si hæredes, consanguinei, aut amici hæreticorum, quorum bona confiscantur, illa restituere nolint, cogi possunt ab Inquisitoribus per censuras, quando ea bona fisco Inquisitionis applicantur, & si opus fuerit, inuocare auxilium seculare. Peñ. *d. comment.* 159.

CAPVT XXI.

Bona hæretici pœnitentis quando non publicantur.

1 HÆretico pœnitenti non ex eo quòd pœnitet, restituuntur bona confiscata. Rojas *singul.26.num.*4 Simanch.*cathol tit.* 57.*num.*15. Farin. *de hær.quæst.*190.§.10.*num.*134.*vers.*Contrarium.

2 Condemnatus ac declaratus hæreticus non recuperat bona confiscata. Decian.*crim,lib.*5.*cap.* 44. *num.*3. Farinac.*d.*§.10.*num.*137.

3 Hæretico occulto pœnitenti non auferuntur bona, quando sponte se defert, sed hoc ex meta tantùm liberalitate. Simanch.*cathol.tit.*13.*num.*22. *& seq.* Farinac.*d.*§.10.*num.*138.

4 Hæretico venienti ante lapsum temporis gratię, bona non auferuntur ex speciali gratia. Simanch. *cathol.tit.*47.*num.*16.*&* 17 Farinac.*d.* §. 10.*num.* 149. Repert. Inquisit. *verbo* Bona. *vers.* Et quòd. *& verbo* Gratia.*vers.* Nota.

CAPVT XXII.

Quando ob paternam hæresim, filij paterna hæreditate priuentur.

1 PRopter hęresim patris aut matris, filij etiam Catholici paterna hæreditate priuantur, nec legitimas

legitimas sibi aliàs debitas petere possunt. Menoch. *de arbitrar. cent. 6. casu* 546. *num.* 11. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 45. *num.* 2. 3. *&* 6. Sanchez *Decalogi tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 27. *a num.* 6. *vsque ad* 13. *& cap.* 16. *num.* 26. *& seq.* Farin. *de hæresi quæst.* 191. §. 1. *num.* 1. 2. 4. *&* 20.

2 Filij nati ante hæresim patris externè commissam non priuantur alimentis, secundùm probabiliorem sententiam, nec alias pœnas contra hæreticorum filios statutas incurrunt. Decian. *d. cap.* 45. *num.* 5. Sanch. *d. cap.* 27. *num.* 14. *&* 15. Farinac. *d.* §. 1. *num.* 5. 7. *&* 39.

3 Patre existente hæretico, filiæ ex eius bonis dotem non consequuntur: imò dos iam data filiabus nuptui traditis, vel sanctimonialibus, repetitur, si data sit post hæresim commissam. Simanch. *catholic. tit.* 9. *num.* 23 *&* 24. Azor *instit. mor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 6. Farinac. *d* §. 1. *num.* 8.

4 Pœnas contra filios hæreticorum latas incurrunt non solùm filij legitimi, sed etiam ex quocumque coitu illicito concepti; dummodo eorum pater sit certus. Simanc. *cathol. tit.* 29. *num.* 16. Menoch. *præsump. lib.* 5 *præsumpt.* 33. *num.* 11. Sanch. *d. lib.* 2. *c.p.* 27. *num.* 1. Farin. *d.* §. 1. *num.* 9 *& duobus seqq.*

5 Non solùm filij hæreticorum & apostatarum incurrunt pœnas contra filios hæreticorum latas, sed etiam filij fautorum, receptatorum, & credentium quando reputantur hæretici; secùs verò, si solùm condemnantur vt suspecti. Decian *d. cap.* 45. *num.* 5. Farin. *d.* §. 1. *num.* 12. *& seqq. & num.* 38.

6 Schismaticorum etiam filij comprehenduntur in pœnis contra filios hæreticorum latis, quando schisma coniungitur cum hæresi. Farinac. *d* § 1. *num.*

37. & quæst. 184. §. 2. num. 58.

7 Filij eorum, qui legitimè vocati ad respondendum de fide, noluerunt comparere, sed in sua contumacia persistentes, vt verè & propriè contumaces condemnantur, incurrunt pœnas, quæ filiis hæreticorum imponuntur. Peñ. in 2. par. Direct. com. 164. vers. At in casu nostro. Molina *tract.* 3. de iust. p. 1. disp. 658. Sanch. d. lib. 2. cap. 27. num. 19.

8 Filij eorum, qui quantumuis pœniteant, traduntur curiæ seculari propter hæresim, siue relapsi sint, siue dogmatistæ, incurrunt pœnas contra hæreticorum filios promulgatas Peñ. d. comm. 164. Suar. tom. 3. in 3. p. disp. 43. sect. 3. Sanc. d. cap. 27. num. 23. & seqq. Farinac. d. §. 1. num. 8.

9 Filius sponte reuelans Inquisitoribus patrem hæreticum, non priuatur hæreditate paterna, nec pœnam aliam contra hæreticorum filios latam incurrit. Decian. crim. lib. 5. cap. 45. num. 5. & lib. 51. num. 802. Peñ. 2. p. Direct. com. 15. ad cap. Literas. de præsum. vers. Hoc addiderim. Sanchez d. cap. 27. num. 30. Farin. d. §. 1. num. 37.

10 Filij hæreticorum fideles possunt succedere in bonis (paternis exceptis) ex testamento vel ab intestato ab extraneis, aut etiam ab auis. Surdus consil. 386. Simanch. d. tit. 29. num. 19. alios refert. Farinac. d. §. 1. num. 26. & 42. Sanch. d. lib. 2. cap. 14. num. 35. & cap. 29. num. 13.

CAP.

CAPVT XXIII.

De filijs hæreticorum quatenus beneficijs Ecclesiasticis priuantur.

1 FIlij hæreticorum, receptatorum, fautorum & defensorum, tam in linea paterna quàm materna, nepotes verò ex sola paterna, secundum ius commune, sunt inhabiles ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, & priuantur ipso iure beneficiis habitis post parentum delictum non tamen ante delictum obtentis. Simanch. *catholic. instit. tit.* 29. *num.* 2. Peñ. *3. part. Direct. comment.* 163. Sanch. *Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 28. Farinac. *de hæresi quæst.* 191. §. 2. *à num.* 44. *vsque ad* 51. *& in fragmentis tit. C. num.* 349. *& seq.*

2 Qui scienter ad petitionem patris hæretici beneficium obtinuit, illo priuatur. Sanch. *dict. cap.* 28. *num.* 29.

3 Priuantur etiam filij hæreticorum, fautorum, &c. pensionibus; cum nomine beneficiorum veniant: nec alias obtinere possunt. Sanchez *d. cap.* 28. *num.* 35. *& seq.* Farinac. *d.* §. 2. *num.* 60.

4 Prædicti fiunt etiam inhabiles ad ordines, cùm sint infames: non tamen priuantur vsu ordinum ante hæresim parentum susceptorum. Simanch. *cat holi. tit.* 29. *num.* 14. Sanchez *d. cap.* 28. *num.* 7. *& seqq.* Farinac. *d.* §. 2. *ampliat.* 10.

5 Hæretici filius inhabilis ad beneficia obtinenda, non potest beneficium iam habitum permutare; & si permutet, ipse inhabilis amittet beneficium,

quod re vera acquiret ille qui est habilis: inhabilis tamen non acquiret illud aliud beneficium, quod cum suo permutauit. Sanchez *d. cap. 28. num. 33. & 34.*

6 Prædictas pœnas incurrunt filij nati post parentum delictum, quando propter hæresim curiæ seculari traduntur, siue legitimi sint, siue illegitimi. *Cap. præcedenti.* Farin. *d. §. 2. num. 54.*

7 Iure speciali Summorum Pontificum in Regnis Lusitaniæ descendentes ex genere, seu stirpe Hebræorum sunt inhabiles vsque ad septimum gradum inclusiuè à tempore conuersionis illorum computando, ad Canonicatus, præbendas, dignitates in cathedralibus, & dignitates principales in collegiatis Ecclesiis, ad Ecclesias parochiales, & earum vicarias, etiam amouibiles ad nutum, ad cæteráque beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia. Constitutiones Clem. VIII. die 18. Octobris an. 1600. & Paul. V. die 18. Ianuarij an. 1612.

8 Collatio huiusmodi beneficiorum prædictis personis facta à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter irrita est, & inanis. Clem. & Paul. *citatis Const.*

9 Hæc inhabilitas comprehendit descendentes ex stirpe Hebræorum ex paterna & materna linea, vel earum altera vsque ad septimum gradum inclusiuè. Clemens, & Paul. *citatis locis.*

10 Comprehendit etiam omnes Ecclesiasticos ex illo genere seculares, vel cuiusuis Ordinis, aut militiæ regulares, respectu Ecclesiarum dictorum Regnorum. Paul. V. *dicta Const.*

11 Hæ constitutiones ordinantur ad publicam dictorum Regnorum & Ecclesiarum quietem, & salutem.

lutem Clemens, & Paulus *dictis Constitut.* Vnde fauorabiles sunt, & latè interpretandæ; vt potè in fauorem animæ concessæ. *l.* Cùm quidam *ff. de liber. & posth. cap.* Renouantes 22. *dist. cap.* Odia. 15. *de reg. iuris in 6.*

12 Inhabilitas per has constitutiones introducta non est pœna alicuius actualis delicti contra fidem; cùm nullum in illis exprimatur: sed ex generali præsumptione, quæ contra prædictos vsque ad septimum gradum resultat, moti Summi Pontifices inhabilitatem imponunt. Et sic continet præsumptionem iuris, & de iure. *Suprà lib 1. cap. 10. num. 7.*

13 Verba illa Constitutionum, *à tempore conuersionis illorum computando*, intelliguntur absolutè tam de generali conuersione in hoc Regno facta sub Rege Emmanuele, quàm de conuersione illorum, qui post Baptismum susceptum in iudaismum prolapsi, reconciliantur ad fidem. Vtrumque in significatione propria, vulgari & vsitata significat verbum *conuersio*; & cùm lex & dispositio ista generaliter loquatur, generaliter intelligitur. *L.* De pretio. *ff. de public. in rem act. l.* Non distinguemus. *ff. de recept. arbitr.* Tuscus *tom. 2. lit. D. concl.* 508. Et quia interpretando de sola generali conuersione, admitterentur ad beneficia magis suspecti; cùm magis suspectus sit ille, qui est in septimo gradu, cuius ascendentes apostatarunt à fide, quàm qui est in quarto vel quinto, cuius ascendentes vsque ad primum conuersum fuerunt Catholici; atque adeò frustraretur expressa intentio legis, quod admittendum non est. Mantica *de tacitis & ambiguis conuent. lib. 2. tit. 12. num. 20.*

CAPVT XXIV.

De amissione nobilitatis filiorum ob hæresim parentum.

1 NObilitas sanguinis non amittitur propter parentum hæresim. Tiraq. *de nobilit. cap. 35. num. 4.* Nec hæreticus hanc amittit. Sanch. *Decal. lib. 2. cap. 29. num. 2. & 3.*

2 Quando nobilitas est ex priuilegio non ipsi hæretico, sed aliis ascendentibus Catholicis concessa, non priuantur ea filij ob hæresim parentum. Tiraq. *d. num. 4.* Simanch. *cathol. tit. 29. num. 28.* Sanch. *num. 4.*

3 Si nobilitas sit concessa patri & filiis, quamuis pater illa priuetur, non eam amittent filij. Sanch. *dict. num. 4. & 5.* Tiraq. *d. cap. 35. num. 5.*

4 Nobilitas concessa ipsi qui in hæresim est prolapsus, ab ipso ac etiam à filiis, etiam ante delictum natis, & à tota posteritate deperditur; non quasi pœna, sed quia illam habent posteri dependenter à patre. Tiraq. *d. cap. 35. num. 4.* Sanch. *d. cap. 29. num. 6.*

5 Filius qui ex meritis propriis, aut aliunde quàm à parentibus hæreticis obtinuit priuilegium nobilitatis, non illud amittit ob sequentem hæresim parentum. Sanch *d. cap. 29. num. 7.*

6 Idem videtur dicendum, si ob benemerita parentum filio sit concessa nobilitas Sanch. *d. num. 7.*

7 Priuilegium nobilitatis obtentum à filio post hæresim parentum notoriam, siue scienter, siue ignoranter

ranter eam occultauerit, neque ei, neque descendentibus prodest, quamuis habeat clausulam, *Ex certa scientia*. Sanch. *d. cap.* 29. *num.* 8.

CAPVT XXV.

Quando filij ob hæresim parentum excludantur à successione maioratus, qui non confiscatur in perpetuum.

1 PRopter parentum hæresim, qui institutores maioratus non sunt, non excluduntur filij ex vtraque linea, & nepotes ex patre, siue ante siue post delictum nati à successione maioratus carentis iurisdictione. Molina *lib.* 4. *de primogen. cap. vlt. num.* 51. *& seqq.* Molin. *socius tom.* 2. *de iust. par.* 1. *disp.* 658. *num.* 25. Sanch. *Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 4.

2 Succedunt etiam prædicti in maioratu, quamuis habeat annexam dignitatem, & titulum ducatus, &c. *Vterque* Molin. *&* Sanch. *num.* 7.

3 Propter hæresim instituentis maioratum etiam habentem iurisdictionem & titulum, non excluduntur filij & nepotes, vt prædictum est, à successione, si maioratus sit institutus ante delictum per contractum inter vinos, siue irreuocabilem siue reuocabilem, non tamen ante sententiam condemnatoriam reuocatum: secùs verò, si institutus sit per testamentum, vel vltimam voluntatem, aut post delictum commissum. Sanch. *d. cap.* 30. *num.* 13.

4 Plura circa hanc materiam traduntur suprà *hoc lib. cap.* 12. *à num.* 6.

CAPVT XXVI.

De pœnis arbitrarijs communia.

1 POEna arbitraria, seu extraordinaria est illa, *quæ à iure determinata non est, & à iudice imponitur pro suo arbitrio.* Marant. *de ord. iudic. par.* 4. *dist.* 10. *num.* 4.

2 Arbitrium concessum quantumcumque liberum, debet regulari secundùm ius commune. Marta *de clausulis par.* 1. *claus.* 303.

3 Inquisitor in impositione pœnæ arbitrariæ Deum, & iustitiam præ oculis habere debet, & suum arbitrium iuri, & æquitati conformare, ac eam pœnam imponere, quæ sit magis medicina, quàm venenum, attenta & personæ & delicti qualitate. Peñ. 3. *part. Direct. ad quæst.* 95. *commen.* 144. *versic.* Iam in his. Rojas *de hæret. part.* 1. *num.* 548. Tabien. *verbo*, Hæreticus. *num.* 23. & 24. Farinac. *de hæresi quæst.* 193. §. 4. *num.* 84.

4 Pro qualitate criminis, concurrentibus gravissimis circunstantiis potest Inquisitoris, arbitrium extendi usque ad pœnam capitis, etiam in casibus in iure non expressis. Albert. *de agnosc. quæst.* 25. *num.* 34. Molin. *de iust. tom.* 4. *de iust. disp.* 49. *num.* 18. Farin. *tom.* 1. *de delictis. quæst.* 8. *à num.* 79. Dixi *de solicitantibus, tract.* 2. *cap.* 18. *num.* 10. Marant. *dict. part.* 4. *dist.* 1. *à num.* 59.

5 Pœnæ, quæ communiter arbitrio Episcopi & Inquisitoris imponi solent, sunt exilium, deportatio, missio ad triremes, sive ad tempus, sive perpetua, fustigatio,

ſtigatio, ſolutio pecuniæ, templi vel hoſpitalis ædificatio, eleemoſynarum elargitio, dotatio virginum, ieiunia, orationes, & ſimilia Eccleſiaſticus, cuius bona confiſcata fuere, ſuſpendi poteſt ab officio, aut beneficio in perpetuum, vel ad tempus. Farin. *dict.* §. 4. *à num.* 80. *vſque ad* 95.

6 Pœnæ, quæ arbitrio Inquiſitorum imponuntur, cùm non ſolùm imponantur ad afflictionem corporis, ſed etiam ad ſalutem animæ, eſſe debent contrariæ delicto; vt ſi quis non ieiunabat, non audiebat Miſſam, & ſimilia omittebat, imponatur ei vt ieiunet, ſacris interſit, & alia huiuſmodi. Calderin. *de hær. cap.* 20 *num.* 1.

7 Credentes qui hæretici non ſunt, receptatores, defenſores, fautores hæreticorum, & generaliter omnes ſuſpecti tantùm de fide, non puniuntur pœnis hæreticorum, niſi quatenus iure reperitur expreſſum; quia hæretici propriè non ſunt; & qui minùs peccat, mitiùs punitur, iuxta regulam capitis Pœnæ. *de pœnit. diſt.* 1.

8 Suſpectis de fide & hæreticis redeuntibus ac reconciliatis imponi ſolent pœnæ ſeu pœnitentiæ relatæ numero quinto. Eymeric. 3. *part. Direct. rubrica de quinto modo terminandi proceſſum. num.* 172. *& eâdem* 3. *part. quæſt.* 95. *vtrobique* Peñ. *commem.* 41. *&* 144. Farinac. *d.* §. 4. *num.* 80.

CAP.

CAPVT. XXVII.

De aliquorum criminum tam ordinariis, quàm arbitrariis pœnis.

1 BLasphemis imponitur pœna arbitraria. De qua dictum est supra *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 20. *& seqq.*

2 Schismatici, de quibus dictum est *lib.* 1. *cap.* 20. amittunt iurisdictionis potestatem. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 3. Azor *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 9. Sanchez *de præcept. Decal. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 10.

3 Incurrit etiam schismaticus excommunicationem latæ sententiæ positam in Bulla Cœnæ. Azor *dict. cap.* 20. *quæst.* 5. Sanch. *d. cap.* 36. *num.* 11. *& seqq.* Dixi in relectione Bullæ Cœnæ. *cap.* 2. *disp.* 18. *num.* 4.

4 Incurrunt item schismatici inhabilitatem ad beneficia Ecclesiastica acquirenda, etiam post pœnitentiam schismatis; in qua solus Summus Pontifex potest dispensare, nisi schisma sit occultum; tunc enim Episcopus dispensare valet. Azor *d. cap.* 20. *quæst.* 8. Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst.* 48. *comment.* 73. Sanch. *d. cap* 36. *num.* 18.

5 Controvertitur an schismaticus, qui hæreticus non est, ipso iure privetur beneficiis ante schisma adeptis Probabilius est non privari. Sanch. *d. cap.* 36. *num.* 19.

6 Eadem est controversia de irregularitate; an incurratur ex schismate non notorio (nam si notorium

rium sit, incurritur, sicut ex quouis alio crimine depositione digno.) Probabilius est non incurri. Suar. *in 3. part.* S. Thom *tom. 5. disput. 43. sect. 2. num. 7.* Sanch. *d. cap. 36. num. 20.*

7 Schismaticorum bona, præsertim si sint bona Ecclesiæ, confiscantur. Ipsi etiam pecuniaria ac corporali pœna & exilio puniuntur, ac deponuntur: & si contumaces fuerint, curiæ seculari traduntur. Decian. *crim. lib. 5. cap. 67.* Farin. *de hæret. quæst. 184. §. 2. num. 47.*

8 De pœna legentium, retinentium, ac imprimentium libros prohibitos dictum est *d. lib. 1. cap. 21.* Credentium hæreticis pœna tam ordinaria, quàm arbitraria traditur suprà, *lib. 1. cap. 22. num. 12. & 13.*

9 Pœnas ordinarias, ac etiam arbitrarias contra hæreticorum receptatores tradidimus suprà, *lib. 1. cap. 23. num. 24. & seqq.* Contra defensores, *cap. 24. num. 9.* Contra fautores, *cap. 25. num. 16.* Contra diffamatos de hæresi, *cap. 26. num. 3.* Contra excommunicatos persistentes in excommunicatione per annum, *cap. 27.* Contra impedientes officium sanctæ Inquisitionis, *cap. 28. num. 7. & seqq.* Contra disputantes de fide, *cap. 29. num. 21.*

10 Pœna hæreticorum, qui ad terras Catholicorum commercij causa venientes scandalum præbent contra fidem, traditur suprà, *lib. 1. capit. 31. num. 18.*

11 Contra celebrantes Missas non presbyteros refertur pœna. *d. lib. 1. cap. 32. num. 13.* Contra eosdem audientes confessiones, *cap. 33. num. 7.* Contra confessarios solicitantes pœnitentes in confessione ad actus inhonestos, *cap. 34. num. 66. & seqq.*

12 Con-

12 Contrahentibus binas nuptias, viuente altero coniuge, imponitur pœna arbitraria. *d. lib. 1. cap. 35. num. 19. & seqq.*

13 De pœna communicantium cum infidelibus egimus. *d. lib. 1 cap. 36. num. 26.* De ea quæ imponitur infidelibus delinquentibus contra fidem, *cap. 37. num. 29.* De pœnis sortilegorum. *cap. 58.* De sodomitarum pœnis, *cap. 59. à num. 21. vsque ad finem capitis.*

14 Cùm Inquisitores possint implorare auxilium brachij secularis, possunt etiam seculares si in præstando huiusmodi auxilium contumaces, aut negligentes fuerint, excommunicare, honore priuare, & aliis pœnis arbitrariis pro delicti qualitate coërcere. Eymer. *3. p. Direct. quæst. 57. vbi* Peñ. *commen. 106.*

15 Domini temporales, qui prius moniti ab Inquisitoribus vt præstent iuramentum de defendenda Ecclesia contra hæreticos, & postea per censuram requisiti id præstare nolunt, declarandi sunt excommunicati: & si postea paruerint, absoluantur, aliqua dura pœnitentia imposita. Eymer. *3. p. Direct. num. 17. vbi* Peñ. *com. 6. & quæst. 32. & 33. vbi* Peñ. *comment. 81. & 82.*

16 Inquisitores excommunicare etiam possunt officiales temporales, & grauibus item pœnis arbitrariis mulctare, qui ad præstandum similiter prædictum iuramentum non venerint. Eymeric. *dict. num. 17.* Peñ. *d. comment. 6.*

17 Pœna arbitraria, quæ prædictis imponitur, est quòd certis diebus dominicis, aut festiuis, dum maior Missa dicitur, stent in porta Ecclesiæ, vel in gradibus ante altare, caputio, & sutoralibus depositis, tenendo

tenendo cereum certi ponderis in manu, quem offerant sacerdoti, Missa terminata. Eymeric. & Peñ. *locis prox. m. citatis.*

18 Contra dominos temporales non facilè procedant Inquisitores, nec inconsulto supremo Senatu, maximè si prędicti domini superiorem non habeant, propter maxima scandala, quæ indè poterunt resultare; sed salutaribus monitis eos ad obediendum commoueant. Peñ. *d. comment. 6.*

19 Magistratus & iudices seculares non exequentes, aut exequi differentes mandata & sententias Inquisitorum in causis fidei, per censuras cogendi sunt; & si nolint obedire, pœnis impedientium officium sanctæ Inquisitionis, & fautorum hæreticorum plectantur. Eymeric *3. p. Direct. quæst. 34. vbi* Peñ. *comment. 85.* Comens. *in Lucerna verbo* Executio. §. 7. *verf.* Imò Inquisitor.

20 Contumaciter iurare renuentibus in causa fidei, quia credunt id esse peccatum, hæreticorum pœna imponenda est; si verò ex simplicitate hoc faciant, arbitrariè puniantur. Eymeric. *3. p. Direct. quæst. 41. vbi* Peñ. *comment. 90.*

21 Nolentes testificari in causa fidei, nisi ex consanguinitate vel affinitate coniuncta, aut ex magna amicitia, aut ex alia rationabili causa excusentur, de hæresi redduntur suspecti, & hæreticorum fautores reputantur, pœnisque ordinariis & arbitrariis, quibus tales affici solent, puniuntur. Eymer. *3. p. Direct. quæst. 62. vbi* Peñ. *comment. 111. verf.* Sed opportunè. *& seq.*

22 Pœna falsi testis & corrupti refertur supra *lib. 2 cap. 8 num. 9. & seqq.*

23 Episcopus instituens in suo testamento hæreticum

reticum hæredem aut non Catholicum, siue extraneus sit, siue consanguineus vel affinis, excommunicatur, & eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitatur. Decian. *crim. lib. 5. cap. 43. num. 8.* Farinac. *de hæresi quæst. 190. §. 8. num. 105.*

24 Ecclesiasticus aut secularis instituens similiter hæreticum hæredem, præter excommunicationem à die facti testamenti incursam, priuatur Ecclesiastica sepultura, & tamquam suspectus de hæresi punitur. Decian. *d. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Farinac. *d. §. 8. num. 107. & quatuor sequentibus.*

25 Instituens hæreticum hæredem, potest inquiri & excommunicari etiam post mortem, & eius bona confiscantur; si tamen sit Episcopus, non proceditur contra illum quoad bonorum publicationem, licèt quantùm ad excommunicationem procedatur. Farin. *d. §. 8. num. 114. & seq.*

26 Instituens hæreticum iam reconciliatum hæredem, aut aliquid donans hæretico in necessitate constituto ne fame pereat; vel instituens eum, quem probabiliter ignorabat esse hæreticum, non incurrit prædictas pœnas. Farinac. *d. §. 8. num. 116. & seqq. & quæst. 182. §. 1. num. 13.*

CAPVT XXVIII.

De impositione pœnæ pecuniariæ.

1 INquisitores licitè possunt in crimine hæresis pœnam pecuniariam imponere etiam Ecclesiasticis

siasticis habentibus patrimonium, aut qui fructus beneficiorum in suos vsus conuertunt. Eymer. *3.p.Direct.quæst.103.vbi* Peñ. *comment.* 152. *vers.* Rursus. Simanch. *cathol.tit.27.num.5.* Farinac. *de hær. quæst.* 193. *§.6.num.*108.

2 Pœna pecuniaria applicari potest pro officio sanctæ Inquisitionis, aut pro aliis causis piis; non tamen licet Inquisitoribus eam sibi applicare. Simanc. *cathol.tit.46.num.76.* Eymeric. *d.quæst.* 103. Peñ. *d.com.* 152. *vers.* Primum. *& seqq.* Farinac. *d. §.6. num.* 111. *&* 119.

3 Inquisitores tunc pœnam pecuniariam imponant, quando apparet eam à reo magis timeri; non tamen pro omni leui culpa, nec semper, nec excedat qualitatem peccati, & conditionem personæ. Decian. *crim.lib.5.cap.44.num.7.* Peñ. *ad 3.par. Direct.commem. 7.vers.* At quamuis. *& d.comment.* 152. *vers.* Hoc postremo. Farinac. *d.§.6 num.*115. *&* 121.

4 Pœna pecuniaria imponitur suspectis de hæresi, fautoribus, defensoribus, proferentibus etiam heresim per iocum, ex fatua simplicitate, ignorantia, vel ira, quæ omnimodam excusationem non habeat. Peñ. *d.com.*152. *vers.* Rursus Inquisitores. Decian. *dict. num.7.* Farinac. *d.§.6.num.* 111. *& seqq.*

5 Qui pœnam pecuniariam soluere non potest, luat in corpore, dummodo persona Ecclesiastica, vel ingenua non sit. Hæc commutatio etiam post latam sententiam licitè fit. Peñ. *d.com.*152. *vers.* Addit. Decian. *d.num.7.* Farinac. *d.§.6. num.* 114.

6 Hæreticis confessis vel conuictis, aut impœnitentibus pœna pecuniaria non imponitur; cùm habeant pœnas taxatas à iure, quas iudex mitigare non

potest. Peñ. *4 com.* 1, 2. *vers.* Pœna verò. Farinac. *d.* §. 6. *num.* 17.

7 Clerico non habenti patrimonium nec beneficium pingue, pœna pecuniaria non imponitur, nec illis quorum bona confiscantur. Peñ. *d. com.* 152. *vers.* De clericis. Farin *d.* §. 6. *num.* 118.

8 Vbi Inquisitores sufficientia stipendia non habent ad suum officium exequendum, possunt expensas exigere ab ijs, contra quos procedunt. Eymeric. 3. *p. Direct. quæst.* 104. *vbi* Peñ. *com.* 153. *vers.* Quoniam.

9 Impensæ, quæ dum in reos inquiritur, fiunt, ab ipsis exigendæ sunt; ex eorum etiam bonis satisfaciendum est ductoribus & custodibus, quando è longinquo deducuntur; similiter tenentur rei soluere alimenta, & alia quæ dum in carcere detinentur, consumunt, donec causa eorum fuerit expedita. Eymer. *d. quæst.* 104. Peñ. *d. com.* 153. *vers.* De impensis

10 Sportulas non possunt Inquisitores accipere; cùm eis à republica vel à Rege salaria deputentur. Peñ. *d com.* 153. *vers.* De sportulis.

11 Ordinarij, dum contra hæreticos procedunt, non possunt, saltem regulariter, expensas recipere; cùm ex dignitate Episcopali eis conueniat in hoc negotio laborare. Eymeric. 3. *p. Direct. quæst.* 106. *vbi* Peñ. *com.* 155.

12 Xenia, esculenta, & poculenta quæ intra paucos dies prodigantur, quamuis Inquisitores accipere possint, nullo tamen modo à reis accipienda sunt propter scandalum & suspicionem: neque etiam à quibusuis alijs ob indecentiam. Peñ. *d. comment.* 153. *vers.* De tertia conclusione, *& duobus seqq.*

13 Inquisitores super expensas, ad quas condemnant

demnant reos, contra quos procedunt, non tenentur reddere rationem Episcopo, etiam petenti: neque ipse Episcopus exigere potest partem prouentuum, qui de hæreticorum bonis Inquisitionis officio deputantur. Eymeric. 3. *part. Direct. quæst.* 105. & 107. *vbi* Peñ. *comment.* 154. & 156.

14 Vbi Inquisitoribus & aliis sancti Officij ministris non sunt salaria deputata, probabilius est Episcopos, quorum sunt adiutores, eos prouidere debere, quamuis probabile etiam sit ad dominos temporales hoc spectare: cùm ipsi bona hæreticorum confiscata accipiant. Eymeric. *dict.* 3. *part. quæst.* 108. *vbi* Peñ. *comment.* 157.

15 Inquisitoribus & aliis ministris prouideri potest de Ecclesiasticis beneficiis, tum simplicibus, tum etiam personalem residentiam requirentibus; quæ cùm vacauerint, authoritate Apostolica applicentur, vel pensiones in eis instituantur. Peñ. *dict. comment.* 157. *vers.* Quales autem.

CAPVT XXIX.

De pœna non perficientis iniunctas pœnitentias.

1 QVamdiu aliquis ob hæresim vel suspicionem illius est in pœnitentia ab Inquisitoribus imposita, sub eorum manet iurisdictione, ita vt contra huiusmodi pœnam, vel pœnitentiam violantes procedere possint. Simanch. *cathol. tit.* 48. *num.* 29.

& 30. Eymer. 3. part. Direct. quæst. 97. vbi Peñ. comment. 146. vers. Quantum ad primam. & seqq. Farinac de hær. quæst. 93. §. 7. n. m. 123.

2 In criminalibus vel ciuilibus causis carceratorum, etiam pœnitentiæ tempore durante, non se possunt Inquisitores intromittere: conueniriq́ue debent ipsi carcerati apud iudicem secularem. Peñ. dict. comment. 146 vers. Cæterum. & seqq.

3 Si carcerati, siue ad tempus, siue in perpetuum, & pœnitentes dum sunt in pœnitentia leuiter inter se deliquerint, in illos valent Inquisitores animaduertere; non verò si causæ inter eos ortæ graues sint. Peñ. d. comment. 146. vers. Illud tamen.

4 Damnatus ad perpetuum carcerem, seu monasterium, ad pœnam vel ad pœnitentiam peragendam, si inde aufugiat vel fugam tentet, quamuis iudicandus sit impœnitens quamdiu est in fuga, non tamen ob hanc causam censetur relapsus. Peñ. d. comment. 146. vers. Verumtamen. & seqq. Simanch. cathol. institutionum tit. 16. num. 25. Farinac. dict. §. 7. num. 136.

5 Sic fugiens si misericordiam petat, & paratus sit Ecclesiæ satisfacere, siue sponte veniat, siue comprehensus, etiam si fugæ commodam excusationem non habeat, reconciliandus est; maiori tamen pœna propter fugam afficiendus. Peñ. d. comment. 146. vers. Itaque.

6 Si prædictam fugam præcedunt, comitantur, vel subsequuntur signa, siue prioris siue alterius erroris, licèt aliàs non sufficerent ad reum conuincendum de lapsu, non est improbabile quòd talis fugiuus potest tamquam relapsus condemnari, tutiùs tamen

tamen est oppositum, dummodo signa & coniecturæ non sint à iure approbatæ & iudicatæ sufficientes ad conuincendum aliquem de relapsu. Peñ. *d. comment.* 146 *vers.* Atque hanc.

7 Qui iniunctas pœnitentias non modo non adimplet, sed animo obdurato adimplere recusat, velut impœnitens est iudicandus, & nisi resipiscat, tradendus est curiæ seculari. Idem esto iudicium de eo, qui pœnitentiam impositam propter hæresim probatam recipere renuit. Peñ. *d. comment.* 146. *versiculo*: Cæterum Farin. *d. quæst.* 193. §. 7. *num.* 140.

8 Acceptatas pœnitentias non adimplens, cùm nulla ei competit excusatio, licèt non censeatur relapsus, tamquam impœnitens puniendus est, nisi resipiscat: si tamen excusationem habeat, iuxta excusationis qualitatem à culpa liberatur. Vt omnem suspicionem culpæ effugiat, occurrente impedimento aut necessitate, consulat Inquisitores. Peñ. *d. comment.* 146. *versic.* Sed veniamus. *vsque ad vers.* Et hæc intelligo. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 141. & 148.

9 Si omittens adimplere pœnitentiam iniunctam, in eam non adimplendo culpam aliquam committat, ex qua iuris præsumptione iudicatur relapsus: vt visitare hæreticos, fauorem eis impendere, receptare, deducere, associare, dona vel munera eis donare vel mittere, quę excusari non possint, vt relapsus tradendus est curiæ seculari. Peñ. *d. commen.* 146. *versi.* Quod si. Farinac. *d.* §. 7. *num.* 144.

10 Committens in non adimplendo pœnitentiam crimen aliquod, quod nec hæreticum sit, nec sapiens hæresim, nec ad illud vitandum pœnitens se obligauit, quamuis aliàs tale crimen prohibitum sit,

neque relapsus, neque impœnitens iudicatur. Peñ. *d. comment.* 146. *vers.* Sin autem.

11 Qui illud commisit crimen, ad quod vitandum specialiter se obligauit: vt ad non exercendas vsuras, cùm illam hæresim abiurauerit, quæ docet non esse peccatum vsuram exercere, non est iudicandus relapsus: cùm secundùm ius ex hoc delicto relapsia non concludatur: sed interrogandus est per tormentum, quid de ea re sentiat, ac iuxta confessionis qualitatem vt relapsus, vel vt deficiens in pœnitentia puniatur. Peñ. *d. comment.* 246. *vers.* Si verò.

12 Qui eam committit culpam, ad quam non iterum committendam se obligauit, non reputatur relapsus ex eo quòd in abiuratione dicit: *Quòd si contra abiurata fecero in futurum protinus volo haberi pro relapso*, cùm hæc obligatio secundùm iuris regulas intelligatur. Peñ. *dict. comment.* 146. *versic.* Sed occasione. *& duobus sequentibus.*

13 Quando hæreticus Ecclesiæ reconciliatur sub pœna pecuniaria de parendo mandatis, potest Inquisitor ab ipso petere cautionem seu fideiussionem de parendo sub tali pœna: & si non paruerit, eam à fideiussore exigere. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 54. *num.* 41. Farin. *d.* §. 7. *num.* 124.

14 Licèt ad pœnitentiam personalem non adimpletam obligari non possint succedentes in bonis hæretici, vel suspecti de fide, nec etiam ad pœnitentiam imponendam, cogi tamen possunt ad soluendam pœnitentiam viuenti impositam exigendam de bonis ipsius defuncti. Eymer. 3. *p. art. Direct. quæst.* 120. *vbi* Peñ. *comment.* 109. Farin. *d.* §. 7. *a num.* 125. *vsque ad* 131.

13 Non

15 Non adimplens pœnitentiam ex fragilitate carnis, non iudicatur impœnitens: si verò ex malitia, putans se ad id non teneri, vel quia credit non erasse in fide, in eo errore persistendo, pro quo fuit condemnatus: vel quia existimat non posse Inquisitores pœnitentias iniungere, pertinax est, & hæreticus, & vt relapsus puniendus. Decian. *dict. cap.* 54. *num.* 40. *& cap.* 55. *num.* 11. *& cap.* 56. *num.* 5. Farinac. *dict.* §. 7. *num.* 143.

CAPVT XXX.

De pœnis augendis, vel temperandis.

1 SIne causa non potest iudex aut Inquisitor minuere, vel augere pœnas à lege, statuto, aut consuetudine introductas. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. Menoch. *de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 96. *num.* 10. Calderin. *de hæret. cap.* 19. *num.* 1. Tiraq. *de pœn. temp. in præfat. num.* 1 *& seqq.* Farinac. *crim. quæst.* 7. *num.* 5.

2 Existente iusta & rationabili causa, licitum est iudici ordinario pœnas temperare, augere vel immutare, habetque ad hoc concessum arbitrium à iure. Tiraq. *in dict. præfat. num.* 16. *& sequentibus.* Menoch. *de arbitr. d. quæst.* 96. *num.* 14. Farinac. *d. quæst.* 17. *num.* 7. *& multis sequentibus.*

3 Augere vel minuere pœnas pro ratione qualitatum, & circumstantiarum occurrentium, etiam in crimine hæresis potest Inquisitor. Gondisal. *de hæret. quæst.* 17. Farin. *d. quæst.* 17. *num.* 22.

4 Quamuis in aliis criminibus iudex post latam sententiam non possit pœnam minuere inconsulto Principe, in crimine tamen hæresis vel suspicionis illius id Inquisitori licet. Griland. *de hæret. tractat. de relaxat. carceratorum de sentent. & pœnar. execut. quæst. 6. num. 3.* Farin. *d. quæst. 17. num. 61.*

5 Si in lege aut statuto cautum sit, ne iudex taxatam pœnam minuat vel augeat, nullum ei relinquitur arbitrium ad illam augendam, minuendamve. Farin. *dicta quæst. 17. num. 68. & seqq.*

6 Pœna, quæ per legem aut statutum applicatur parti, non potest iudex vel Inquisitor minuere. Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 96. num. 1. & 2.* Sot. *de iust. & iur. lib. 4. quæst. 5. art. 4.* Farin. *d. quæst. 17. num. 71.*

7 Arbitrium, quod iudici vel Inquisitori conceditur in augmento & relaxatione pœnæ, duplex esse potest, plenum scilicet, seu liberum & regulatum. Menoch. *d. lib. 1. quæst. 6.*

8 Arbitrium plenum est *concessio à lege vel homine facta, qua potest iudex proprio ductus appetitu, à dolo tamen alieno, quod placuerit statuere.* Menoch. *d. quæst. 6. num. 3.*

9 Arbitrium regulatum est *concessio à lege vel homine facta, qua potest iudex secundum ius, rationem, & æquitatem animi sui proferre sententiam.* Menoch. *d. quæst. 6 num. 2.*

10 Arbitrium in causis criminalibus, & in pœnarum taxatione concessum, semper intelligitur de arbitrio boni viri, quod iure & ratione regulatum est; cùm in hoc includatur præiudicium tertij. Menoch. *d. lib. 1. quæst. 9. num. 8. & seqq. & quæst. 77.*

11 Tunc arbitrium regulatur iure, quando iudex

dex ex similibus iure, vel consuetudine determinatis ad similia procedit, etiam in criminibus, cuius similitudinis in determinando debet expressam mentionem facere. Menoch. *d. lib. 1. quæst. 14. num. 3.*

12 Quando eiusdem criminis dantur duæ pœnæ, quas iudex alternatiuè potest imponere; si circunstantiæ & qualitates occurrentes postulant vt maior pœna imponatur, licitum est iudici pœnam augere: in dubio tamen minorem imponat. S. Thom. 2. 2. *quæst. 67. art. 4. ad 1.* Menoch. *d. lib. 1. quæst. 85. & 94. num. 2.*

13 Si verba legis, quæ pœnam alternatiuè ponit, dirigantur in personam delinquentis: vt si dicat: *Soluat centum, vel recedat à ciuitate:* electio est delinquentis, non iudicis. Menoch *dict. lib. 1. quæst. 94. num. 4. & 5.*

14 Non potest iudex regulariter arbitrari pœnam mortis, quæ per legem vel statutum non ponitur. Menoch. *d. lib. 1. quæst. 86. num. 1. & seqq.*

15 Si delictum sit atrox, & tales circunstantiæ concurrant, vt de iure vel consuetudine ob illas delinquens mortem mereatur, potest iudex mortis pœnam arbitrari, dummodo iudex sit superior, nec tale arbitrium aliàs prohibeatur. Menoch. *dict. quæst. 86. num. 20. & seqq.* Clar. *in praxi § fin. quæst. 83. num. 11.* Anton. Gomez. *tom. 3. variar. de delict. num. 8.* Dixi *de solicit. tract. 2. cap. 18. num. 10. & seqq. supra lib. 1. cap. 34. num. 70.*

16 Quamuis iudex possit de iure mutare pœnam mortis à lege taxatam interueniente iusta causa, non tamen potest mutare illam in aliam mortis pœnam minùs ignobilem, aut in aliam corporis afflictiuam, sed solummodo in exilium, in pœnam pecuniariam,

vel in alias similes; at verò secundùm consuetudinem potest commutare pœnam mortis in eam, quæ est afflictiua corporis: vt fustigatio & missio ad triremes, etiam in perpetuum. Farinac. *dict. quæst.* 17. *num.* 72. & 73.

17 In augendis vel minuendis pœnis attenditur ad qualitatem delicti, vtrum sit leue an graue; enorme seu atrox, an grauius, atrocius, vel magis enorme. Quæ autem sint huiusmodi, iudicis arbitrio determinandum relinquitur. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 266. *num.* 2. Clar. §. *fin. quæst.* 85. *vers.* Scias autem. Farina. *crim. quæst.* 18. *num.* 62.

18 Delictum leue, graue, & grauissimum dignoscitur ex qualitatibus & circunstantiis personæ, instrumenti quo perpetratur, causæ ob quam committitur, loci, temporis, & similium. Carrer. *in pract. crim. tract. de homicidio.* §. Circa igitur tertium. *num.* 1. & *seqq.* Farinac. *d. quæst.* 18. *num.* 63. & 64.

19 Delictum mali exempli, tanquam perniciosius communitati, grauius censetur. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 44. *num.* 53. Menoc. *d. lib.* 2. *casu* 358. *num.* 4. Farin. *d. quæst.* 18. *num.* 65. & 71. *cum seqq.*

20 Delictum quod est de genere prohibitorum, siue committatur clam, siue palam, non reputatur grauius quoad pœnæ impositionem, sed æqualiter punitur. Farinac. *d. quæst.* 18. *num.* 71. *vers.* Primo casu.

21 Si materia in qua committitur delictum, sit de genere permissorum, grauius peccat qui clam delinquit, & grauius est puniendus, quàm qui palam. Farinac. *d. num.* 71. *vers.* Secundo casu.

22 Delicta commissa cum dolo, cùm sint grauiora, grauius puniuntur, quàm quæ sine dolo perpetrantur.

trantur. Decian. *crim. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 9. Farinac. *d. quæst.* 18. *concl.* 5. *& 6. & quæst.* 87. *num.* 1. *& 2.*

CAPVT XXXI.

Dolus, vel illius carentia quando augeat, aut minuat delicti pœnam.

1 DOlus malus in genere sumptus, est *machinatio ad decipiendum, circumueniendum, fallendumque alterum adhibita, cùm aliud agitur, aliud simulatur.* Sylu. *verbo* Culpa. *num.* 1. Farinac. *crim. quæst.* 88. *num.* 1. *& 3.*

2 Dolus alius verus, alius præsumptus. Verus dolus est *machinatio ad decipiendum, circumueniendum, fallendúmque alterum manifestè adhibita.* Hoc non tollit quin etiam præsumptionibus & indiciis, dummodo manifesta sint, probetur. Menoch. *de præsumptionibus lib.* 5. *præsumpt.* 3. *num.* 6. Farinac. *d. quæst.* 88. *num.* 6. *& sequentibus.*

3 Dolus præsumptus est *machinatio ad decipiendum, circumueniendum, fallendúmque alterum præsumptiuè adhibita.* Barth. *in l* Quod Netua. *num.* 13. *ff. depositi.* Farinac. *d. quæst.* 88. *num.* 12. *& seqq.*

4 Fraus licèt communiter cum dolo confundatur, ab eo tamen differt, & est *actus malitiosus tendens de permisso ad prohibitum.* Menoch. *de præsump.* 3. *num.* 4. Decian. *crim. lib.* 1. *cap.* 5. *rubr. de fraude. num.* 1. Farin. *d. quæst.* 88. *à num.* 35. *quæst.* 4. *& 5.*

5 Culpa in genere sumpta est *deuiatio ab eo, quod diligentia*

diligentia hominis potuit præuideri. Bart. *l.* Quod Nerua. *num.* 6. *& 7. ff. depositi.* Farin. *d. quæst.* 88. *num.* 49.

6 Culpa provt in se continet dolum, est *voluntaria declinatio a bono, vel ex malitia, vel ex negligentia procedens.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 34. *art.* 2. Decian. *d. lib.* 1. *cap.* 6 *num.* 1. *&* 4. Farinac. *d. q.* 86. *num.* 49.

7 Culpa à dolo separata est *excessus, siue peccatum per imprudentiam admissum in alicuius damnum, quod tamen per prudentiam, si adesset aduertentia, euitari posset.* Decian. *&* Farin. *proximè citatis locis.*

8 Culpa quadruplex est, latissima videlicet, lata, leuis, & leuissima. Menoch. *de præsump. lib.* 5. *præsump.* 3. *num* 124. Decian. *d. cap.* 6. *num.* 7. *& seqq.* Farinac. *d. quæst.* 88. *num.* 53. *& seqq.*

9 Latissima culpa est, *quæ procedit ex calliditate, fallacia, vel machinatione ad decipiendum, circumueniendum, fallendumque alterum adhibita ex veris indiciis præsumpta*; & in hac consideratione media est inter dolum, & culpam latam. Salicet. *in l.* Si nulla. *num.* 7. *fin. C. de pignorat.* Farinac. *d. quæst.* 88. *num.* 59. *& seqq.*

10 Culpa lata est *deuiatio circumspecta ab ea diligentia, quam communiter habent homines, qui sunt eiusdem professionis & conditionis.* Sylu. *verbo* Culpa. *num.* 2. Farin. *d. quæst.* 88. *num.* 67. *& seqq.*

11 Leuis culpa est *facere vel non facere id, quod diligens paterfamilias faceret vel omitteret in rebus suis.* Sylu. *verbo* Culpa. *num.* 2. Menoch. *de præsump. lib.* 5. *præsump.* 3. *num.* 132. Decian. *crim. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 20. Farin. *d. quæst.* 88. *num.* 97. *& seqq.*

12 Culpa leuissima est *deuiatio incircumspecta ab ea diligentia quam habent homines diligentissimi eiusdem conditionis & professionis.* Sylu. *d. num.* 2. Decian. *d. cap.* 6. *num.*

6.*num.*23 Farin.*d.quæſt.*88.*num.*83.*& ſeqq.*

13 Appellatione culpæ in dubio venit culpa leuis; reſpiciendum tamen eſt ad ſubiectam materiam. Decian.*d.cap.*6.*num.*21.*&* 22.Farinac.*d.quæſt.*88.*num.* 91.*& ſeqq.*

14 In dubio non præſumitur dolus, neque fraus, & ad dolum & fraudem excludendam omnis interpretatio facienda eſt, potiuſque præſumenda eſt culpa, quàm dolus, licèt etiam culpa non præſumatur. Menoc.*d.præſump.*3.*à num.*14. Maſcard.*de probat. lib.* 1.*concl.*531.*num.*1.*& ſeqq.& lib.*2.*concl.*814.*num.*3. Farinac.*quæſt.*89.*inſpect.*1.*per totam.*

15 Quando lex requirit dolum ad punitionem, lata culpa non æquiparatur dolo, ſecùs verò ſi verus dolus non requiritur. Sylu.*verbo* Culpa.*num.* 4.*&* 24.

16 Fraus & dolus præſumptionibus & coniecturis probantur, quæ eſſe debent efficacia, & ſufficientia; quæ autem ſint huiuſmodi, iudicis arbitrio determinandum relinquitur. Menoch.*de præſump. lib.* 1.*qu.* 58.*à num.*10.*& lib.*5.*præſump.*3.*à num.*42. Maſcard.*lib.* 1.*concl.*530.*num.*1.*& ſeqq.* Farinac.*d. quæſt.* 89.*inſpect.* 2.*per totam.*

17 Præſumptio non doli fortior eſt, quàm præſumptio doli, niſi agatur de probando dolum reſultantem ex actu natura ſua malo. Menoch.*d.præſumpt.* 3.*num.*123.Farina.*d.inſpect.*2.*num.*40.*& ſeqq.*

18 Nonnullæ ſunt præſumptiones, quæ regulariter dolum excludunt. Prima ſumitur ex qualitate perſonæ: vt ſi ſit ruſtica, imperita, &c. Menoch. *dict. præſumpt.* 3. *num.*38.*&* 39.Maſcard.*lib.* 1.*concl.* 531.*num.*131.*& ſeqq.* Farinac. *quæſt.* 89. *inſpect.* 3. *num.*44. *& ſeqq.*

19 Secunda:

19 Secunda: ex defectu causæ, qua quis dolum commisisse dicatur. Menoc. *dict. præsumpt. 3. num. 17. & seqq. & num. 85.* Mascard. *d. concl. 531. num. 3. 4. 22. 29. & 77.* Farinac. *d. inspect. 3. num. 55. & seqq.*

20 Tertia: ex eo, quòd quis vtitur iure suo; aut iure permittente aliquid agit, vel exequitur actum fieri solitum. Menoch. *d. præsumpt. 3. num. 23.* Mascard. *d. concl. 531. num. 12. & 51. & lib. 2. concl. 815. num. 41.* Farin. *d. inspect. 3. num. 59. & seqq.*

21 Quarta: ex actu palam commisso, qui licèt in specie sit prohibitus, in genere tamen est permissus. Albert. *de agnosc. quæst. 23. num. 79.* Farinac. *d. inspect. 3. num. 63.* Hoc tamen iudicis arbitrio relinquitur. Menoch. *lib. 3. præsumpt. 122. num. 94.*

22 Quinta: ex ignorantia facti, dummodo sit probabilis. Farin. *d. inspect. 3. n. 64. & seqq.*

23 Sexta: ex actu, qui in personam beneuolam, propinquam vel coniunctam exercetur. Menoch. *d. præsumpt. 3. lib. 5. num. 25. & seqq.* Mascard. *d. concl. 531. num. 11.* Farinac. *d. inspect. 3. num. 68.*

24 Septima: ex eo quòd quis operatur ex obedientia superioris: ex necessitate officij: aut ex interuallo temporis. Mascard. *d. concl. 531. num. 9. & lib. 2. concl. 815. num. 8. & 9.* Farinac. *d. inspect. 3. num. 69. & 71. & inspect. 4. num. 115. & seqq.* Dummodo tamen delictum manifestum non sit.

25 Sicut prædictæ causæ dolum in totum vel in partem excludunt: sic ex contrariis præsumitur. Vt si persona sit docta; si detur causa, ex qua dolum quis commisisse dicatur; si quis facit contra ius: si clam committatur actus prohibitus; si quis scienter operatur: si quis exercet actum contra inimicum: si aliquis

quis contra obedientiam facit, aut quod ad alium spectat operari. Farinac. *dict. quæst. 89. inspect. 4. ferè per totam.*

26 Præsumitur etiam dolus ex præcedenti tractatu: ex actu facto cum personis suspectis vel prohibitis: aut ex qualitate temporis. Menoc. *d. præsumpt. 3. num. 110.* Mascard. *dict. concl. §31. num. 62. 73. 104. & 143.*

27 Præsumitur dolus ex mendacio: ex falsa expressione & assertione: ex eo quòd quis affirmat pro vero aut certo, quod verum vel certum esse ignorat: ex eo quòd aliquis tacet, quæ dicenda erant, vel obscurè loquitur. Menoch. *d. præsumpt. 3. num. 55. & seqq.* Mascard *d. concl. 531. num. 7. 19. 37. 68. & seqq.* Farin. *d. inspect. 4. num. 104. & seqq.*

28 Præsumitur dolus ex nimia & insolita diligentia vel cautela: & generaliter ex omni actu insolito. Menoch. *d. præsumpt. 3. num. 102. & 103.* Mascard. *d. concl. 531. num. 75. & 108. & lib. 2. concl. 815. num. 4.* Farinac. *d inspect. 4. num. 121. & seqq.*

29 In causis fidei non attenditur ad causas excludentes vel includentes dolum, quoad pœnam quę incurritur ipso facto ex delicto externè commisso: neque etiam vbi tali delicto pœna est à iure taxata. Ratio est, quia in huiusmodi pœnis iudex non habet arbitrium.

30 Quando proceditur ex præsumptionibus & indiciis, considerandæ sunt causæ, quæ dolum includunt, aut excludunt, vt pœna imponatur: tunc enim arbitrari debet Inquisitor.

CAP.

CAPVT. XXXII.

Pœna ex credulitate, ignorantia, iracundia, vel ætate minuitur.

1 QVando lex requirit dolum ad punitionem delinquentis, quælibet causa vel credulitas, etiam leuis, quæ excusat à dolo, aufert vel minuit pœnam delicti. Clar. §. *finali. quæst.* 60. *versic.* Et generaliter. Anton. Gom. *de delict. cap.* 6. *tit. De iniuriis num.* 2. *ad finem.* Farinac. *quæst.* 90. *inspect.* 1. *num.* 1. 54. *& seqq.*

2 Ignorantia iuris naturalis, gentium, & diuini crassa & supina, seu affectata regulariter, quia non excusat à dolo, non minuit pœnam delicti. Tiraq. *de pœn. temper. causa* 13. *nu.* 22. Farinac. *d. quæst.* 90. *inspect.* 2. *num.* 98. 100. *&* 101.

3 Ignorantia iuris dubij & controuersi, eo quòd excusat à dolo, excusat etiam à pœna; secùs verò si ius sit notorium. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 11. *num.* 6. *&* 9. Farin. *d. inspect.* 2. *num.* 101. *& seqq.*

4 Credens viro fide digno, etiam si errauerit in iure, cùm in dolo non sit, & à culpa, & à pœna liberatur. Tiraq. *de pœnit. temp. causa* 51. *num.* 27. Menoch. *de recuper. remed.* 13. *num.* 36. Mascard. *lib.* 2. *concl.* 647. *num.* 3. Farinac. *d. quæst.* 90. *inspect.* 3. *num.* 109. *& seqq.*

5 Credens viro fide digno asserenti id, quod verisimile non est, neque à culpa, neque à pœna est immunis. Farinac. *d. inspect.* 3. *num.* 123.

6 Delictum magna ira commissum mitiùs punitur, maximè si ira ex iusta causa proueniat. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 1. *num.* 1. *& seqq.* Clar. §. *fin. quæst.* 60. *vers.*

vers. Est etiam, Farinac. *quæst.* 91. *ferè per totam.*

7 Delinquens ex magna iracundia, etiam interueniente iusta causa, si in delicto perseuerat, non excusatur à pœna Farinac. *d. quæst.* 91. *num.* 12.

8 Varij gradus in hominum ætatibus à iurisperitis distinguuntur ad pœnam delicti minuendam. Menoc. *de arbitrar lib.* 2. *casu* 57. *num.* 1. *& seqq.*

9 Prima ætas est infantia, quæ ducitur vsque ad septimum annum inclusiue. Menoc. *d. casu* 57. *num.* 2. 7. *& seqq.* Farin. *quæst.* 92. *num.* 3.

10 Secunda est infantiæ proxima, quæ incipit post septennium, & continuatur vsque ad decimum annum cum dimidio in masculo, in fœmina verò vsque ad nonum cum dimidio. Ant. Gom. *de delictis ca.* 1. *num.* 57. *vers.* Et dicitur proximus infantiæ. Farinac. *d. quæst.* 92. *num.* 4.

11 Tertia est pueritia, quæ incipit à septennio, & durat vsque ad pubertatem. Menoc. *d. casu* 57. *num.* 2. *&* 10. Ant Gom. *d. cap.* 1. *num.* 63. *vers.* Sed hodie. Farin. *d. quæst* 92. *num.* 6. 7. 18. *&* 19.

12 Quarta est pubertas, quæ incipit à quartodecimo anno completo in masculo, at verò in fœmina à duodecimo; quæ hanc ætatem præcedit, impubertas appellatur. Menoc. *d. casu* 57. *num.* 2. Farinac. *d. quæst.* 92. *num.* 8. 18. *&* 19.

13 Quinta dicitur pubertati proxima, quam illam esse existimo, missis variis sententiis, quæ per sex menses à pubertate distat.

14 Sexta est ætas minor, quæ extenditur vsque ad vigesimum quintum annum exclusiuè: a quo anno impleto, incipit ætas maior, seu virilis. Farinac. *dicta quæst.* 92. *num.* 21.

15 Octaua est senectus, quæ incipit à quinquagesimo anno, & extenditur ad septuagesimum vsque: a quo ætas decrepita initium sumit. Menoc. *d. lib. 2. casu 59. num. 1.* Farin *d. quæst. 92. num. 22.*

16 In casibus in quibus ætas non est à iure determinata, eius determinatio iudicis arbitrio remittitur. Menoc & Farin. *proximè citatis locis.*

17 Senes qui in decrepita sunt ætate, maximè qui propter senectutem sunt diminuti sensu & intellectu mitiùs puniuntur. Tiraq. *de pœn. temper. causa 8. num. 4. & seqq.* Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 68. vers.* Item etiam. Farin. *d. quæst. 92. num. 23. & 25.*

18 Minores vigintiquinque annorum regulariter mitiùs puniuntur, etiam facti maiores, quia non ad tempus punitionis, sed delicti attenditur. Tiraq. *de pœn. temper. causa 7. num. 1. & seqq.* Farin *d. quæst. 92. num. 41. & 162.*

19 Infantes & infantiæ proximi in crimine sodomiæ à pœna ordinaria releuantur; quod etiam in minoribus vigintiquinque annorum, & maximè in puberibus obseruatur. Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 60. in fine.* Clar. *§. fin. quæst. 60. in princip.* Menoc. *de arbitr. lib. 2. casu 329. num. 5. & casu 286. num. 18.* Farin. *d. quæst. 92. num. 83. & seqq.*

20 Minor carnaliter cognoscens Iudæam, excusatur à pœna ordinaria. Menoch. *d. casu 329. num. 4.* Farin. *d. quæst. 92. num. 88.*

21 In crimine hæresis, si minor rectè pæniteat, mitiùs punitur, secùs verò si in hæresi persistat. Decia. *crim. lib. 3. cap. 12. num. 25 & lib. 5. cap. 37. num. 56.* Simanch. *cathol. tit. 29. num. 56. & seqq.* Farin. *d. quæst. 92. num. 180. & 181.*

CAP.

CAPVT XXXIII.

Quando ebrio, & furioso delinquentibus ordinaria pœna remittatur.

1 EBrius delinquendo mitiùs punitur, magis tamen vel minus, pro maiori aut minori ebrietate. Tiraq. *de pœn. temp. causa 6. à num. 1. vsque ad 12.* Ant. Gom. *de delictis cap. 1. num. 73.* Menoc. *de arbitr. lib. 2. casu 326. num. 7.* Farin. *quæst. 93. num. 1. & 18.*

2 Procurans ebrietatem, ad hoc vt ebrius delinquat, ordinaria plectitur pœna. Tiraq. *d. causa 6. num. 10.* Menoc. *d. lib. 2. casu 376. num. 8. & 9.* Farin. *d. quæst. 93. num. 21.*

3 Furiosus in furore delinquens, excusatur à pœna, etiam si ad sanitatem redierit. Idem dicimus de insano, phrenetico, & mente capto. Tiraq. *de pœn. temper. causa 2. num. 1. & seqq.* Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 70.* Menoc. *d. lib. 2. casu 325. num. 8.* Farin. *quæst. 94. num. 1. & multis seqq.*

4 Habens dilucida interualla, si constat deliquisse dum erat sanæ mentis, non excusatur à pœna ordinaria: si verò sit dubium quo tempore deliquerit, præsumendum est ad delictum excludendum, quòd tempore furoris deliquerit. Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 70. vers.* Quod tamen intellige. *& num. 71.* Farin. *dict. quæst. 94. num. 5. & seqq.*

5 Delinquens dum erat sanæ mentis, si postea in dementiam incidat, etiam post latam sententiam, non punitur pœna corporali, nisi ad pristinam redeat

sanitatem. Tiraq. *de pœn. temper. causa 3. num. 4. 6. & 7.* Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 72.* Farin. *d. quæst. 94. num. 13.*

6 Delinquens quando erat sanæ mentis, etiamsi in amentiam perpetuam incidat post defensionum processum, puniri potest pœna pecuniaria, eiusque bona confiscari. Tiraq. *d. causa 3. num. 1.* Clar. *§. fin. quæ. 60. vers.* Item quæro. Farin. *d. q. 94. num. 19. & 22.*

7 Licèt furiosus non sit puniendus, non tamen dimittendus est, sed custodiendus à suis, si eos habeat, vel in carceribus seruandus, non in pœnam, sed ne quid pernicioſius in se ipsum, aut in alios moliatur. Tiraq. *de pœn. temper. causa 2. num. 10.* Farin. *d. quæst. 94. num. 45.*

8 Furor non præsumitur, ideò probandus est. Probatur autem signis & coniecturis, cùm sit difficilis probationis. Couar. *in 4. Decretali. par. 2. cap. 2. num. 6.* Ant. Gom. *d. cap. 1. num. 71. ad finem.* Menoc. *de præsump. lib. 6. præsump. 45. num. 23.* Farina. *d. quæst. 94. num. 48. & seqq.*

9 Probato furore non momentaneo, sed continuo, si constet actum gestum fuisse breui tempore post furorem, præsumitur tempore furoris factus. Couar. *dict. num. 6. vers.* Quibus illud. *& vers.* Processit. Anton. Gom. *d. num. 71.* Menoch. *d. præsump. 45. num. 59. & seqq.* Farin. *d. quæst. 94. num. 52. & seqq.*

10 Quando constat aliquem post furorem fuisse sanæ mentis, & continuato tempore cessasse furorem, non præsumitur actus gestus tempore furoris, sed ex vltimo statu præsumptio sumitur, nisi qualitas actus contrarium suadeat. Mascard. *lib. 2. concl. 825. num. 17. & 18.* Farin. *d. quæst. 94. num. 55.*

CAP.

CAPVT XXXIV.

Ex consuetudine minuitur aliquando pœna ordinaria.

1 CONsuetudo, vt est quid facti, est *frequentia operandi liberè eodem modo.* S. Thom. *in 3. dist. 23. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 2.* Suar. *lib. 7. de legibus, cap. 1. num. 5.*

2 Consuetudo facit actum licitum, qui aliàs licitus non erat. Roland. *cons. 58. num. 19. lib. 4.* Gutier. *pract. lib. 3. q. 29. num. 22.*

3 Consuetudo in prohibitis iure naturali, vel diuino regulariter, quamuis multorum sit, imò & communis, non excusat à culpa; ac proinde neque à pœna, nec consuetudinis, sed corruptelæ nomen meretur. S. Thom. 1. 2. *quæst. 97. art. 3. ad 1.* Tiraq. *de pœn. temper. causa 42. num. 12.* Farin. *crim. quæst. 95. num. 36. & seqq.* Suar. *d. lib. 7. cap. 4. num. 4. & 13.*

4 Consuetudo in iis, quæ de iure positiuo prohibentur, vel contra ius positiuum, si à multis communiter obseruetur, excusat à dolo, & à culpa, in totum, vel in partem, secundùm quod magis, aut minus recepta, introducta, aut præscripta fuerit. Tiraq. *de pœn. temper. causa 42. num. 9. & 10.* Farin. *d. quæst. 95. à num. 28. vsque ad 35.*

5 Quando consuetudo taliter est introducta contra legem humanam, quòd illam abrogat, aut interpretatur, omnino excusat à culpa, & à pœna: secùs autem si taliter introducta non sit, *Vide* Suarez *lib. 7.*

de legib. cap. 8. 14. 15. 17. & 18.

6 Plura delicta tam diuersi quàm eiusdem generis ex interuallo commissa regulariter pluribus plectuntur pœnis. Clar. *in pract. quæst.* 84. *vers.* Alius est casus. & *vers.* Scias autem. Couar. *lib* 2. *variar. cap.* 10. *num.* 8. *vers.* Quod autem dicimus. Farinac. *quæst.* 22. *num.* 1. 2 & 4.

7 Plura delicta diuersi generis eodem tempore commissa ad vnum & eumdem finem & effectum, non puniuntur pluribus pœnis, sed vna tantum, licèt maiori. Couar. *a. num.* 8. *versi.* Hactenus tractatum est. Farinac. *d. quæst.* 22. *num.* 19.

8 Si plura delicta eiusdem generis eodem tempore perpetrentur, non pluribus, sed vna pœna plectuntur, maiori tamen, quàm si vnum tantùm delictum committeretur: siue pœna sit arbitraria, siue à iure determinata. Farin. *d. quæst.* 22. *num.* 12. & *seqq.*

9 Quando plura delicta eiusdem generis successiuè commissa sunt, licèt in interuallo, vnica pœna puniuntur. Couar. *dict. versic.* Quod verò dicimus. Farinac. *d. quæst.* 22. *num.* 17. & 18.

10 Consuetudo delinquendi, etiam in minoribus vigintiquinque annorum, auget delicti pœnam, non tamen vsque ad pœnam mortis, nisi aliàs delictum sit capitale. Clar. *d. quæst.* 85. *vers.* Sed hic incidenter. Ant. Gomez *de delict. tit. de homicidio. cap.* 3. *num.* 60. *fin.* & *tit. de furto. cap.* 5. *num.* 5. Farinac. *quæst.* 23. *num.* 1. 2. 7. & 34.

11 Augetur pœna delicti propter consuetudinem, etiam si delicta priora punita iam sint, aut à Principe per gratiam condonata, vel tempore præscripta: quamuis aliàs eorum cognitio principaliter

ad iudicem

ad iudicem non spectet. Couar. *variar. lib. 2. ca. 9. num.* 7. Menoch. *de arbitrar. lib. 2. centur. 3. casu* 295. *num.* 19. Mascard. *lib. 2. num.* 13. Anton Gom. *dict cap. 5. num.* 8. *circa finem.* Farin. *d. quæst.* 23. *num.* 8. & 11.

12 Si priora delicta punita non sint, non dicetur delinquens ex sola iteratione incorrigibilis. Anton. Gomez. *d. num.* 8. *circa finem* Farinac. *d. quæst.* 23. *num.* 9.

13 Non solùm in condemnando, sed etiam in procedendo. consuetudo delinquendi nocet reo; quia contra consuetum delinquere lex multum præsumit. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 32. *num.* 1. & *seqq.* & *num.* 17. Farinac. *d quæst.* 23. *num.* 20. & *seqq.*

14 Delinquendi consuetudo per se sumpta non sufficit ad torturam, cùm sit indicium remotum: bene tamen cum adminiculis. Clar. *quæst.* 64. *versic.* Sed pone. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 89. *num.* 101. Farinac. *d. quæst.* 23. *num.* 22. *vers.* Veritas.

15 Si quis probet se per triennium non commisisse delictum, consuetudo non faciet contra illum præsumptionem, quòd non sit emendatus, imò emendatus præsumitur Menoch. *d. quæst.* 89. *num.* 105. & *d. præsumpt.* 32. *num.* 30. Mascard. *lib.* 1. *concl.* 222. *num.* 12. & 22. Farinac. *d. quæst.* 23. *num.* 26. & *seqq.*

16 Qui non est consuetus delinquere, mitiùs punitur. Tiraq. *de pœn. temperand. causa* 51. *per totam*, Farinac. *d. quæst.* 23. *num.* 32. *versic.* Amplia IX.

CAPVT XXXV.

Delicti pœna minuitur aliquando ex multitudine delinquentium, ex incertitudine delinquentis, & ex delicto de mandato Principis commisso.

1 Delicti pœna absolutè loquendo minuitur ex multitudine delinquentium, quando pœna est capitalis, & ex impositione illius sequitur multorum strages. Tiraq. *de pœnis temperandis causa* 47. *a num.* 1. *vsque ad* 14. Farin. *quæst.* 96. *num.* 1. *&* 4.

2 In iis, qui authores sunt delicti, aut in delinquendo principaliores, non minuitur, pœna propter delinquentium multitudinem. Tiraq. *d. causa* 47. *num.* 8. Farinac *quæst.* 96. *num.* 8.

3 In crimine hæresis ob delinquentium multitudinem augendæ sunt pœnæ, præsertim in principalibus, & authoribus, nisi timeatur scandalum, quod magis noceat; quia tunc propter multitudinem pœna minuenda est. Decian. *crim. lib.* 5. *cap* 50. *num.* 5. *&* 6. Farin. *de hæresi. quæst.* 197 §. 1. *num.* 32.

4 Si tota ciuitas, castrum vel oppidum, aut maior pars conuocato concilio in hæresim incidat, potest condemnari, comburi, & destrui, consulto tamen Summo Pontifice. Decian. *d. cap.* 50. *num.* 1. *& seqq.*

5 Si ciuitas aliqua impediat ne hæretici vel eorum fautores puniantur, capianturve, priuari debet commercio, & dignitate Episcopali. Farin. *dict.* §. 1. *num.* 34.

6 Incer-

6 Incertitudo delinquentium minuit pœnam delicti, siue arbitrariam, siue ordinariam. Tiraq. *de pœn. temper. causa* 63. *num.* 1. Farin. *d. q.* 96. *num.* 14. *& 59.*

7 Si constat multos fuisse ex proposito coadunatos ad committendum delictum, licèt non constet quis in particulari illud commiserit, omnes tenentur pœna delicti ordinaria. Anton. Gom. *de delict. tit. de homicidio cap.* 3 *num.* 36. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *casu* 362. *num.* 25. *& seqq.* Farin. *d. quæst.* 96. *num.* 72.

8 Mandatum Principis non excusat à pœna in iis, quæ sunt contra fidem, aut contra determinationem Ecclesiæ. Ant. Gom. *d. cap.* 3. *num.* 42. Farin. *quæst.* 97. *casu* 1. *num.* 3. *& seqq.*

9 Si quæ Princeps præcipit, sunt dubia, & certioratus adhuc exequi mandat, non incurret ordinariam delicti pœnam, qui Principis mandatum exequitur. Farinac. *dicta quæst.* 97. *casu* 2. *inspect.* 1. *num.* 46. *& seqq. & casu* 5. *num.* 112.

10 Asserenti se de mandato Principis delictum commisisse, non creditur, nisi probet. Menoch. *de arbitrar. lib.* 1. *quæst.* 76. *num.* 4. *& seqq.*

CAPVT XXXVI.

Proponuntur aliæ causæ, ob quas delicti pœna minuitur.

1 MVlieres, etiam in crimine hæresis, nisi sunt pertinaces, à pœnæ rigore facilius excusantur. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 63. Farin. *quæst.* 97. *casu* 10. *num.* 8.

2 Rusticus excusatur à suspicione hæresis, in iis, quæ videntur eius capacitatem excedere: secùs in aliis. Albert. *de agnosc. quæst.* 23. *num.* 6. & 70. Decian. *dict. cap.* 37. *num.* 62. Farinac. *d. quæst.* 97. *casu* 11. *num.* 42. & *seqq.*

3 Excusatur rusticus à dolo præsumpto, non à vero. Menoch. *de recuper. remedio* 9. *num.* 23. & 32. *ac de arbitr. lib.* 2. *casu* 194 *num.* 17. & *seqq.* & *num.* 33. & *seqq.* Farin. *d. quæst.* 97. *casu* 11. *num.* 25 46. & *seqq.*

4 Qui dormiendo delinquit, excusatur à pœna, quando nulla ei potest imputari culpa. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 5. *num.* 1. Farin. *d. quæst.* 97. *casu* 12 *fere per totum.*

5 Quando quis vigilando ratum habuit delictum, quod in somnis commisit, non excusatur à pœna, in delictis maximè contra fidem. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *casu* 327. *num.* 8. Farin. *d. casu* 12. *num.* 75.

6 In crimine sortilegij, idololatriæ, & hæresis excusatur à suspicione contra fidem, & à rigore pœnæ, qui ex vehementi amoris passione deliquit. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 4. *num.* 1. & *seqq.* Clar. § Hæresis. *num.* 23. & *quæst.* 60. *num.* 7. Menoch. *d. lib.* 2. *casu* 328. *num.* 1. & *seqq.* Simanch. *cathol. tit.* 16. *de defension. eorum. num.* 42. & *seqq.* Farin. *d. quæst.* 97. *casu* 13.

7 In crimine hæresis & in aliis, in quibus pœna est vniformis, & à lege, vel statuto taxata, nobilitas non excusat à pœna: in pœnis verò arbitrariis nobilibus delinquentibus moderatur pœna corporalis. Tiraq. *de pœn. temp. causa* 31. *num.* 1. 34. & 35. Clar. §. *fin. quæst.* 60. *vers.* Prodest etiam. Farin. *d. quæst.* 97. *casu* 14. *num.* 93. 102. 110. 122. & 131.

8 Nobiles non mitiùs puniuntur etiam in pœnis

nis arbitrariis, quando delicta ob nobilitatem delinquentium augentur. Tiraquel. *de pœn. temp. causa* 31. *num.* 7. *& sequentibus.* Farinac. *dict. causa* 14. *num.* 113. *& seqq.*

9 Quando delictum tale est, vt propter illud priuilegium nobilitatis amittatur, non mitiùs puniuntur nobiles, cùm priuilegium nobilitatis tunc eis non prosit.

10 Insignis peritia artis excusat à pœna delicti, dummodo delictum non sit nimis famosum, consulendus tamen est supremus Princeps. Tiraquel. *de pœn. temp. causa* 50. Baiard. *ad Clar. quæst.* 60. *num.* 98. *vers.* Et quòd pœna remittatur. Anton. Gom. *de delict. cap.* 13. *num.* 36. *vers.* Tertius casus est. Farin. *d. quæst.* 97. *causa* 15. *reg.* 1. *per totam.*

11 Peritia artis vt excuset à pœna, quindecim testibus probari debet. Baiard. *ad Clar. d. quæst.* 60. *num.* 98. Farin. *d. quæst.* 97. *casu* 15. *num.* 139.

12 Propter merita delinquentis & beneficia, siue ab eo, siue à suis maioribus reipublicæ collata, potest remitti pœna: dummodo delictum non sit nimis atrox, & merita præcesserint delictum: aut si cum delicto coniuncta sint, delinquens non crimen, sed commodum reipublicæ intenderit. Baiard. *d. num.* 98. *& 99. vers.* Vtilis est. Farinac. *d. causa* 15. *reg.* 2. *per totam.*

13 Iudæus vel infidelis effectus Christianus non punitur pro delictis ante baptismum commissis, iuxta praxim communiter obseruatam; quamuis hoc in iure sit controuersum, & secundùm multorum sententiam in iudicis arbitrio positum. Clar. *§. fin. q.* 5. *nu.* 19. *& 47.* Farin. *d. quæst.* 97. *causa* 16. *per totam.*

14 Muto

14 Muto & surdo, qui possunt mentem suam explicare, non minuitur pœna delicti: imò & torqueri & pœna ordinaria puniri possunt. Anton. Gomez. *de delict. cap. 1. num. 69.* Farin. *de q. 97. causa 17.*

15 De iure minui potest pœna filio delinquenti, qui à patre vel matre iudici præsentatur: & similiter patri aut matri delinquentibus præsentatis à filio: rarò tamen & cum magna consideratione, ac consulto Principe id faciendum est. Tiraqu. *de pœn. temper. causa 18. num. 1. & seqq. & causa 19. num. 1.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. casu 347. num. 1. & 4.* Clar. *d. quæst. 60. num. 25.* Farinac. *d. quæst. 97. causa 18. per totam.*

16 Prosperus euentus in delictis, etiam praua intentione commissis, minuit aliquando pœnam. Farinac. *d. quæst. 97. causa 19. num. 179.* Non tamen minuit præsumptionem malæ credentiæ, vel hæresis; cùm delicta contra fidem ex intentione dignoscantur.

17 Quæ hactenus dicta sunt circa pœnarum diminutionem, in delictis contra fidem, de illis pœnis intelligi debēt, in quibus Inquisitor habet arbitrium; in ordinariis verò pœnis, quas hæreticus vel suspectus de fide ipso facto incurrit, locum non habent: nihilominus iuuant, vt postea cum delinquentibus facilius dispensetur.

CAP.

CAPVT XXXVII.

Hæreticorum pœnæ an dispensabiles sint, & à quibus dispensentur.

1 DIspensatio est *iuris relaxatio facta cum cognitione causæ ab eo, qui potest relaxare.* Nauar. *in Summ. prælud. 9. num. 15.* Graff. *1. par. decis. lib. 2. cap. 31. num. 1.* Emman. *regul. tom. 2. q. 46. art. 1.*

2 Hæc descriptio explicat dispensationem, quæ licitè fit. Sanch. *lib. 8. de matr. disp. 1. num. 2.*

3 Dispensationis quatuor sunt species, Semiplena, plena, plenior, & pleniſſima. Hostiens. *in rubr. de hæret.* §. Quando & qualiter. *num. 12. versic.* Item quotuplex. Decian. *crim. lib. 5. cap. 54. num. 15.* Farin. *de hæresi q. 193. §. 3. num. 67.*

4 Ad rectè dispensandum, præter authoritatem dispensantis, requiritur necessitas, vtilitas, vel euidens prærogatiua meritorum. *Cap.* Tali coniugio. *1. quæst. 7.*

5 Dispensatio facta ab inferiori in pœnis contentis in legibus superiorum eatenus est valida, quatenus à superioribus sibi permittitur, & non aliter. *S.* Thom. *1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. & in 4. dist. 15. q. 3. art. 2. q. 1. ad 3.* Suarez *de legibus lib. 6. cap. 14. num. 4. & seqq.*

6 Nulla est dispensatio, quæ fit ab inferiori in prædictis pœnis, si absque legitima causa fiat; etiamsi dispenset ex concessione superioris committentis absolutè facultatem dispensandi. Sylu. *verbo* Dispensatio. *q. 3. num. 5.* Soto *lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. versic.* Rursus

sus circa eandem. Sanch. *d. lib.* 8. *disp.* 17. *num.* 4.

7 Valida est dispensatio in pœnis contentis in lege facta ab eodem qui dispensat, quamuis sine legitima causa, aut etiam sine causa dispenset; erit tamen iniusta. Tabien. *verbo* Dispensatio. *q.* 14. *num.* 14. Soto *lib.* 1. *de iust. q.* 7. *art.* 3. *& lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *ad* 2. Sanc. *d. lib.* 8. *disp.* 17. *q.* 2. *&* 3.

8 Potestas dispensandi à superiori inferiori concessa latè interpretatur. Couar. 4. *Decret.* 2. *par. cap.* 8. *num.* 6. *vers.* 8. *& num.* 11. Lopez 2. *par. instruct. de clauibus. cap.* 9. Sanch. *d. lib.* 8. *disp.* 2.

9 Dispensatio in pœnis hæreticorum, fautorum ipsismet concessa, strictè est interpretanda. Sanch. *d. lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 3. *&* 13. Garcia *de benef. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 58. *& seqq.*

10 In omnibus pœnis hæreticorum, fautorum, & similium tam arbitrariis, quàm ordinariis, valet Summus Pontifex dispensare: cùm in omnibus quæ sunt iuris humani per Prælatos, vel Ecclesiam instituti, dispensandi habeat potestatem. S. Tho. *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 3. *art.* 3. *ad* 2. *& quodlibet.* 4. *art.* 13. Doctores *in cap.* Significasti. *de elect. cap.* Proposuit. *de concess. præbend.*

11 Attento iure communi possunt inferiores Inquisitores simul cum Episcopo, cuius iurisdictioni subsunt, dispensare in carcere, & aliis pœnis per ipsos impositis, cùm id viderint expedire. Peñ. *in* 3. *p. Direct ad q.* 59. *com.* 108. *versic.* Postremo de commutatione. *& ad quæst.* 96. *comment.* 145.

12 In Lusitania, & in Hispania inferiores Inquisitores non dispensant in pœnis etiam per ipsos impositis; hoc enim generalibus Inquisitoribus reseruatum

tum est. Simanch. *cathol. tit. 16. num. 20. & tit. 47. num. 12. & sequenti* Peñ. *dict. vers.* Postremo. Regim. Inquisit. Lusitanæ *tit. 3. cap. 5.*

13 In pænis quas ipso facto incurrunt hæretici, fautores, & similes, quęque in iure determinatæ sunt, dispensare nequeunt neque Inquisitores particulares, neque generalis Inquisitor, cùm hoc nusquam sit illis permissum. Zanchin. *de hæret. cap. 38. vbi* Campeg. Griland. *de relaxatione carceratorum tit. de beneficio & indulgentia Principis.* Peñ. *1. part. Direct. ad l.* Cunctos populos. *C. de Sum. Trinit.*

14 Ex eodem fundamento neque inferiores Inquisitores, neque generales possunt dispensare in irregularitate propter hæresim, fautoriam, & alia huiusmodi incursa; nec similiter tollere infamiam ob eamdem causam contractam. Zanchin Griland. & Peñ. *proximè citatis locis.*

15 In hoc Lusitaniæ Regno non possunt Inquisitores generales dispensare cum hæreticis, sodomitis, aut cum eorum filiis, vt sint aduocati, aut tutores, etiam ex testamento; cùm sint infames infamia iuris, quibus hæc iure Regni inueniuntur prohibita. Ord. Regni *lib. 1. tit. 48. §. 25. vbi* Emman Barb. *num. 3. & lib. 4. tit. 102. §. 1. vbi etiam idem* Barb. *num. 9.* & infames secundùm leges sunt infames secundùm canones. Felin. *in cap.* Testimonium. *de test. num. 15.* Azor *inst. moral. tom. 2. lib. 6. cap. 7. quæst. 3.* Garcia *de benef. part. 7. cap. 8. num. 11.*

16 Cum apostatis ex graui metu fictè apostatantibus potest Episcopus dispensare quoad vsum inferiorum ordinum. Suar. *tom. 5 de censur. disp. 43. sect. 2. num. 3. & 4.* Sanch. *in opere moral. tom. 1. cap. 25. num. 21.*

Farinac

Farinac. *de hæresi quæst.* 192 §. 5. *num.* 78.

17 In irregularitate propter occultam hæresim dubium est, an Episcopus possit dispensare. Pars, quæ affirmat, probabilior mihi videtur: siue sequamur opinionem, quæ tenet ipsum posse absoluere hæreticum occultum, siue contrariam. Sanchez *d. cap.* 25. *num* 18. Farinac *dict.* §. 5. *num.* 79.

18 Episcopus potest dispensare in irregularitate contracta ob hæresim, fautoriam, &c. quoad vsum ordinum iam susceptorum, non verò quantum ad vsum sacerdotij in sacrificio altaris. Peñ. *3. part. Dect. ad quæst.* 126. *comment.* 175. Suar. *tom.* 5. *de censuris disp.* 43. *sect.* 1. *num.* 6. Sanch. *dict. cap.* 25. *num.* 14. Farin. *d.* §. 5. *num.* 78.

19 Solus Summus Pontifex potest dispensare cum apostatis siue voluntariis, siue ex metu graui apostatantibus quoad promotionem ad quoscumque ordines, & quoad vsum sacerdotij Peñ. *3. part. Dect. ad quæst.* 113. *comment.* 162. *vers.* Postremo quis cum supradictis. *& ad quæst.* 126. *comment.* 175. *vers.* Hodie. Suar. *d. disp.* 43. *sect.* 2. *num.* 3. *&* 4. Sanch. *d. cap.* 25. *num.* 21. Farin. *d.* §. 5. *num.* 77.

20 Quando Summus Pontifex dispensat cum hæretico, fautore, vel alio huiusmodi ad ordines vel ad honores, nisi aliud in dispensatione exprimatur, solummodo censetur dispensare ad eos honores, quos talis hæreticus vel fautor anteà habuit, & ad ministrandum in ordinibus susceptis: non verò quoad futuros honores neque ad ascendendum ad superiores ordines. Decian. *crim. lib.* 5. *cap.* 75. *num.* 5.

21 Dispensatio cum prædictis ad ordines suscipiendos, vel vt clerici fiant, de solis minoribus ordinibus

nibus intelligitur. Henriq. *lib. 7. de indulgentiis cap. 30. num. 2. & lib. 14. de irregul. cap. 8. num. 10.* Sanch. *de matrim. lib. 8. disp. 1. num. 26.* Sayro *thesauro casuum conf. tom. 1. lib. 6. cap. 11. num. 19.*

22 Si prædicti dispensentur absolutè in irregularitate, vel infamia, manent habiles ad omnes ordines, dignitates & officia. Suar. *de cens. disp. 41. sect. 3. num. 3.* Sanch. *d. disp. 1. num 28.*

23 Post aliquod tempus licitum est Summum Pontificem dispensare cum hęreticis, credentibus, & cæteris huiusmodi post peractam pœnitentiam, vt in susceptis ordinibus ministrent; rarò tamen, & nisi vrgentissima interueniente causa id faciendum est. Sanctus Anton. *tract. de censur. cap. 100.* Sylvest. *verbo* Irregularitas. *quæst. 5.* Mayolus *lib. 5. de irregul. cap. 46.* Peñ. *3. part. Direct. ad q. 113. comment. 162. vers.* Præterea.

24 Dispensare non debet Summus Pontifex cum prædictis, vt ad superiores ordines ascendant, vel si nullum ordinem habeant, vt prima tonsura initientur. Doctores *proximè citati citatis etiam locis.*

25 Si vrgens necessitas, vel euidens Ecclesiæ vtilitas id exposcat, dispensari potest cum prædictis, vt ordines suscipiant, ad superiores ascendant, & beneficia Ecclesiastica obtineant. Conrad. Brun. *lib. 3. de hæret. cap. 7.* Peñ. *dict. comment. 162. vers.* Quamquam autem.

26 Dispensatio in pœnis arbitrariis, in carcere, habitu, & similibus, non statim facienda est, nec sine rationabili causa; considerato modo, quo pœnitens reuersus est ad fidem, an sine mora, vel multo post tempore; qua humilitate, & contritionis signo iniun-

ctam pœnitentiam adimpleuerit; & aliis, quæ veræ pœnitentiæ, vel impœnitentiæ signa sunt. Ne per abusum potestatis dispensandi, pœnitentiæ quas timeri oportet, in contemptum veniant.

27 In carcere perpetuo non est facilè dispensandum; quando autem dispensatur, non fiat, nisi post tres annos: si tamen carcer fuerit irremissibilis, expectentur octo. Roias *de hæret. 2. part. num.* 102 Eymer. *3. part. Direct. quæst. 96. vbi* Peñ. *comment.* 145. *&* 108. *versic.* Postremo de commutatione, *& sequentibus.* Farinacius *de hæresi quæst.* 193. §. 5. *num.* 104.

†

APHO-

APHORISMORVM.

LIBER IIII.

DE TEMPORE GRATIÆ, ET VENIÆ GENERALIS.

E tempore gratiæ ac veniæ generalis, præsertim a principio constitutæ Inquisitionis delectæ in partibus Tolosanis, primo Apostolico Inquisitore existente Sanctissimo Patriarcha nostro DOMINICO, nonnulli tam ex antiquis, quàm ex iunioribus authoribus mentionem fecerunt: de eo tamen nemo, quem viderim, vno excepto Francisco Peña in manuscriptis, accuratè tractauit. Sed quia in nostro Lusitaniæ Regno, propter iudaicam perfidiam in eo miserabiliter grassantem frequentissimus est vsus temporis gratię, imò tres veniæ generales in toto Regno & partibus illi subiectis concessæ sunt vniuersæ nationi descendentium ex Hebræis conuersis ab anno 1496. Tempore sereniſſimi Regis Emmanuelis (praeter alias multas gratias exhibitas & factas voluntariè venientibus coram Inquisitoribus vel eorum Commissariis ad confitenda propria contra fidem Catholicam de-

licta) quæ gratiæ per totum Regnum fuerunt publicatæ: non inutile fore iudicaui hos breues Aphorismos ad elucidandas difficultates, quæ tempore gratiæ frequenter occurrunt, in lucem dare. In probandis Aphorismis plura adducere oportet (quæ tamen in superioribus libris consultò omisi): quia cùm apud Doctores circa hanc materiam pauca inueniantur digesta, non facilè tyronibus, & parum versatis probationes occurrent.

CAPVT I.

Quid sit tempus gratiæ, explicatur.

1 TEmpus gratiæ dupliciter considerari potest, vel in eo sensu in quo sancti Patres, & Theologi agunt de tempore gratiæ: vel prout à Canonistis accipitur.

2 Tempus gratiæ vocatur à sanctis Patribus & Theologis illud *tempus, quod sequitur ab Incarnatione Verbi diuini & vsque ad mundi finem protrahitur.* Tunc enim magis quàm à principio orbis conditi gratia, misericordia, & benignitas Dei nobis apparuit: vt non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos: sed secundùm suam misericordiam saluos nos faceret. Paulus Apostolus ad Tit. *cap. 3. num. 4. & 5. ad Rom. 3. num. 27. & cap. 8 num. 2.* S. August. *de Spiritu & lit. à cap. 4. vsque ad 18.* idem August. *lib. 1. contra duas epist. Pelag. cap. 7. & 21.* S. Thom. *1. 2. quæst. 106. art. 2. ad 2 & quæst. 107. art. 2.* Sot. *in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 4.* Suar. *de legibus lib. 10. cap. 5. & 8.*

3 Tempus

3 Tempus gratiæ in consideratione Canonistarum (ad instar temporis gratiæ proximè explicati) est *quoddam temporis spatium, infra quod reuertentibus ab hæresi vel apostasia ad fidem catholicam aut contra illam peccantibus, & sponte confitentibus delicta sua, magni momenti immunitates concedentur.* Concil. Biterrense *cap.* 2. Guido Fulcodius, *in responsione ad consultationes Inquisitorum*, quos refert & sequitur Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 1.

4 Quamuis Albertinus *in repet. cap.* 1. *de hæret. lib.* 6. *num.* 4. aliquam distinctionem faciat inter tempus gratiæ & misericordiæ, nulla tamen datur realis differentia. Cùm nihil concedatur in vno tempore, quod non concedatur in alio. Peñ. *d. cap.* 1.

5 Tempus gratiæ etiam generalis, non idem est cum tempore generalis veniæ. Nam tempus veniæ generalis, plura ac diuersa continet, quàm tempus gratiæ. Tempus gratiæ exigit confessionem iudicialem coram Inquisitoribus aut eorum Commissariis; immunitates verò temporis veniæ sola sacramentali confessione mediante conferuntur; imò ad forum fori nec ista requiritur. Aliæ differentiæ ex dicendis patebunt. Constat ex bullis Clement. VII. anno 1533. Pauli III. anno 1535. & anno 1547. Clement. VIII. anno 1604. De quibus inferiùs agendum est.

CAPVT. II.

Quæ immunitates concedantur tempore gratiæ.

1 VEnientes tempore gratiæ non euitant omnem pœnam, sed pro qualitate personarum, & criminum, maiori vel minori benignitate tractantur, pœnitentiis spiritualibus & medicinalibus impositis.

2 Præcipuæ immunitates seu impunitates, quæ tempore gratiæ conceduntur, sunt impunitas mortis, immurationis, seu incarcerationis, exilij, & confiscationis bonorum. Concil. Biterr. *cap.* 2. quod refert & sequitur Peñ. *ad 3. part. Direct. Inquisit. comment.* 12. *num.* 56. *vers.* Magnam veniam, *& de tempore gratiæ cap. 3. supra lib. 3. cap.* 1. *num.* 4. *& cap.* 21. *num* 4.

3 Conceditur etiam, vt redeuntibus tempore gratiæ non imponantur publicæ pœnitentiæ, nec abiurent in publico, nec in reconciliatione induantur habitu pœnitentiæ, nisi eorum delicta publica sint; nec condemnantur in peregrinationem nimis longam Simanch. *de catholi. tit.* 42 *num.* 11. Instructio Hispalensis anno 1484. *cap.* 3. 5. *&* 7. Peñ *d. cap.* 3. *de tempore gratiæ, & communis praxis huius Inquisitionis.*

4 Taxare tempus gratiæ in arbitrio illud concedentis positum est: cùm hoc nullo iure inueniatur decisum, ex reg. *l.* 1. *ff. iure deliberandi cap.* De causis. §. Illis autem. *officio aeleg.* Simanch. *de catholi. tit.* 44. *num.* 3. Peñ. *ad 3. part. Direct. comment.* 12. *num.* 52. *&* 56. *vers. ic.*

versic. Iam & *de tempore gratiæ cap.* 4.

5 Conueniens tempus pro vna diœcesi, oppido vel ciuitate est spatium triginta vel quadraginta dierum: maius tamen tempus pro commorantibus extra locum vbi gratia publicatur concedendum erit. Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 56. Peñ. *de tempore gratiæ d. cap.* 4. Instructio Hispalensis anno 1484. *cap.* 3.

6 Aliquando pro commorantibus intra Regni limites tres menses conceduntur: pro illis verò qui ad alias prouincias se transtulerunt, sex. Peñ. *d. c.* 4. Et ita practicatum vidimus in hac Inquisitione Lusitana.

7 Quando in rescripto Pontificis concedentis tempus gratiæ determinatum tempus præscribitur, illud seruari oportet, nec ab aliquo inferiori augeri, minuive potest, ex reg. cap. Inferior. 21. *dist. cap.* Cum inferior. *de maioritate.* Quia determinatio illa est veluti forma rescripti, cui nihil addendum vel minuendum est. *Cap.* Cum dilecta. *de rescript. l.* Cùm hi. §. Si præter. *ff. de transact.* Gutier. *practic. quæst. lib.* 3. *quæst.* 15. *num.* 5. *cum seqq.*

8 Quando in rescripto Pontificis non determinatur tempus, recurrendum est ad arbitrium Inquisitorum, ad quos spectat publicare gratiam concessam, & iuxta tenorem illius procedere: qui in præscribendo tempus inhærere debent traditionibus maiorum, & consuetudini prouinciæ. Quoniam ea quæ non determinantur à Superioribus, nec sunt determinata in iure, in arbitrio iudicis inferioris relinquuntur, maximè in iis, sine quibus actus commissus rectè ministrari non potest. *L.* 2. *ff. de iurisdict. omnium iudicum. cap.* Præterea *de offic. delegati.*

9 Pœnæ à quibus hæretici liberantur in tempo-

re gratiæ, à iure canonico constitutæ sunt. Pœna mortis habetur *in cap.* Ad abolendam. §. Illos quoque *de hæreticis. cap.* Super eo. *eodem tit. lib.* 6. Castro *de iusta hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 12. *vide suprà lib.* 3. *cap.* 6. Immuratio, siue carceratio in perpetuum *in cap.* Excommunicamus. o 2. § Si qui autem. *de hæret. suprà d. lib.* 3. *cap.* 8. De exilio Leo Papa *epist.* 45 Conrad. Brun. *lib.* 5. *de hæret. cap.* 12. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 41. *num.* 5. Farin. *de hæresi quæst.* 193. §. 4. *num.* 85. De confiscatione bonorum *cap.* Vergentis. *de hæret. cap.* Cùm secundùm. *eodem tit. lib.* 6. *suprà d. lib.* 3. *cap.* 9. De habitu pœnitentiæ, *saccum benedictum*, vulgò, corruptóque vocabulo, *sambenito*, vocant. Concil. Tolos. anno 1229. Eymeric. 3. *part. Direct. tit. de sexto modo terminandi processum. num.* 175. *vbi* Peñ. *comment.* 42. Farinac. *d. quæst.* 193. §. 4. *num.* 91. De publica pœnitentia *cap.* Inter solicitudines. *de purgat. canon.* Ioan. XXII. *in extrauag.* Vas electionis. *in fin.* Peñ. 2. *part. Direct. comment.* 14. *ad dict. ca.* Inter solicitudines.

CAPVT III.

Quis possit concedere tempus gratiæ.

1 TEmpus gratiæ nequit à potestate seculari concedi, neque seculares Principes possunt remittere hæreticis pœnas iure canonico, aut consuetudine Ecclesiastica contra ipsos latas. Quia circa illas omni authoritate & iurisdictione carent; cùm sint mere Ecclesiasticæ. *Cap.* Vt Inquisitionis officium. §. Prohibemus. *de hæret. lib.* 6. Villadiego *de hæret. quæst.* 20. *num.*

20.*num.*3.Simanch.*cathol.tit.*36.*num.*1.Farin.*de hæresi quæst.*186.§.9.Vide suprà *lib.*1.*cap.*2.*num.*7.

2 Non possunt Principes seculares concedere tẽpus gratiæ, etiam quoad pœnas contentas in legibus ab ipsismet factis: si tales leges approbatæ & acceptatæ sint ab Ecclesia. Nam per huiusmodi approbationem & acceptationem iam pertinent ad forum Ecclesiæ. *Cap.*Vt Inquisitionis.*cap.fin. de hæret.lib.*6.Decian.*crimin.lib.*5.*cap.*26.*num.*1.*&*2.Surd.*cons.*386.*num.*2.*&*3.*supra lib.*2.*cap.*36.*num.*13.

3 Neque Inquisitores particulares, neque Episcopi, neque Inquisitores generales, neque Cardinales etiam Legati à latere possunt tempus gratiæ concedere, nisi ex speciali commissione Romani Pontificis. Inferiores enim, quales sunt prædicti respectu Summi Pontificis, non possunt in legibus superiorum dispensare, nec pœnas in illis contentas remittere, cùm nullam ad hoc iurisdictionem habeant. *Cap.*Inferior.21.*dict.cap.* Cùm inferior. *de maiorit.* & *obed.*Zanchin *de hæret.cap.*19.

4 Solus Summus Pontifex iure proprio potest tempus gratiæ concedere: cùm sit supremus iudex in crimine hæresis, supremámque potestatem habens supra ius positiuum.Conrad.Brun.*lib.*4. *de hæret. cap.*1.Simanch. *catholic. tit.*25.*num.*3.*&tit.*34.Albert.*de agnosc.quæst.*11.*num.*11.Peñ.3.*part.Direct.quæst.*1.*comment.*50.Farinac.*de hær.quæst.*186.§.1.suprà *lib.*3.*cap.*37.*à num.*5.

5 Inquisitores generales in Lusitaniæ Regnis ex vi suarum literarum possunt concedere tempus gratiæ: secundùm quòd consuetudine talis concessio introducta est. Nã eis conceditur vti consuetudinibus,

& aliis quibus commodolibet vtuntur. Paulus III. *in Bulla secunda pro Inquisitione Lusitana 16. die Iulij anno 1547. ad Serenissimum Cardinalem Henricum tunc generalem Inquisitorem*, quæ ad omnes eius successores Inquisitores generales extenditur.

6 Senatores supremi Senatus Inquisitionis mortuo vel amoto generali Inquisitore, possunt etiam concedere tempus gratiæ in illis casibus, in quibus possunt Inquisitores generales. Quia vices Inquisitoris generalis in omnibus obtinent, eique authoritate Apostolica in omni iurisdictione succedunt.

7 Quando tempus gratiæ in hoc Lusitaniæ Regno ab Inquisitore generali, vel à Senatoribus supremæ Inquisitionis concessum fuerit, necesse est quòd interueniat Regis consensus, ad hoc tantùm vt hæreticis bona confiscanda remittantur. Quoniam sic est consuetum fieri, eò quòd bona ista eius fisco applicata sunt à Summo Pontifice Inquisitores autem generales approbatas consuetudines in hac re excedere non possunt, sed secundùm ipsas procedere debent. *Bulla* Pauli III. *citata num.* 5.

8 Si Romanus Pontifex per suas speciales literas tempus gratiæ concedat, vel Inquisitori generali, aut alteri concedendum committat, non est requirendus Regis consensus in remittendis bonis confiscandis; quamuis eius fisco aliàs essent applicanda. Nam Summus Pontifex non ita Regio fisco bona hæreticorum concessit, quòd à se potestatem supremam de illis disponendi abdicauerit, quando id bono communi expediens iudicauerit; esset enim contra Pontificiam authoritatem supremam non posse condonare hæreticis redeuntibus ad fidem bona, quæ propter

pter hæresim confiscanda forent. Hæc resolutio colligitur ex literis, quibus veniæ generales concessæ sunt in hoc Regno à Paulo III. anno 1547. & à Clem. VIII. anno 1604. in quibus absolutè remittitur confiscatio bonorum, nullo Regis expectato consensu.

9 Si Inquisitor generalis, aut Consilium generale iudicauerint esse expediens ad bonum fidei concedere tempus gratiæ, Rexque rogatus nolit remittere bona confiscanda, poterunt etiam ipso inuito, illud concedere cum remissione confiscationis bonorum. Quoniam à Summo Pontifice habent authoritatem concedendi tempus gratiæ, & vt delegati illius illud concedunt; cui autem conceditur totum, conceditur pars, maximè quãdo totum est principale quod committitur; remissio autem bonorum vel est pars inclusa in concessione temporis gratiæ, vel illi accidit, & sic poterunt prædictam remissionem facere, cùm veniat in necessariam consequentiam principalis quod conceditur. *L. 2. ff. de iurisdict. omn. iudic. l.* Ad rem mobilem. §. Qui procuratorem. *ff. de procurat. l. 1. §. fin. ff. de offic. eius cui mand. est iurisdic. cap.* Præterea. *de offic. deleg.* Surdus *cons. 347. num. 20.* Tusch. *tom. 1. lit. A. concl.* 7. Quamuis autem ex consuetudine orta sit iurisdictio ad concedẽdum tempus gratiæ, quæ habet quòd requiratur Regis consensus, non officit: quia credibile non est taliter Summum Pontificem bona confiscanda Regio fisco concessisse, quòd bonum fidei in aliquo periclitaretur: quod re vera continget, si ipse posset impedire remissionem bonorum, quando propter bonum fidei expedit gratiam concedere. Ex hac igitur requisitione non potest inferri Regem iubere ius ad negandum. Si tamen non sit periculum in mora con-

ra concedendi tempus gratiæ, consulendus est Summus Pontifex.

10 Quamuis bona hæreticorum confiscanda Regali fisco sint applicanda ex concessione Summi Pontificis, non proinde Rex concedere poterit tempus gratiæ etiam limitatè quoad bonorum confiscationem. Tum quia causa Ecclesiastica est, circa quam nihil potest secularis potestas determinare, nec iudicare an expediens sit hanc pœnam remittere: tum etiam quia Rex nullum habet ius ad huiusmodi bona, nisi per sententiam, quæ in isto casu non datur.

CAPVT IV.

Quo iure concedatur tempus gratiæ.

1 TEmpus gratiæ non est de iure communi introductum. Albert. *in repet. cap. 1. de hær. lib. 6. quæst. 12. num. 4. circa finem.* Peñ. *de tempore gratiæ cap. 6.* Nullibi enim in iure aliqua temporis concessio inuenitur.

2 Non est contra ius commune, imò èst illi maximè conforme, concedere tempus gratiæ volentibus reconciliari Ecclesiæ. Iura enim hæreticis pœnitentibus, sponteque venientibus ad detestandos proprios errores veniam concedunt, & benignè recipiunt. *Cap.* Ad abolendam. §. Præsenti. *de hæret. l.* Manichæos. §. Præterea. *Cod. de hæret. vid. suprà lib. 2. cap. 44. à num. 2.*

3 Potestas concedendi gratiæ in Summo Pontifice

fice fundatur in eius suprema potestate gubernatiua, secundùm quam oues errantes ad ouile Christi reducere tenetur, iuxta illud Christi Domini Ioannis *cap.* 21. ad Petrum: *Pasce agnos meos, Pasce oues meas.* Pastor namque aliquando baculo percutiendo, aliquando tibia & sibilo oues congregat.

4 Tempus gratiæ primò incepit benignitate Sedis Apostolicæ, quæ iuris seueritatem, mitiore iure inspecto, aliquando moderatur. Penna *de tempore gratiæ cap.* 6.

5 Sanctè & piè conceditur tempus gratiæ volentibus, relicta & abiurata hæretica vel apostatica perfidia, ad fidem Catholicam redire. Guido Fulcod. *ad consultationes Inquisitorum quæst.* 2. quem refert & sequitur Peñ. *d. cap.* 6.

6 In inferioribus Summo Pontifice, vt in Inquisitoribus generalibus, fundatur ius concedendi tempus gratiæ in concessione Sedis Apostolicæ, aut in consuetudine ab eadem approbata.

CAPVT V.

Nonnulli casus in quibus conceditur tempus gratiæ.

1 QVando in aliquo Regno, prouincia, vel diœcesi Inquisitionis officium de nouo instituitur, antequam in particulari contra aliquem procedatur, conceditur tempus gratiæ. Eymer. *in Dir. 3. part. num.* 52 & 53. *vbi* Peñ. *comment.* 12. *num.* 56. *vers.* Sed animaduertant. *& de tempore gratiæ cap.* 7. vbi pro hac sententia refert Concil. Biterrense *cap.* 1.

2 Si

2 Si in aliquo Regno, prouincia, vel diœcesi, vbi iam Inquisitionis officium introductum fuerat, sed propter aliquas causas intermissum, aut remissius & negligentius exerceatur, de nouo accuratè, & secundum iuris rigorem procedendum sit, potest ac expedit tempus gratiæ concedere. Quoniam hic modus procedendi speciem quandam nouitatis officij Inquisitionis præ se ferre videtur, quam Ecclesiæ benignitas in parcendo & miserando præcedit. Albert. *in repet. cap.* 1. *de hæret. lib.* 6. *quæst.* 12. *num.* 4. ex doctrina Archid. *in cap.* De commissi. *verbo* Obedientes. *de hær. in* 6. Peñ. *d. cap.* 7.

3 Conceditur tempus gratiæ, quando hæretici clam multos à fide Catholica diuertunt, & eis suos errores persuadent. Cùm hoc medio meliùs, ac securiùs decepti ab hæreticis reducantur, & respublica componi & purgari possit. Peñ. *de tempore gratiæ dict. cap.* 7. Cõcessionem hanc legimus factam fuisse tempore Sanctissimi Patriarchæ nostri Dominici pro seductis ab hæreticis Albigensibus, & nostris etiam temporibus id ipsum in praxi positum vidimus in Regnis Hispaniæ.

4 Quando aliquod Regnum, prouincia, vel ciuitas de nouo ad fidem conuertitur, concedi debet tempus gratiæ. Peñ. *d. cap.* 7. Nouiter enim conuersi non præsumuntur habere tam perfectam cognitionem fidei, vt statim secundum iuris seueritatem tractentur.

5 Si alicui delicto contra fidem addatur noua pœna, eaque grauissima; videlicet quod illud perpetrantes etiam pro primo lapsu tradantur curiæ seculari, concedi potest tempus gratiæ. Peñ. *d. cap.* 7. Hãc pœnam

pœnam ponit Paulus IV. in quadam constitutione contra negantes Diuinitatem Domini nostri IESV CHRISTI edita anno Domini 1555. promulgata verò an. 1556. & eamdem videre est in aliis casibus suprà relatis *lib. 1. cap. 44. num. 6.*

6 In hoc casu si pœna à Summo Pontifice addatur, ipse consulendus erit circa concessionem temporis gratiæ; in aliis verò casibus hoc capite contentis Inquisitor generalis potest tempus gratiæ concedere.

CAPVT VI.

De baptizatis per vim, ac de eorum filijs & nepotibus.

1 INfidelibus per vim absolutam ad fidem conuersis, & ipsis renuentibus ac contradicentibus baptizatis non est concedendum tempus gratiæ, sed liberi dimittendi sunt. Quia tempus gratiæ solis verè baptizatis conceditur: hi autem infideles verum Baptismi sacramentum non receperunt, nec characterem baptismalem. *Cap.* Maiores. *de baptismo.* Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 8. *casu* 1. Parisius *consiliorum part.* 4. *consil.* 2. *num.* 21. *& seqq.* qui refert Angel. *in verbo* Baptismus. 6. *vers.* 12. *& verb.* Iudæus. *vers.* 30. Marquard. *de Iudæis part.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. *& 7.*

2 *Si* vis infidelibus illata præcisa & absoluta non fuit, sed conditionata, vt ne vitam, bona temporalia, vel patriam amitterent, concedendum est eis tempus gratię, consideratis tamen personarum ac temporum occurrentibus circunstantiis. Hi namque verè baptizati

zati sunt. *d. cap.* Maiores. *de baptismo.* Parisius *citato loc.* Sed quia vim aliquam passi sunt, indulgendum est eis, ne contra æquitatem violenter baptizati conquerantur se priùs Ecclesiasticæ disciplinæ gladium sentire, quàm Christianæ mansuetudinis lenitatem experti fuerint. *Ita* Clemens VII. *in literis generalis veniæ concessæ Judæis baptizatis in hoc Lusitaniæ Regno* anno 1533. & Paulus III. *in confirmatione dictarum literarum* an. 1535. Mascard. *d. num.* 7. & 8.

3 Si in casu proximè præcedenti infideles prætendant se non esse verè baptizatos, ac proinde non egere beneficio temporis gratiæ, sed liberè dimittendos fore, audiendi non sunt, & ad fidem seruandam coercendi, ne nomen Diuinum blasphemetur, & fides quam susceperunt, vilis ac contemptibilis habeatur. *Cap.* Maiores. *de Baptismo.* Nam licèt voluntas illa pura non sit, absolutè tamen voluntas est, ac quod quis sic voluit, absolutè, & voluntarie voluit: & hinc est, quòd in iure coacta voluntas dicitur. L. Si mulier. *§. penult. ff. quod metus causa. cap.* Merito. 15. *quæst.* 1. *Vide* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 8. Castro *de iusta hæret. punit. lib.* 2. *cap.* 12. Conrad. Brun. *lib.* 5. *de hæret. cap.* 13. Dixi *suprà lib.* 1. *cap.* 30.

4 Quamuis infideles per vim præcisam & coactionem baptizati, posteà consenserint, etiam si per longum tempus in tali proposito perseuerent, non egent concessione temporis gratiæ. Quia talis Baptismus fuit nullus, & ratihabitio de facto præterito non validat sacramentum imprimens characterem; quidquid dicat Parisius 4. *part. consiliorum consi.* 2. *num.* 26. Masquard. *num.* 9. In hoc enim verificatur illud commune proloquium: *Quod à principio fuit nullum,*

tractu

tractu temporis non conualescit. L. Quod in initio. *ff. de reg. iuris, cap.* Quod sicut *de elect. cap.* Non firmatur. 18. *de reg. iur. lib.* 6. Tusch. *tom.* 5. *lit.* N. *concl.* 142. *& seqq.*

5 Filij infidelium, qui dum erant infantes ante vsum rationis inuitis parentibus baptizati sunt, si iam adulti & in fide catholica sufficienter instructi à fide recedant, veniam tamen petunt, conceditur eis tempus gratiæ. Peñ. *d. cap.* 8. *casu* 2. Cùm sint verè baptizati, attamen cum iniuria parentum renuentium.

6 Filiis etiam ac nepotibus illorum, qui per vim non absolutam, nec realem coactionem fidem per sacri Baptismatis lauacrum susceperunt, educatis tamen ab ipsismet parentibus, si dicant se non fuisse perfectè instructos in doctrina Catholica, tempus gratiæ concedendum est. Peñ. *d. cap.* 8. *casu* 2. Ob hanc causam Clemens VII. & Paulus III. veniam generalem concesserunt descendentibus ex Iudæis inuoluntariè baptizatis in hoc Regno.

CAPVT VII.

Proponuntur aliquæ rationes insufficientes ad concedendum tempus gratiæ.

1 NOuus aduentus Inquisitoris ad decretam sibi diœcesim, in qua solita est fieri per alios Inquisitores contra hæreticos inquisitio, non est ratio sufficiens ad concedendum tempus gratiæ. Peñ. 3. *part. Direct. com.* 12. *n.* 56. *vers.* Sed animaduertant.

2 Neque etiam Inquisitores pro libito, aut ad

puram petitionem hæreticorum possunt concedere tempus gratiæ. Peñ. *de tempore gratiæ, cap.* 6. Quoniam Inquisitores solummodo ex concessione, vel permissione Summorum Pontificum concedũt tempus gratiæ; nullibi autem inuenitur aut concessum, aut consuetudine introductum, quòd in hoc & præcedenti casu tempus gratiæ concedatur. Item quia Inquisitores in concedenda huiusmodi gratia sunt veluti commissarij dispensatores seueritatis iuris cõmunis; dispensatio autem causam sufficientem exigit: causa verò sufficiens non est sola volũtas dispensantis maximè subordinati, neque nuda petitio requirentis dispensationem. Soto 1. *de iust. quæst.* 7. *art.* 3. *vers.* Postremum ergo. Sylvest. *verbo* Dispensatio. *num.* 2. Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disp.* 17. Suar. *de leg. lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 4. *&* 9.

3 Non est concedendum tempus gratię descendentibus ex infidelibus (siue per coactionem, siue minùs voluntariè conuersi fuerint ad fidem) qui à parentibus, maximè post longum tempus, ad sacrum Baptismatis fontem nulla vi & coactione sunt delati, si post Baptismum Christianam doctrinam didicerunt, sacras conciones audierunt, Ecclesias frequentarunt, Ecclesiastica sacramẽta susceperunt, aliosque actus verorum Christianorum exercuerunt, præsertim si initiati fuerunt ordinibus sacris, & obtinuerunt Ecclesiastica beneficia. Peñ. *de tempore gratiæ, cap.* 8. *&* 23. §. 12. Quia huiusmodi homines fictè præsumuntur petere tempus gratiæ ad permanendum in suis erroribus.

4 Multitudo delinquentium contra fidem non est sufficiens causa, regulariter loquendo, ad concessionem

sionem temporis gratiæ. Quia in grauissimis criminibus, qualis est hæresis & apostasia, non minuitur pœna ex multitudine delinquentium: & ita factum fuit à Deo *Exod. cap. 32. & Deuter. cap. 13.* Peñ. *dict. cap. 8. casu 5.* Vide *supra lib. 3. cap. 35. num. 3.*

5 Si ex concessione temporis gratiæ maius bonum spirituale sequatur multitudini peccanti contra fidem, quàm ex denegatione illius, concedi potest; si tamen delictum plùs nocet communitati, siue in spiritualibus, siue in temporalibus, quàm scandalum ex punitione ortum, concedendum non est, sed gladio vltore vti oportet. Peñ. *d. cap. 8. casu 5. Vide* S. Thom. 22. *quæst.* 108. *art. 1.* Felin. *in cap.* Dilecti *num. 7. verbo.* Quod autem *de except.*

6 Beneficium temporis gratiæ non est concedendum illis, quibus iam fuit aliud concessum. Cùm hoc potiùs sit fauere peccantibus, quàm eos ad fidem reducere. Peñ. *d. cap. 8. fin.*

CAPVT VIII.

Qui gaudent beneficio temporis gratiæ, & qui ab eo excluduntur.

1 EOs omnes comprehendit beneficium temporis gratiæ, qui sunt de illo regno, prouincia vel diœcesi, vbi edictum gratiæ publicatur. Concil. Biterren. *cap. 1. & 2. quod refert, & sequitur* Peñ. *de tempore gratiæ cap. 9. & 10.*

2 Qui semel vsus fuit beneficio temporis gra-

tiæ, si taliter deliquit post primam gratiam quòd constituatur relapsus, siue verus, siue à iure præsumptus, non potest, absolut loquendo, gaudere secunda gratia. Quia relapsus absolutè indignus est venia, *Cap.* Priuilegium. 11. *quæst.* 3. *cap.* Tuarum. §. Verum. *de priuileg. cap.* Super eo. *de hæret. lib.* 6. Peñ. *d. cap.* 10. *Vide supra lib* 1. *cap.* 59. *num.* 42. *& lib.* 2. *cap.* 45.

3 Potest gaudere secunda gratia, qui post primam adeptam taliter deliquit, quòd non efficiatur relapsus, siue ex facto posteà commisso inferatur leuis siue vehemens suspicio. Cùm enim non maneat relapsus, non erit indignus venia, licèt grauiùs puniendus sit. *Vide supra lib.* 2. *cap.* 40. *num.* 12. *& cap.* 41. *num.* 5.

4 Non gaudet beneficio temporis gratiæ, qui non plenè delicta ac delictorum tempus tam de se, quam de complicibus confitetur: aut qui non reuelat omnes quos hæreticos vel de hæresi suspectos esse nouit: sed tamquam diminutus puniendus est, prout iuris fuerit. Concil. Biterren *cap.* 2. quod refert & sequitur. Peñ. *d. cap.* 10. *& in Direct. Inquisit. part* 2. *ad quæst.* 34. *comment.* 59 *versic.* Ex his possumus. Quoniam non est iudicandus verè contritus, & ex corde reuersus ad fidem, qui plenè non confitetur, & dimidiam vult sperare veniam, quod nequaquam licet. *Cap.* Quem pœnitet. *de pœn. dist.* 1. *cap.* Omnes. *de pœnit. & remiss.* Simanch. *in Enchirid. tit.* 61. *num.* 4. Roias *de hæret. part.* 2 *assert.* 21. Quando non plenè confitens dicendus sit diminutus, vt debitas pœnas luat, videndum est suprà *lib.* 1. *cap.* 16. *à num.* 4. *& lib.* 2. *cap.* 48. *à num.* 8.

5 Vt quis gaudeat beneficio temporis gratiæ, debet

debet spontè redire ad fidem. Peñ. *dict. cap.* 10. Nam qui non spontè venit, non potest dici verè conuersus, quod iura maximè obseruare præcipiunt. *Cap.* Vt officium. §. Prouiso solerter. *de hæret. lib.* 6. Eymeric. 3. *part. Direct. num.* 56. *vbi* Peñ. *comment.* 12. qui etiam refert Guidon. Fulcod. *in responsione ad consultationes Inquisitorum quæst.* 2. Farinac. *de hæresi quæst.* 193. §. 1. *num.* 27.

6 Qui in particulari monitus vel citatus coram Inquisitoribus se præsentat in tempore gratiæ, non dicitur spontè venire; ac proinde non gaudet beneficio & impunitate gratiæ. *L. vlt. C. de his qui latr. occult. vers.* Domini, *&c.* Archid. & Ioan. Andr. *in cap.* Vt commissi. *de hæret. lib.* 6. Peñ. *d. comment.* 11. *vers.* Infra.

7 Non tollitur spontanea comparitio per monitorium generale, siue generalem citationem, quæ publicè fit, cùm conceditur tempus gratiæ: & sic qui post edicti publicationem, tamen intra præfinitum tempus se præsentat, gaudet immunitatibus gratiæ. Peñ. *d. cap.* 10. & Guido *d. quæst.* 2. *apud* Peñ. *d. vers.* Infrà. Aliàs enim nemini concederetur beneficium gratiæ, cùm semper monitorium & citatio generalis præcedat, vt volentes redire ad fidem, sciant se manere liberos à seueritate iuris per concessionem temporis gratiæ.

8 Spontè venit, qui ante publicationem temporis gratiæ nec erat specialiter citatus, nec inquisitus. Guido Fulcod. *d. quæst.* 2. Archid. & Ioann. Andreas *in dict. cap.* Vt commissi. Albertin. *in repetit. cap.* 1. *de hæret. lib.* 6. *quæst.* 12. *num* 1. Peñ. *in Direct. 3. part. com.* 12. *vers.* infra quod *& versic.* Cæteri. *& de tempore gratiæ d. cap.* 10 supra *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 34. Farin. *d.* §. 1. *n.* 28.

9 Quorum delicta intra tempus gratiæ per aliorum confessiones innotescunt, si eodem tempore durante compareant, pleneque delicta sua confiteantur, non amittunt beneficium gratiæ, sed sponte censentur venire. Peñ *dict. cap.* 10. Quoniam in iis quæ fiunt eodem tempore determinato, non datur prius, nec posterius. *L.* Quidam testamento. *ff. de pecul. leg.* Surd. *de alimentis tit.* 9. *quæst.* 29. *num.* 18. Et eodem tempore dicitur fieri, quod successiuè fit. Glossa *in l.* Antiqui. *verbo* Eodem tempore. *ff. si pars hæred. peta.* Aliàs restringeretur tempus gratiæ ad eos tantùm, qui, cùm habeant complices, primò venerunt: & sic nullus quantumcumque voluntariè & spontaneè veniret, esset securus quòd consequeretur beneficium gratiæ, quod multos arceret à confessione delictorum; cùm tamen gratia amplianda sit, non verò restringenda. *Cap.* Odia. *de reg. iuris lib.* 6.

CAPVT IX.

De denuntiatis, & venientibus post tempus gratiæ, & carceratis.

1 SEcundùm maiorum consuetudinem excluditur à beneficio temporis gratiæ ille, qui ante illius publicationem iam erat denuntiationibus præuentus, licèt ad vlteriora nondum processerint Inquisitores. Peñ *de tempore gratia, cap.* 11. Ex doctrina Guidonis Fulcod. *d. quæst.* 2. *in responsionibus ad consultationes Inquisitorum.* Archid. *in cap.* Vt commissi *num.* 3. Ioan.

3.Ioan.Andreas *num.4.de hæret. lib. 6.* Quoniam sic præuentus cùm habeat contra se testificationes,metu illarum præsumitur venire & nón voluntariè.

2 Qui intra tempus gratiæ voluntariè se ipsum defert ad Inquisitores,nesciens se esse denunciatum, dummodo personaliter citatus non fuerit, verisimiléque sit ignorare denunciationes contra se factas, relicto iuris rigore, concedendum est ei beneficium temporis gratiæ. Quia non videtur coactus venire. Peñ.*d. cap.* 11. de mente Doctorum, quos proximè citauimus,*suprà lib.2.cap.26.num.*15.

3 Si quis ante tempus gratiæ post denuntiationes contra ipsum factas, citatus fuit per edictum, eo quòd absens erat, & posteà publicato edicto gratiæ, intra terminum illius compareat ante Inquisitores, contétque saltem per probabiles coniecturas non habuisse notitiam præcedentis citationis, vti debet gratia concessa.Peñ. *d.cap.* 11. Cùm hic similitet voluntariè,non verò metu probationum venire præsumatur.

4 In his duobus casibus præcedentibus, quia totum à coniecturis pendet,si res sit dubia, imò & probabilius quòd reus metu probationum se præsentauit,mitius cum eo agendum est. *Cap.* Estote misericordes.*de reg.iuris.*S.Thom.1.2.*quæst.6.art.*4.Peñ.*dict. cap.*11.*suprà lib.*2.*cap.*20.*num.*34. Quia licèt præuentus sit, cùm non sit captus, non venit omnino inuoluntarius.

5 Si verisimile sit citatum per edictum, imò & personaliter, sed nondum captum habuisse notitiam talis citationis,non vtetur beneficio gratiæ, quamuis intra terminum præfiniti temporis ad consequen-

dam gratiam se præsentauerit. Nam coactus venire præsumitur, iuris tamen seueritas cum illo mitiganda est. Peñ. *d. cap.* 11.

6 Qui venit post tempus gratiæ, non gaudet beneficio illius, stando in summo iure. Quia gratia limitatur ad certum tempus, quod est veluti conditio illius, quæ debet impleri in forma specifica. *L.* Qui hæredi. *l.* Mæuius. *ff. de condition. & demonst.* Menoch. *cons.* 1. *num.* 410. & *cons.* 35. *à num.* 4. Surd. *decis.* 209. *num.* 2. & 3. Tusch. *tom.* 2. *lit.* C. *concl.* 595. *num.* 4. Valas. *cons.* 82. *num.* 11. *vers.* Præterea.

7 Si quis se præsentet Inquisitoribus paulò post elapsum tempus gratiæ, dummodo res sit integra, nec reus sit personaliter citatus, requisitus, vel indiciis præuentus, non excluditur à beneficio gratiæ, ex præsumpta benignitate Pontificis. Guido Fulcodius *in responsionibus ad consultationes Inquisitorum quæst.* 2. Archid. & Ioan. Andr. *in cap.* Vt commissi. *in verbo* Obedientes. *de hæret lib.* 6. Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 12. *casu* 1. *ex l.* Mancipiorum. *ff. de option. leg.* fauores enim conuenit ampliare. Item quia in iure valet argumentum à verisimili, illudque pro dispositio habetur, quòd verisimiliter fuisset dispositum, si disponens fuisset de illo interrogatus. Bald. Paul. de Castro, & alij *in l.* Tale pactum. §. *fin. ff. de pact.* Verisimile autem est noluisse Summum Pontificem, qui amplam vult concedere gratiam, hunc casum excludere.

8 Deinde, quæ proximè respectu eiusdem temporis vel loci fiunt, in eisdem fieri censentur, iuxta illud Arist. *lib.* 2. *Physic. tex.* 56. Quod parum distat, nihil distare videtur. Et etiam quando aliquid debet fieri certo tempore, intelligitur illo tempore factum, quã-

do

do factum est tempore immediato ante vel post. Bart. *in l. 1. num. 4. circa fin. C. de operi. liber.* confitens igitur tempore proximo pro confitente tempore statuto reputandus erit.

9 Qui dicantur paulo post, statim, seu protinus venire, & quantum tempus ad hoc sufficiat, iudicis arbitrio relinquitur. Qui considerare debet circunstantias, & qualitatem temporis præscripti ad gratiam, respiciendo ad ea, quæ in iure circa hanc rem habentur. Nam in iure verbum *statim*, (& idem est dicendum de dictionibus. *paulo post*, & *protinus*, quæ idem significant) pro diuersa temporis duratione accipitur. Aliquando pro triduo. *l. vlt. C. de error. aduocat.* Aliquando pro decem diebus. *l.* Promissor. *ff. constit. pecun.* Aliquando pro vno mense. *cap.* Constat. 1. *quæst.* 1. Surd. *consil.* 550. *num.* 6. Aliquando pro quodam temperamento temporis. *l.* Ratum. *l.* Quod dicimus. *ff. de solut. matrim.* quod temperamentum prudentis viri iudicium exigit. Non tamen tempus hoc accipiendum est pro vno anno, *vt in cap.* Puella. 20. *quæst.* 1. quia respectu temporis, quod communiter præscribitur ad gratiam, non potest spatium vnius anni parum reputari.

10 Qui ante tempus gratiæ, nullis præcedentibus indiciis, se Inquisitoribus præsentauit, eius tamen confessio in scriptis redacta non fuit, nec ipse examinatus super sua confessione, nec absolutus ab hæresi: rebus autem sic stantibus publicatum fuit edictum temporis gratiæ, quam iam præsentatus coram Inquisitoribus de nouo comparens petit sibi concedi, in summo iure non gaudet priuilegio gratiæ. Quia per suam confessionem, quę valida est, licèt

non ſcripta, *ſuprà lib. 2. cap. 20. num. 4.* præuentus erat; ac proinde iuxta leges ſe præſentantium extra tempus gratiæ iudicandus. Vide ſuprà *cap. 8. num. 5. & in hoc cap. num. 6.*

11 In caſu præcedenti ſecundùm præſumptam Summi Pontificis benignitatem, ex qua gratiæ conceſſio dimanat, concedendum eſt beneficium temporis gratiæ. Hæc reſolutio conformis eſt ſententiæ Doctorum, quos ſupra citauimus *num. 7.* Quoniam talis præſentatus adhuc in ſecunda comparitione venit re integra nondum iudicatus, nec præuentus, niſi per propriam & ſpontaneam confeſſionem, cui maximè faüendum eſt. Accedit, quia ſi tempus gratiæ ampliatur ex præſumpta voluntate Pontificis ad eum, qui paulò poſt venit, vt dictum eſt; cùm tamen ſic venienti aliqua poſſit imponi culpa non accedendi tempore præſcripto, quanto magis ampliandum eſt ad illum, de quo nulla occurrit ſiniſtra præſumptio; cùm certum omnino videatur ſe præſentaturum tempore gratiæ, qui ſine aliqua ſpe illius comparuit, & confeſſus eſt. Idem dicendum eſt, quamuis confeſſio redacta eſſet in ſcriptis, & reus circa illam examinatus, cùm eadem ſit vtrobique ratio. Hæc tamen intelligenda ſunt, dummodo confeſſio ſit plenè ſatisfactoria.

12 Qui venit paulò poſt tempus gratiæ, perſonaliter tamen citatus, vel indiciis præuentus, non gaudet beneficio gratiæ. Guido Fulcodius, Archidiac. Ioannes Andreas, & Peñ. *citatis locis.* Neque enim gaudere debet extenſione fauorabili priuilegij, qui non ſponte, ſed timore probationum venire præſumitur.

13 Ve-

13 Veniens non indiciatus post tempus gratiæ, probans se iusto aliquo impedimento fuisse detentum, non excluditur à beneficio gratiæ. Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 12. Quia iustè impedito non currit tempus. *l.* 2. §. Quod diximus. *vbi glossa* §. Si non. *ff. si quis cautionib. l.* Quæsitum. *ff. de re iudi. Glossa in l.* Interdum. *verbo* Et similibus. *ff. de iudic. cap.* Quia diuersitatem. *de conceff. præbend. cap. fin. de elect.* Menoch. *consil.* 38. *nu.* 35. Surd. *decis.* 151. *num.* 4. Valasq. *consult.* 130. *num.* 31. Quod maximè habet locum in causa maximi præiudicij, qualis ista est. *cap.* Quærelam. *vbi Glossa in verbo* Detentus. *de procurat.* Et etiam, quoniam qui venit quàm primùm potest, statim venire censetur, & in continenti. *cap.* Olim causam. *de restitut. spoliat.*

14 Impedimentum satis probatur per proprium iuramentum impediti, præsertim si alia probatio non facilè occurrat. Rota *decis.* 3. *de iureiurand. in antiquis.* Barth. Roman. Alexand. & Iason *in l.* 2. §. Quod diximus. *ff. si quis cautionibus.* Decius *in cap.* Ex ratione. *num.* 53. *quæst.* 4. *de appellat.*

15 Iustè impeditus rectè ac securè faciet, si durante tempore gratiæ per aliquem adeat Inquisitorem, rogando quòd vel ipse accedat, vel ministrum mittat. Peñ. *d. cap.* 12. *casu* 2. Ad hoc tamen non tenetur.

16 Qui in carceribus sunt detenti tempore publicationis edicti gratiæ, nullo modo gaudent beneficio tali tempore concesso, sed iuxta canonicas sanctiones terminandæ sunt eorum causæ. Peñ. *de temp. gratiæ cap.* 11. Nusquam enim talibus similis gratia concessa fuit, nec se facile offert sufficiens causa vt concederur.

CAP.

CAPVT X.

De hæresiarchis, & dogmatistis venientibus tempore gratiæ.

1 HÆresiarchæ & dogmatistæ, qui nullo modo præuenti sunt inquisitione vel indiciis, si intra tempus gratiæ se præsentent Inquisitoribus, ostendentes veræ conuersionis signa, frui possunt beneficio gratiæ. Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 12. *casu* 4. Quia si huiusmodi homines extra tempus gratiæ sic contriti accedant, recipi possunt, vt diximus *suprà lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 12. & 13. & *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 3. maiori cum ratione, si venerint tempore gratiæ, recipiendi sunt. Concil. Tarracon. relata per Peñ. 2. *part. Direct. quæst.* 64. *vers.* Hæc sententia.

2 Dogmatistæ & hæresiarchæ, quorum veræ conuersionis, ac veræ pœnitentiæ signa non apparent, etiam si veniant tempore gratiæ, maximè si iam contra illos indicia aliqua præcesserunt, recipiendi non sunt. Simanc. *cathol. tit.* 47. *num.* 54. & *seqq.* Roias *de hæret. part.* 2. *assert.* 43. Peñ. *d. casu* 4. & *in Direct.* 2. *p. d. vers.* Hæc sententia cum aliis per eum relatis: qui licèt teneant hæresiarchas verè pœnitentes recipiendos esse, omnes supponunt, deficientibus veræ pœnitentiæ signis, nullo modo recipi debere.

3 Si dogmatistæ sint relapsi, rarò, vel numquam concedendum erit eis beneficium temporis gratiæ. Indigni enim sunt venia: nec eorum conuersiones veræ præsumendæ sunt, sed tamquam fictæ reiiciendæ;

dæ; cùm relapsus in tantam perfidiam ex voluntate penè obstinata in hæresi videatur prolapsus Et item, quia frui non debet priuilegio, qui propter duplicatas qualitates qualificatas videbatur exprimendus in priuilegio: cùm plura simul iuncta plùs operentur, quàm vnum. Parisius 4. *part. cònsilior. consil.* 2. *num.* 194.

CAPVT XI.

De relapsis, & qualificatis hæreticis, qui tempore gratiæ se Inquisitoribus præsentant.

1 SI relapsus sponte veniat tempore gratiæ durante, nec sit denuntiatus, inquisitus, indiciisve præuentus, licèt secundùm iuris rigorem admittendus non sit ad beneficium gratiæ: attamen iuris æquitate inspecta, reconciliandus est. Guido Fulcod. & Concilium Biterren. relata per Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 12. *casu* 3. Quia cessat siniſtra suspicio, quòd talis fictè conuertatur. Nec debet iudicari incorrigibilis, qui nullo modo est præuentus. Tandem quia cùm se ipsum deferat, non indiciatus de secundo lapsu, non est secundò conuictus. Vide suprà *lib.* 2. *cap.* 45. *num.* 16. & Farin. *de hæresi quæst.* 193. §. 1. *à num.* 33. *vsque ad* 37.

2 Relapsi ficti, illi nimirum, qui in primo lapsu iubentur tradi curiæ seculari, de quibus dictum est suprà *lib.* 2. *cap.* 44. *num.* 6. si etiam sponte veniant, non indiciati, similiter admittendi sunt ad beneficium gratiæ.

gratiæ. Peñ. *dict. casu 3.*

3 Hæretici qui censentur magis qualificati, vt sunt Domini temporales oppidorum aut ciuitatum, Ecclesiastici tam regulares, quàm seculares curam animarum habentes, si simpliciter in hæresim prolapsi sunt, neminem tamen errores suos docuerunt, beneficio temporis gratiæ gaudent, sicut & alij hæretici. Peñ. *d. cap. 12. casu 4.* Nam vt sic nihil habent speciale, propter quod deneganda sit eis misericordia, quæ aliis conceditur.

4 Si huiusmodi qualificati hæretici errores suos docuerunt, vel vt docerentur authores fuerunt, aut ad id auxilium, consilium vel fauorem præstiterunt, tamquam dogmatistæ tradendi sunt, iuxta ea quæ diximus *cap. præcedenti. & lib. 1. cap. 9. à num. 10.*

5 Cùm ea, quæ hactenus dicta sunt in hoc libro, à voluntate Summi Pontificis concedentis tempus gratiæ dependeant volentis plus vel minus concedere, inspiciendæ diligenter sunt clausulæ literarum, vt iuxta tenorem illarum difficultates & dubia occurrentia soluantur.

6 Quoniam circa qualificatos hæreticos, dogmatistas, relapsos, præuentos per personalem citationem, & in carceribus detentos speciales sunt difficultates in iure non decisæ, & agitur de vita hominis, valdè conueniens est, vt in literis temporis gratiæ de prædictis fiat mentio expressa.

7 Quotiescumque aliquis ex prædictis qualificatis hæreticis recipi contingat, cum magna cautela, & sufficientissimis adhibitis remediis, reconcilientur, ac etiam grauissimę eis imponantur pœnitentię, nec mitigandę, nisi post longum tempus, & manifestissimis

stissimis veræ pœnitentiæ, conuersionis, ac humilitatis signis præcedentibus. Peñ. 2. *part. Direct. ad quæst.* 39. *comment.* 64. *vers.* Tametsi. *& de tempore gratiæ cap.* 12.

CAPVT XII.

De forma publicandi edictum temporis gratiæ.

1 INquisitores accedentes ad fundandum Inquisitionis tribunal in aliquo loco, vel ad visitandum suum districtum, literas suæ delegationis ostendere debent Episcopo, seu Prælato principali, & Rectoribus illius loci. Tabien. *verbo* Inquisitor. §. 10. *num.* 11. Simanch. *cathol. tit.* 44. *num.* 1. Eymeric. 3. *pa. Direct. num.* 1. *& seqq. vbi* Peñ. *comment.* 1. *& de temp. gratiæ cap.* 14. Delegato enim non creditur, nisi suæ delegationis literas ostendat. *Cap.* Nobilissimus. 97. *dist. vbi* Glossa *verbo* Signatis. *cap.* Cùm in iure. *de offic. deleg.* Zeuallos *tom.* 4. *pract. quæst.* 8 97. *num.* 338. Dixi *in Bulla Cœnæ cap.* 14. *disp.* 76. *num.* 7.

2 Debent postea conuocare clerum & populum per edictum, vt ad Ecclesiam, quam ipsi assignauerint, conueniant: & ibi in aliqua die Dominica communi, non verò Quadragesimæ, neque Aduentus, habenda est concio de fide, vel ab Inquisitore, vel ab alio de eius commissione: in qua valde commendanda est fides, hortandus populus ad eius firmam retentionem, ad hæreticos & suspectos manifestandos, & causa aduentus Inquisitorum, vel Inquisitoris declaretur.

retur. Concil. Biterren. *l.* 1. Simanch. *d. tit.* 44. *num.* 2. Tabien. *d.* §. 10. *num.* 11. Eymer. 3. *par. Direct. à num.* 47. *vbi* Peñ. *comment.* 12. *& de temp. gratiæ cap.* 15.

3 Finito sermone leguntur statim literæ delegationis, quibus lectis, præstetur magistratibus & populo canonicum iuramentum de tuenda fide, de præstando auxilio Inquisitoribus, & ministris, ac de reuelandis hæreticis. *Cap.* Vt officium. §. Statuimus. *de hæret. lib.* 6. *cap.* Ad abolendam, §. Statuimus. *eodem tit.* Concil. Biterr. *cap.* 32 relatum à Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 16. Videndus est ipse cum Eymeric. 3. *par. Direct. comment.* 5. *&* 12. Tabien. *d. num.* 11. *Si* iurare renuant, coërcendi & puniendi sunt. *suprà lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 15. *& seqq.*

4 Publicatur deinde monitorium cum clausula, quòd omnes qui sciuerint aliquem in crimen hæresis incidisse, vel quouis modo suspectos esse de hæresi, infra certos dies Inquisitoribus reuelent. Concil. Biterren. *cap.* 1. Eymer. *d.* 3. *par. num.* 51. *vbi* Peñ. *com.* 12. *ac de temp. gratiæ cap.* 18.

5 Sequitur vt Inquisitores concedant indulgentias viginti vel quadraginta dierum, quæ à Summis Pontificibus conceduntur Inquisitoribus & ministris, ac etiam omnibus præstantibus eis consilium, auxilium, vel fauorem. Eymeric. *d.* 3. *par. num.* 52. *& quæst.* 127. *vbi* Peñ. *d. commen.* 12. *&* 176.

6 Tandem legitur edictum temporis gratiæ triginta vel quadraginta dierum, provt Inquisitoribus visum fuerit, vt omnes qui se nouerint deliquisse cõtra fidem, vel reos esse eorum delictorum, quæ in edicto gratiæ continentur, veniant coram Inquisitoribus ad suos errores confitendos, scientes, quòd si verè

pœnitentes

pœnitentes & contriti accedant, detestantes omnia delicta contra fidem commissa, quæ abiurare sint parati, nullum de se, vel aliis crimen occultantes, charitatiuè recipientur, salutaribus pœnitentiis impositis, non tamen plectentur pœna mortis, exilij, reclusionis in perpetuum carcerem, aut confiscationis bonorum. Eymeric. *d. 3. par. num. 56. vbi* Peñ. *d. comment. 12. & de tempore gratiæ cap. 19.* vbi refert Concilium Biterrense *cap. 1.* Simanch. *cathol. tit. 44. num. 1. & seqq.* Albertin. *in repet. cap. 1. de hæret. lib. 6. quæst. 12. num. 4.*

CAPVT XIII.

Qua ratione recipiantur confessiones in tempore gratiæ.

1 VEnientes in tempore gratiæ ad confitenda peccata sua, & se reconciliandos cum magna cautela, recipiendi sunt, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & sub agni specie lupum gerant. *Cap.* Vt officium. §. Prouiso solerter. *de hæret. lib. 6.*

2 Confessiones huiusmodi Inquisitoribus factæ non sunt sacramentales. Tum quia hoc consuetum non est, nec in antiquis monumentis talis modus recipiendi hæreticos inuenitur: tum etiam quia generaliter interdicitur Inquisitoribus audire sacramentales confessiones propter periculum, quod inde potest euenire, ne sic confessus, si progressu temporis ab aliquo denuntietur, imponat Inquisitori, quòd eius confessionem reuelauerit: tum denique quia In-

quisitores non sunt iudices in foro pœnitentiæ. Eymeric. 3. *part. Direct. in. de sponte venientibus. num.* 59. *vbi* Peñ. *commen.* 12. *& de tempore gratiæ cap.* 24. Campeg. *apud Zanch. in cap.* 34. *vers.* Considerent etiam Inquisitores. Locatus *in opere inquis. verbo* Absoluere. *num.* 7.

3 Reconciliatio in tempore gratiæ necessariò facienda est per iudicialem confessionem coram Inquisitoribus, vel eorum ministris. Concil. Biterrense *cap.* 3. *&* 5. quod refert & sequitur Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 6. *&* Doctores *proximè citati.* Quoniam gratia concessa ordinatur ad extirpandam hæresim, quod fit per confessionem propriorum criminum ad reconciliationem cum Ecclesia, per detectionem hæresum & errorum aliorum ad emendationem, punitionem, & præuentionem, quod per solam iudicialem confessionem potest fieri; cùm ex sacramentali nullum sumatur indicium ad procedendum. *Argum. tex. ex cap.* Si Sacerdos. *de offic Ordin.* Bald. *in l.* Archygerontes. *C. de Episc audien.* Anton. Gom. *tom.* 3. *variar. cap.* 13. *num.* 9. Peñ. 2. *part. Direct. commen.* 25. *vers.* Illud autem. *& sequenti. & vers.* Sed hic. *ac duobus sequentibus.* Dixi *supra lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 2.

4 Ad hanc confessionem præmittendum est iuramentum de veritate dicenda tam de se, quàm de aliis; examinandi sunt testes diligenter, & eorum dicta ratificanda. Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 20. *&* 21. Dixi *supra lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *& cap.* 17. *&* 18. Vide *cap.* Cùm causam. §. 1. *de testib. cap.* Iudicantem. *vbi Glossa* 30. *quæst.* 5.

5 Ante reconciliationem confitentes tempore gratiæ abiurare debent pro qualitate delictorum secundùm

eundùm formam canonicam:in occulto,si delicta occulta fuerint, vel non præuenta ante publicationem edicti gratiæ;si verò publica vel præuenta fuerint, in publico fiat abiuratio. Publica enim crimina publicam satisfactionem exigunt.Concil. Biterrense quod sequitur & explicat Peñ.*de tempore gratiæ cap.* 2 . *reg.* 8. In hoc tamen Inquisitores maximè attendant ad circunstantias delictorum,conditionem personarum, & testium deponentium qualitatem: De abiuratione dictum est *suprà libro secundo capite quadragesimo & quadragesimo primo.*

6 In imponenda abiuratione ad hoc vt publicè vel occultè fiat,considerandum est an ille, cui abiuratio est indicenda,sit puer,adolescens,simplex, vel paterfamiliashabens filias nubiles. Roland.*consil.*63. *lib.* 3.quem refert & sequitur Peñ.*dicto cap.vigesimo primo reg.* 8. *fin.*

7 Hæreticus occultus per accidens, nimirum, *qui hæresim quam mente tenet, externè profert nemine audiente,*tam in tempore gratiæ, quàm extra se præsentans, absque abiuratione absoluitur ab Inquisitoribus,siue à quolibet illorum, qui etiam absolutionem aliis committere possunt.Simanch.*cathol.tit.* 42.*num.* 11.Vide *suprà lib.* 1.*cap.* 15 *num.* 7. *& lib.* 3. *cap.* 4. *à num.* 11.

CAPVT XIV.

Quo titulo imponi possit pœna pecuniaria reconciliatis tempore gratiæ.

1 IN alijs ab hæresi criminibus fieri potest compositio pecuniaria, vbi id lege vel ratione cogente prohibitum non est. Lucas de Peña *in l. 1. C. de desertoribus. lib. 12. num. 56. quæst. 3.* Paris de Puteo *de sindicatu in verbo* Compositio. *cap. 3.* Griland. *de relaxatione reorum tit. de pœnarum compositione quæst. 2.* & communiter Doctores *in l.* Transigere. *Cod. de transaction.* quos refert & sequitur Peñ. *de tempore gratiæ cap. 25.*

2 Reconciliatis tempore gratiæ non potest imponi pœna pecuniaria titulo compositionis pro crimine. Quia pro hæresi, apostasia, blasphemia, & aliis delictis, quæ fiunt immediatè contra Deum, non potest fieri pecuniaria compositio. Doctores *in d.l.* Transigere. *vbi* Cinus *quæst. 4. vers.* Hanc etiam opinionem. Purpuratus *num. 41 & sequentibus.* Bald. *in l.* Accusationem. *num. 10. vers.* Prælatus autem. C. *de his qui accusare non possunt.* Rojas *in singularibus fidei. singul. 211.* De iure enim canonico non est locus huiusmodi compositionibus. Archid. *in c.* In omnibus. 2. *quæst. 3.* Lucas de Peñ. *d.l. 1. num. 59. Cod. de desertoribus. lib. 12.* Paris de Puteo *d. verbo* Compositio. *c. p. 3. vers.* Secundùm canones; quos etiam refert & sequitur Peñ. *d. cap. 25.* Neque in monumentis antiquis legimus factam fuisse compositionem pecuniariam in delictis

delictis contra fidem, maximè quia in tempore gratiæ vna ex impunitatibus est, quòd bona non confiscantur. Tandem, quoniam talis compositio speciem habet auaritiæ & cupiditatis.

3 Reconciliatis tempore gratiæ, quamuis remittantur bona, quæ venerant confiscanda, potest de illis arbitrio Inquisitorum imponi pœnitentia pecuniaria in vsus pios, præsertim vt expendatur in auxilium contra infideles & hæreticos. Instructio Hispalensis anno 1484. *cap 3.* Albertin. *in repet. cap. 1. de hæret. lib. 6. quæst. 12. num. 4.* Peñ. *d. cap. 25* Vide suprà *libro tertio capite* 28. Hoc tamen numquam consulerem.

4 De bonis confiscandis potest venientibus tempore gratiæ remitti pars certa, & quoad hoc limitari immunitates gratiæ: hoc tamen à Summo Pontifice fieri debet. Quoniam immunitates temporis gratiæ subsunt dispositioni Summi Pontificis, cui liberum est plus aut minus concedere. Verùm rarò aut numquam id facere debet, cùm pauciſſimæ, aut nullæ sint causæ talis restrictionis: & potest dari auaritiæ præsumptio, quæ omnino vitanda est in Ecclesiæ capite. Vide Peñ. *ad 3. par. Direct. comment. 7. vers.* At quamuis vbi refert Concil. Narbon. *cap. 17.*

5 Neque Reges, neque generales Inquisitores hanc restrictionem facere possunt. Non Reges, quia causa ista Ecclesiastica est, vtpote pœna propter hæresim à iure taxata. Vide suprà *lib. 3. cap. 20. num. 9. & 10.* Neque Inquisitores generales, cùm ex sola approbata consuetudine tempus gratiæ concedant; huius autem restrictionis nulla extat consuetudo.

CAPVT XV.

Veniæ generales conceſſæ Hebræis conuerſis, & eorum deſcendentibus in Regno Luſitaniæ.

1 POſtquam Iudæi, qui ex Hiſpania & aliis partibus in hoc Luſitaniæ Regnum venerant, baptiſmum ſuſceperunt tempore inuictiſſimi Regis Emmanuelis anno 1495. vel 1496. ipſis ac eorum filiis & deſcendentibus conceſſæ fuerunt nonnullæ generales veniæ.

2 Prima facta fuit à Clemente VII. per Bullam expeditam 7. die Aprilis anno 1533. Pontificatus ſui anno decimo. Hæc tamen ſuum non eſt ſortita effectum.

3 Paulus III. qui Clementi in Pontificatu ſucceſſit, veniam generalem ab eo conceſſam confirmauit, de nouoque conceſſit die 12. Octobris, anno 1535. & poſtea anno 1536. literas dedit ad fundandum ſanctum Inquiſitionis tribunal, vt in ſuperioribus dictum eſt.

4 Idem Paulus III. die 11. Maij anno 1547. occaſione reducendi modum procedendi Inquiſitionis ad terminos iuris (nam antea magnis adhibitis moderationibus in fauorem nouiter conuerſorum procedebant Inquiſitores) bono Eccleſiæ exigente, vt ſeruato iuris rigore procederetur contra iudaizantes; ne nouiter conuerſi & eorum filij pro præteritis erroribus rigoroſæ Inquiſitioni ſtatim ſubiacerent, veniam

niam generalem concessit. Fuit publicata 10. die Iunij anno 1548.

5 Clemens VIII. anno 1604. die 23. Aug. nouam veniam generalem concessit, quæ publicata fuit in hoc Regno 6. de Ianuarij anno 1605. Causæ, quæ ex Bulla huius concessionis colliguntur, sunt tres. Prima; quòd pœnæ contra hæreticos latæ absque remissione executioni mandantur per Inquisitores (quid mirum, cùm rectissimi sint, si leges obseruant, si iuxta determinationes Summorum Pontificum & consuetudines approbatas procedunt in imponendis pœnis, si eadem in concedendis fauoribus custodiunt?) Secunda; ne descendentes ex Hebræis, cùm pro certo habeant præclusum sibi esse aditum consequendi similem veniam, efficiantur peiores, peccatáque peccatis adiiciant. Tertia; quia concessa huiusmodi venia generali, absque dubio sperandum est, quod breui tempore absentes ad hoc Regnum reuertentur, retinentes cultum fidei catholicæ sub obedientia Regis Philippi, *qui*, inquit Summus Pontifex, *hoc maximè desiderat, & instanter petit.*

CAPVT XVI.

Quibus personis concessæ sint veniæ generales, & quas impunitates contineant.

1 OMnibus vtriusque sexus nouiter conuersis ad fidem ex Iudæis in Regnis Lusitaniæ

& eorum dominiis, prædictorum filiis, nepotibus vel descendentibus in eisdem degentibus, forensibus, ac alienigenis, tam præsentibus, quàm absentibus, seu qui ab eisdem Regnis aut dominiis aliàs recesserunt, etiamsi banniti fuerint, concessæ sunt generales veniæ. Clem. VII. Paulus III. & Clem. VIII.

2 Remittunt prædictis omnia delicta hæresis, apostasiæ à fide, blasphemiæ, & aliorum quorumcumque delictorum, quantumcumque grauia sint, & qualificata.

3 Absoluuntur ab omni excommunicationis sententia, suspensionis & interdicti, & ab aliis Ecclesiasticis censuris, etiam si illis à quadraginta & vlterioribus annis insorduerint, aut Sedes Apostolica pro eis consulenda foret, ac etiam ab illis, quæ in Bulla Cœnæ continentur.

4 Absoluuntur ab omnibus prædictis in foro ciuili, criminali, contentioso, conscientiæ, & animæ: ab aliis verò criminibus prauitatem hæresis non sapientibus, in foro conscientiæ dumtaxat.

5 Restituuntur ad illum statum, in quo erant tempore quo fuerunt baptizati, liberantúrque ab omni infamiæ nota, quam per se, vel per suos consanguineos aut affines contraxerunt, ac si numquam de catholica fide deuiassent. Restituuntur denique ad omnem dignitatem, gradum, officium, beneficium, & ordinem, in quibus antea erant: & insuper habilitantur ad omnes huiusmodi dignitates consequendas. Hanc tamen habilitationem. Clemens VIII. eis non concessit.

6 Reddenda sunt eis omnia bona confiscata, & omnes fructus inde percepti, etiamsi ad alios iam perue-

peruenerint; dummodo fisco incorporata non sint.

7 Omnes carcerati, vel aliàs detenti, exules & banniti, etiamsi ob prædicta crimina sententiati iam sint à carceribus, detentione, exilio & bannis omnino liberantur.

8 Extinguuntur omnes processus, informationes, probationes, cautiones, fideiussiones, & obligationes, sub quacumque forma, etiam cum iuramento: omnes etiam denuntiationes contra ipsos factæ circa crimen hæresis, apostasiæ, blasphemiæ, & similium hæresim sapientium: ne de cætero pro illis accusari, molestarivè vllo modo possint: neque ex prædictis criminibus indicium aliquod, etiam minimum contra ipsos in posterum sumatur.

9 Non sunt eis imponendæ pœnitentiæ aliquæ publicè, & à iam impositis liberantur.

10 Qui de præsenti elapsi sunt, & pro crimine relapsiæ in hæresim vel apostasiam in carceribus detinentur, curiæ seculari tradendi non sunt vltimo supplicio plectendi, sed aliis pœnis iudicio Inquisitorum impositis, liberi dimittuntur. His tamen Clemens VIII. nullam immunitatem concessit.

11 Qui hac gratia vsi fuerint, quamuis in hæresim, vel apostasiam relabantur, non habentur pro relapsis, nisi iudicialiter abiurauerint.

CAPVT XVII.

Qui non gaudent immunitatibus veniæ generalis.

1 NOn gaudent gratiis & immunitatibus veniç generalis absentes, qui habitum & nomen Christianorum non retinuerunt, sed à fide Christi manifestè recesserunt. Clemens VII. Paulus III. & Clemens VIII.

2 Qui à die publicationis literarum veniæ generalis in aliquam hæresim inciderunt, vel in veteri errore perstiterunt, non gaudent immunitatibus à Clemente VII. concessis.

3 Absolutiones in foro animæ non consequuntur, nisi qui corde contriti, & verè confessi in sacramento Pœnitentiæ à confessario per ipsos eligendo, ex approbatis tamen ab Ordinario absoluuntur.

4 Non liberantur à pœnitentiis per sententiam Inquisitorum iniunctis, qui eas extra carceres non compleuerunt.

5 Non dispensantur in irregularitate, qui in cõtemptum clauium, cùm essent censuris astricti, Missas celebrarunt, aut illis aliàs se immiscuerunt.

6 Pœnitentias impositas ab Inquisitoribus iis, qui è carceribus liberantur præuia abiuratione, ipsi abiurantes tenentur adimplere.

7 Ab abiuratione coram Inquisitoribus facienda non eximuntur, qui in carceribus detenti, vel sub fideiussione dati, conuicti erant vel confessi. Qui similiter

militer à relapsia non liberantur, si postea relabantur in hæresim, vel apostasiam.

8 Iuxta Bullam Clementis VII. ad consequendam gratiam in dicta Bulla concessam, etiam in foro externo necesse erat, quòd crimina confiterentur coram Nuncio, Inquisitoribus, ministris ab eisdem deputatis, vel confessario ab ipsis quibus concedebatur gratia, electo; & quòd eorum nomina & cognomina in aliquo libro scriberentur.

9 Hæc conditio ablata fuit à Paulo III. & Clemente VIII quoad forum temporale, ciuile, criminale, & contentiosum; in quo prædicti homines eximuntur à confessione, abiuratione, renuntiatione, punitione, vel diligentia quacumque.

10 Non gaudent prædictis immunitatibus, qui tempore publicationis literarum in Regno, & dominiis Portugalliæ nullo modo domicilium, vel habitationem habentes intra terminum in ipsis literis præscriptum ad dictum Regnum, vel ad aliquod dominium illius non redierint.

11 Sententiæ contra prædictos homines iam latæ, & executioni mandatæ non annullantur.

CAPVT XVIII.

Summus Pontifex potest concedere veniam generalem remittendo pœnas iuris.

1 NEgare Summum Pontificem posse remittere pœnas in iure contra hæreticos latas, error

error est in fide. Oldrad. *consil.* 271. Parisius 4. *par. consil. cons.* 1. *num.* 6. Est enim de fide Summum Pontificem habere supremam potestatem. *cap.* Decreto. 2. *quæst.* 6. *cap.* Ad honorem. *de author. & vsu pall. cap.* Proposuit. *de concess. præb.* essèque supremum iudicem in causis hæreticalibus. Supra *cap.* 3. *num.* 4. cui apertè contradicit, qui negat ipsum posse remittere pœnas iuris.

2 Summus Pontifex potest crimina & delicta præterita extinguere, veniamque generalem concedere, omnem pœnam temporalem relaxando. Parisius *d. cons.* 1. *num.* 1. Quia supremus Princeps, qualis ipse est, potest omnem pœnam remittere. *L.* In rescripta. *C. de precib. Imperatori offerend.* quæ approbatur *in cap.* Rescripta. 25. *quæst.* 2. *vbi* Glossa *fin. per tex. in cap.* Veniam. 35. *quæst.* 9. *l.* Mancipia. *in fin. C. de seruis fugit.* Paris de Puteo *de sindicatu in cap. de offic. sindicantis.* Decius *consil.* 137. *col.* 1. & 2. Et punire delicta est solummodo interesse secundarium Reipublicę Ecclesiasticæ.

3 Absque iniuria Principum, quorum fisco bona hæreticorum applicanda forent, potest Summus Pontifex in concessione veniæ generalis remittere confiscationem bonorum. Quoniam in pœnis fisco applicandis habent Principes solam causam lucrativam, & sic non reputantur pati damnum in illarum remissione. Bald. *in l.* Nec damnosa. *in 2. oppos.* quem sequitur Paul. *ibi, & vterque in l.* Rescripta. *C. de precib. Imperat. offer.* Parisius *dict. cons.* 1. *num* 22. Item quando applicantur alicui bona, vel pœnę immediatè ex ipsa condemnatione & non ex alio actu seu facto nouo, potest princeps supremus illa auferre sine iniuria.

Bald.

Bald. *in l.* Gallus §. Et quid si tantum. Alexand. *ibi num.* 39. Iason *num.* 56. *ff. de lib. & post.* Parisius *d. cons.* 1. *num.* 47. & 52. & secundùm hoc intelligitur prima doctrina Baldi.

4 Si in remissione pœnæ criminis non fit mentio de infamia ex eo secuta, non intelligitur remissa. *L. fin. C. de generali abolit. l.* 1. & *l.* Generalis. *C. de sententiam passis, & restitutis.* Paris de Puteo *de sindicatu in verbo* Tortura *vers.* Pone quòd aliquis. Parisius *d. cons.* 1. *num.* 18. & *seqq.*

5 Summus Pontifex non remittit crimina contra fidem in futurum committenda. Periclitaretur enim tota Ecclesia. *Cap.* Sunt quidem. 25. *quæst.* 1. Glos. *in verbo* A fide, & *in cap.* Si Papa. 40. *dist.* Sicut etiam Princeps secularis non potest futura delicta remittere. *L.* Si vnus. §. Illud *ff. de pact.* Bald. *in d. l.* Rescripta. *col.* 2. *versic.* Vlteriùs oppono. Quia esset contra publicam vtilitatem; & personæ inuitarentur ad delinquendum, contra legem Conuenire. *ff. de pact. dotal.* Parisius *d. cons.* 1. *num.* 9. & *seqq.*

CAPVT XIX.

Sufficientibus rationibus concessæ fuerunt veniæ generales à Clemente VII. & à Paulo III.

1 EX Bullis Clementis VII. ac *Pauli* III. ac etiam ex quodam libello ab eodem *Paulo* ad Regem Portugalliæ Ioannem huius nominis tertium

tium super hanc materiam missо,quem Peñ. *de tempore gratiæ cap.*23.§.9. se vidisse testatur, constat sufficientissimis de causis prædictos Pontifices eo tempore primam veniam concessisse.

2 Prima ratio fuit; quòd Hebræi in regno Lusitaniæ, eorum filij & nepotes non omnino voluntariè fidem susceperint, licèt vis, quæ interfuit in eorum conuersione, non fuerit omnino præcisa. Quæ ratio sufficiens est, vt dictum est suprà *cap.*6.*num.*2.ad concedendam veniam.

3 Secunda; quia filij horum conuersorum parentibus non omnino voluntariis baptizati sunt, quamuis verum susceperint Baptismum. Quod tamen licitum non est. S. Thomas 2.2.*quæst.*10.*art.*12. & 3.*parte quæst.*68.*art.*10. Ricard.*in* 4.*sentent.distinct.* 6.*art.*3.*quæst.*3. Durandus *distinct.* 4.*quæst.*7. S. Antonin.*in Summa part.*3.*tit.*14.*cap.*13.§.9. Glossa *in cap.* Iudæorum.28 *quæst.*1. Quæ ratio approbata est suprà *d.cap.*6.*num.*5.& 6.

4 Tertia; quia Hebræis sic conuersis, & baptizatis, eorum filiis ac nepotibus, deerat perfecta instructio in rebus fidei; quæ tamen necessaria erat, vt venia redderentur indigni. Quod etiam sufficere suprà dictum est.*d.num.*5.& 6.

5 Quarta; quoniam prædicti Hebræi quodammodo fuerunt seducti, & lata via peccandi eis patefacta, quatenus dictum eis fuit, quòd per viginti annos non inquireretur contra eos circa res fidei; quodque liberi essent ab Ecclesiasticæ correctionis seueritate.

6 Quinta; ne seueritate vindicationis præteritorum errorum exasperati deteriores fierent, & pœnæ ac

næ ac infamiæ metu in desperationem venirent: cùm adhuc essent in fide tyrones, in eaque parum confirmati.

7 Sexta; quia cùm nondum lenitatem, & mansuetudinem Ecclesię experirentur, videntes, qua charitate redeuntes ad fidem, qui ab ea recesserant, recipiuntur, faciliùs reconciliationem peterent, & in amorem Ecclesiæ inflammarentur.

8 Septima, ne iustè conquererentur ij, qui violenter baptizati fuerant, quòd contra omnem æquitatem & iustitiam ab Ecclesia tamquam Christiani omnino voluntarij corrigantur, & castigentur. Quamuis re ipsa verum Baptismum susceperint; cum maior vis illata fuerit Iudæis, vt baptizarentur tempore Sisibuti Regis Hispaniæ circa annum Domini 612. & tamen in multis Conciliis Toletanis decretum fuit ipsos esse verè baptizatos, proindeque ad fidem Christi seruandam coercendos. Concilium Toletanum 4. *cap.* 58. *conc.* 8. *cap.* 12. *concil.* 12. *cap.* 9. *conc.* 17. *cap.* 8. *& in iure cap.* De Iudæis. *dist.* 45. *cap.* Maiores. *de Baptismo.*

9 Pro secunda venia generali publicata anno 1548. ea ratio sufficit, quam Paulus III. qui eam concessit, in suis literis declarat, quæ *cap.* 15. *num.* 4 refertur, *& cap.* 5. *num.* 2. *&* 5. approbatur. Licet enim alia venia ab eodem Pontifice eisdem hominibus concessa fuerit, alia concedenda non erat, nisi occurreret sufficientissima causa, qualis illa fuit; cùm etiam absque reprehensione dispositionem iuris propter ea, quæ de nouo emergunt, alterari & mutari videamus, eò quòd nouo indigent remedio. *L.* de ætate. §. Ex causa. *vers.* Ita Celsus. *ff. de interrogat. action.* & ob temporum

porum varietatem humanæ varientur actiones. *Cap.* Sciendum. 29. *dist. cap.* Quis ignoret. 32. *quæst.* 4. *cap.* Non debet reprehensibile. *de consanguin. & affinit.* Parisius *quarta parte consiliorum. consil.* 2. *num.* 135. *& sequentibus.*

10 Circa veniam vltimam generalem à Clemente VIII factam nihil scribendum duxi. Rationes pro iustificatione talis veniæ ab eodem Pontifice assignantur, & relatæ sunt suprà *cap.* 15. *num.* 5. Mihi sufficiat venerari determinationes Pontificum, cùm semper eorum intentio in illud, quod melius est feratur; licèt aliquando ex importunis precibus aliqua concedant, quæ concedenda non forent. *Cap* Cùm in iuuentute. *de purgat. canon. cap. fin. & ibi* Glossa *de rescrip. lib. 6. l. 1. Cod. de petitionibus bonorum sublatis. lib.* 10. *vers.* Quoniam plerumque. Perez *ad l.* 24. *lib.* 2. *tit.* 3. *& ad l.* 1. *lib.* 3. *tit.* 12. *Ordinamenti.* Et propter potentiam personarum multa deuiantia à communibus regulis introducta sunt, vt ait Parisius *dict. cons.* 2. *num.* 168.

CAPVT XX.

Aliam generalem veniam concedere non expedit.

1 POst tot venias generales concessas descendentibus ex Hebræis conuersis in hoc Regno, quibus correpti non sunt, sed quasi obstinati in sua perfidia perseuerant, aliam de nouo concedere non expedit, imo perniciosissimum erit. Nam quid aliud

aliud est nouæ veniæ petitio & ad quid tendit, nisi ad celandam perfidiam, ad effugiendas pœnas, & ad conscientiæ libertatem? Albertin. *in repet. cap. 1. de hæret. lib. 6. quæst. 12. num 4.* loquendo de tempore gratiæ Iudæis Maioricensibus concesso anno 1488. *quibus*, inquit, *parum profuerunt gratia, & misericordia, quia ab illis temporibus vsque ad annum* 1524 dum ille scripsit, *plures fuerunt traditi curiæ seculari & aliis pœnis affecti, & numquam se emendare voluerunt. Et bene*, inquit, *de eis prophetauit Ieremias cap. 7. num. 26. Et non audierunt me: sed indurauerunt ceruicem suam: & peius operati sunt, quàm patres eorum.* Peñ. *de tempore gratiæ cap. 23. §. 12.* de descendentibus ex Hebræis in hoc Regno idem asserit, validisque fundamentis ostenditur.

2 Primò; descendentibus ex Iudæis ante centum annos conuersis nulla ratio suffragatur ex iis, quæ ad gratiam concedendam sufficere diximus suprà *cap. 5. 6. & 7.* nullam enim vim siue absolutam siue conditionatam passi sunt.

3 Secundò; non fuerunt baptizati, qui nunc descendunt ex Iudæis, inuitis parentibus, imò ipsis consentientibus, & ducentibus ad fontem baptismalem filios suos.

4 Tertiò: non defuit vera & perfecta instructio in doctrina fidei, quam acceperunt à parentibus, qui veros Christianos se esse profitentur, à magistris, à confessariis, & à prædicatoribus.

5 Quartò; non proceditur de nouo contra iudaizantes, cùm ab anno 1536. continuata sit contra eos inquisitio, publicè puniuntur in actibus fidei; nec nouæ pœnæ delinquentibus imponuntur, sed quæ à

iure statutæ sunt.

6 Quintò; nouam veniam excludit Clemens VII. in Bulla primæ veniæ generalis, confirmata, & publicata a Paulo III. vbi dicit quòd nullam excusationem habeant in futurum, si relabantur. Quam ergo nunc habebunt, cùm post duas alias generales venias, & post tot tempora gratiæ deteriores ac obstinatiores in suis erroribus appareant?

7 Sextò: volentibus ex corde redire ad fidem, adest remedium ordinarium per confessionem coram Inquisitoribus, & sic confitentibus conceditur reconcialiatio in occulto, non imponitur pœnitentia publica, nec corporalis, & remittuntur bona, quæ venerant confiscanda: etiam si extra tempus gratiæ se præsentent; dummodo suorum criminum testes non habeant.

8 Septimò, ex penè innumeris confessionibus eorum, qui post vltimam veniam generalem confessi sunt, constat nullum eorum sacramentaliter fuisse confessum, vt iuxta conditionem dictæ veniæ in foro animæ veniam consequeretur: & simul constat omnes istos fuisse apostatas à fide. Tum sic, vel huiusmodi apostatæ, qui veniam illam petebant, cùm omnium nomine procurata fuerit, volebant reconciliari cum Ecclesia, vel non: si volebant, quare non confitebantur sacramentaliter? Si nolebant, ergo solummodo veniam postulabant, vt iudaismus maneret occultus, vt complices non cognoscerentur, & vt ipsi in sua apostasia, absque supplicij timore persisterent.

CAP.

CAPVT. XXI.

Insufficientia aliquarum rationum, quæ in fauorem nouæ concessionis generalis veniæ adduci solet

1 PRo concessione nouæ veniæ generalis multæ adducuntur rationes in fauorem, vt aliqui falsò credunt, descendentium ex Iudæis conuersis in hoc Regno, quæ nihil concludunt, si rerum præsentium statum consideremus.

2 Prima ratio est; Deum esse infinitæ misericordiæ, qui non modo septies, sed vsque septuagies septies iubet Petro indulgeri peccantibus. Matthæi *cap.* 18. *num.* 21. quod à Petri successoribus imitandum proponitur.

3 Attamen hæc ratio non concludit; quoniam Deus sicut misericors, ita & iustus est, & iustitias dilexit, Psal. 10. *num.* 7. estque Deus zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Exod. *cap.* 20. *num.* 5. Quamuis igitur culpam verè pœnitentibus semper dimittat, non tamen pœnam temporalem pro delictis in hoc seculo soluendam, etiam perfectè contritis & emendatis relaxat. Pœnitenti Dauid mortuus est filius ex adulterio natus. 2. Reg. *cap.* 12. Mortuus est Moyses ob percussionem petræ. Deuter. *cap.* 3. Noluit vt Ieremias oraret pro populo. *cap.* 7. Orabat Antiochus Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus. 2. Machabæorum *cap.* 9. *num.* 13. Non

inuenit Esau pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. Paul. *ad Hebr. cap.* 12. *num.* 17.

4 Secundi: quòd expedit imitari antiquissimum legis veteris iubileum quinquagesimi anni, Leuit. *cap.* 25. *num.* 3. & 10. cuius toties iteratæ concessiones non obstabant aliis.

5 Hæc etiam insufficiens est; nam præterquam quòd hoc sit ceremonialia, & ritus Iudæorum in Ecclesiam introducere, cum iam cessauerint, *cap. vnico de purific. post part.* S. Thom. 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 3. *vbi* Caietan. Conrad. Medina, & *alij.* Suar. *de legib. lib.* 9. *cap.* 11. §. 1. Bonacina *tom.* 2. *tract. de legi. disp.* 1. *quæst.* 1. *puncto* 2. *num.* 3. annus ille iubilei non ad remissionem delictorum hæresis, apostasiæ, blasphemiæ, & similium ordinabatur, sed ad regressum proprietatum venditarum ad familias, & libertatem seruorum, vt videre est *in d. cap.* 25. Leuit. & ibi declarant Patres & expositores. Quinimo Inquisitores semper sunt parati ad indulgendum spontè redeuntibus ad fidem, & ad concedendam latam misericordiam.

6 Tertia: neminem debere inuitum trahi ad fidem, nec voluntatem cogi suppliciis: ac proinde lenitate generalis veniæ, frequenter vtendum esse.

7 Friuolum est hoc fundamentum; quia sicut est iniustum cogere ad fidem suppliciis eos, qui baptizati non sunt, sic iustum & necessarium est obligare baptizatos ad illam seruandam, vt dictum est suprà *lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 8. Et licèt voluntas non cogatur suppliciis, perfidia castiganda & impedienda est; ac vulnera oleo & vino curanda. Luc. *cap.* 10.

num.

num. 34. Sæpè enim concessa venia delictorum non misericordia, sed peccandi licentia est.

8 Quarta: expedire exemplo medicorum mutare remedia, quando iam adhibitis non sanat ægrotus: & quia experientia edocente, rigore iuris seruato non extinguitur Iudæorum apostasia, lenitate, & misericordia curandi sunt.

9 Hæc ratio petit curationem sæpius inutiliter applicatam; nam huiusmodi curationis modo, absque vllo fructu, sæpè vsi sunt & Summi Pontifices, & Inquisitores generales in hoc Regno. A principio enim duplicatæ veniæ lenitate non sunt sanati; posteà ab anno 1535. vsque ad annum 1548. aliquibus suppliciis affecti, non tamen seruato cum eis toto iuris rigore, morbus perfidiæ inualuit: deindeque vsque ad annum 1606. applicata iuris seueritate, nullum in eis salutis signum apparuit: iterum benignitate veniæ generalis, & aliquibus gratiis etiam generalibus recreati magis perfidia creuit, ita vt ferè incurabiles videantur. Cùm igitur nec misericordia, nec iustitia curentur, cauteriis procedendum est, & iuxta sacrorum Canonum seueras sanctiones tractandi sunt: & quia iudaicis erroribus addicti adhuc inueniuntur, acerbissimæ pœnæ in eos excogitandæ sunt. S. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 2. *ad* 9. vbi namque tot veniis interruptus non fuit Inquisitionis processus, vt in regnis Hispaniæ videtur penè extinctus iudaismus.

10 Quinta; quòd si eorum delicta contra fidem non celentur veniis, sed in publicum theatrum prodeant, sequetur maxima infamia huic Regno, quæ vitari debet.

11 Hic prætenditur maius malum ad vitandum minus: potiùs ergo dicendum est bonum fidei maxime postulare, vt delicta non occultentur, sed publicè puniantur: quia hæretici & apostatæ à suis delictis saltem metu pœnæ abstinentur, fideléque in catholica doctrina roborantur, & contra hostes fidei iustas iras concipiunt. Ioann. Andr. *cap.* Vt commissi. *de hær. lib* 6. Eymer. 3. *part. Direct. rub. de sexto modo termin. proces. num.* 175. *e f.* Aduentente. *vbi* Peñ *commen.* 42 *& comment.* 45. Verumtamen. *& de tempore gratiæ cap.* 8. *casu* 3.

12 Sexta; quoniam nonnulli ex eo quòd tot iudaizantes vident, scandalizantur, perseuerántque in iudaismo credentes omnes ex sua natione esse Iudæos.

13 Hæc ratio vt euitet iudaismum, iudaismo fauet; quia scandalum hoc passiuum est, & pharisaicum, quod nemo tenetur vitare: impunitas verò delictorum scandalum præbet, estque datum, seu actiuum, cùm impunitas licentiam peccandi generet, & facilitas veniæ peccatis laxet habenas, & facilitas veniæ sit incentiuum peccati. Quæ sententiæ maximè tenent verum in hac Hebræorum natione, quæ duræ ceruicis est, & per satietatem à Deo recedit. Exod. *cap.* 32. *num.* 6. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere,* & Ieremias *cap.* 5. *num.* 7. *Saturati eos, & mœchati sunt: pœnis autem affecti ad Deum reuertebantur.* Psalm. 77. *num.* 34. *cap.* Duo ista. 21. *quæst.* 4. Nulli homini claudenda est misericordia, nulli peccatori pœna omnino relaxanda.

14 Septima, multitudo delinquentium in iudaismo, quæ adveniam concedendam multum conducit.

15 Sed

15 Sed hæc ratio non conuincit generaliter loquendo, vt dictum est suprà *cap. 7. num.* 4. nisi quando multitudo clam seducta fuit, suprà *cap.* 5. *num.* 3. vel quando delictum à multitudine operante commissum fuit, qualiter non committitur crimen apostaliæ à iudæis in hoc Regno; quantumcumque enim magna sit multitudo iudaizantium, in particulari tamen vnusquisque peccat, ac cum paucis complicibus: & sic particulariter delati, particulariter pro delicti, & probationis qualitate puniuntur, sicut faciendum docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. *ad* 5. quando in multitudine ex parte delinquente, specialiter peccantes dignoscuntur. Nam multis latronibus & homicidis, qui per se diuisim furta & homicidia committunt, non indulgetur ob eorum multitudinem. Vel igitur descendentes ex Hebræis in hoc Regno fateantur se per modum multitudinis iudaizare, quod nec admittent, nec verum est, vel nobiscum consentiant dicentes dictam rationem nihil concludere ad concessionem veniæ generalis.

16 Octaua, si concedatur nona venia generalis, omnes qui ad terras infidelium & hæreticorum se transtulerunt, & inter ipsos licentiosè viuunt, reuertentur ad patriam, vbi reformatè viuent, & conuersatione Catholicorum conuertentur.

17 Hæc non concludit: nam si huiusmodi absentes verè pœniteant, & pœnitentiæ signa ostendant, benignè, quocumque tempore veniant, ab Inquisitoribus recipiuntur; si non verè pœnitent, non sunt venia digni. Et quia latè patens aditus illis proponitur ad reconciliationem, per quem incedere recusant, præsumendum est fraudulenter ve-

niam postulare, vt absque confessione delictorum reuertentes, securius persistant in iudaismo, alios qui nondum à fide recesserunt, peruertant, & qui in eo iam sunt instructi, confirment; sæpe enim magis informati circa ceremonias & ritus iudaicos reuertuntur, ac proinde pernicioliores: ob quam causam admonent Doctores maximè cauendos esse eos, qui cum hæreticis & infidelibus conuersati sunt. Videnda sunt, quæ ex synodo Salisburgensi *constitution. 6. capit. 2.* refert *Pen. 2. part. Direct. ad quæst. § 7. comment. 82. vers* Ad hæc.

18 Nona, quia compatiendum est multis innocentibus, qui timentes falsas inimicorum testium accusationes, seu denuntiationes propriis domiciliis relictis, ne simul animas & bona perdant, vt ipsi dicunt, ad alias prouincias & regna se transferunt, cùm plures falsi testes quasi coniurati causam præstent, vt multi innocentes vltimo supplicio, aut aliis pœnis plexi fuerint.

19 Hæc tamen ratio si aliquam vim habet, particularis est, particularesque respicit personas; in Ecclesia autem vsitatum non est ob causas particulares generalem veniam concedere; & si quæ aliquando detur falsitas, in vno vel altero particulari continget, non in omnibus: & contra falsos testes sacri Canones de remedio prouident, Inquisitoribusque incumbit testes diligentissimè examinare, quod ipsi rectè faciunt, cuncta rimantur, quæ ad procedendum necessaria sunt, neminemque nisi per veram ac concludentem probationem condemnant, sicut eis in iure præcipitur. *Cap.* Nullam. *cap.* Iudicantem 30. *quæst.*

quæst. 5. & iudicantes secundùm allegata & probata adimplent munus ad quod tenentur. Vide suprà *lib.* 2. *cap.* 36. *num.* 17.

20 Accedit, quia per concessionem veniæ generalis non euitantur testificationes falsæ, quas huiusmodi apostatæ dari prætendunt, nec aufertur timor, ratione cuius se absentare dicunt: qui potius ex testimonio propriæ conscientiæ, quàm ex odio inimicorum oritur; cùm experientia doceat, quod etiam testatur Peñ. *de tempore gratiæ cap.* 8. *casu* 4. plures, vel maior pars, ne dicam ferè omnes, qui se ex hoc Regno in exilium voluntarium mittunt, in iis partibus ad quas declinant, iudaicè viuere, non Ecclesias Catholicorum, sed Iudæorum synagogas frequentare, multiqué vt Iudæi circumcidi. Illud pro complemento aduertendum duxi nonnullas detectas fuisse coniurationes in causis iudaismi, attamen omnes ex huiusmodi descendentibus ex Iudæis contra veteres Christianos, nullam autem contra Iudæos.

21 Decima (aliis minoris momenti omissis) procedit ab exemplo iubileorum, qui frequenter à Summis Pontificibus conceduntur in foro animæ, imò & in foro fori à Clemente VII. à Paulo III. & à Clemente VIII.

22 Attamen diuersa est ratio, quoad forum internum & externum. Nam in foro interno attenditur bonum particularium, quibus in sacramentali confessione tam contra se, quàm pro se fides adhibetur: in foro autem externo principaliter consideratur bonum publicum, in quo proceditur iuxta vetas pro-

bationes, aut præsumptiones iuridicas. Quod additur de veniis generalibus potiùs ostendit non esse alias de nouo concedendas; cùm sæpe delinquentibus post multas indulgentias parcendum non sit: quia huiusmodi peccantes inexcusabiles sint, vt ex Clement. VII. & Paulo III. in literis concessionis veniæ dictum est.

CAPVT XXII.

Non licet dare, accipere, vel offerre pecuniam, pro impetranda venia generali à Summo Pontifice.

1 CIrca compensationem pecuniariam faciẽdam tempore gratiæ dictum est suprà *cap.* 14. quia tamen pro impetratione veniæ non desunt, qui approbent oblationem pecuniæ, aliquas resolutiones trademus.

2 Accipere pecuniam à Iudæis pro relaxatione pœnarum & legum latarum contra ipsos in fauorem fidei, & Reipublicæ Catholicis Regibus semper fuit inuisum. Recaredus respuit magnam summam pecuniæ à Iudæis oblatam pro relaxatione decimi quinti decreti Concilij Toletani III. de Iudæis non habendis publicis officijs in Republica; quod factum Sanctus Gregorius Papa *epist.* 126. *lib.* 2. magnopere laudauit.

3 Frater Thomas de Turrecremata ex Ordine Prædica-

Prædicatorum, à sacris confessionibus Regum Catholicorum Ferdinandi & Elizabethæ, Inquisitor generalis Hispaniæ ipsis suasit, ne propter ingentem pecuniam remitterent Iudæis, id instantèr petentibus, bona confiscanda, cuius suasionibus ipsi acquieuerunt.

4 Philippus secundus Hispaniarum, primus Lusitaniæ Rex catholicus, & cognomento prudens, per legatum dissuadere tentauit Sebastianum Portugalliæ Regem volentem occasione infausti & exitialis profectus in Africam concedere descendentibus ex Iudæis, multis datis pecuniis, quòd per decennium eorum bona non confiscarentur. At ille auunculi sui suasionibus non acquiescens, concessit authoritate Gregorij XIII per Bullam expeditam 6. die Octobris anno 1579. Postea verò debellato Regis exercitu à Saracenis, successit in Regiam dignitatem Cardinalis Henricus eiusdem Regis patruus magnus, qui statim die 19. Decembris eiusdem anni annuente eodem Pontifice dictam concessionem reuocauit, dicens in diplomate reuocationis, quòd habito maturo consilio cum viris doctis conuenere omnes teneri ipsum ad talem reuocationem faciendam, quia bonum fidei id maximè postulabat.

5 Idem Rex Philippus Portugalliæ primus, postquam Regni huius coronam adeptus fuit, oblatis multis pecuniis à nouis Christianis, vt generalem veniam in eorum fauorem à Summo Pontifice impetraret, christianè ac prudenter spreuit, cùm tamen Franciæ & Angliæ bellis appeteretur. Omnes enim sciunt & Deum huiusmodi pecuniis quàm maximè offendi,

offendi, & nullum ex illis prosperum euentum fuisse sequutum.

6 Accipere, donare, promittere, vel pactum facere de danda pecunia, vel quauis alia re pro consequenda vel impetranda venia generali, seu ad id dare consilium, auxilium, vel fauorem, prohibitum est ab Ecclesia sub grauissimis pœnis & censuris. Bonifacius VIII. *in Extrauagan. 1. de senten. excom.* quam Gregorius XIII. innouauit, confirmauit, & ampliauit anno Domini 1574. qui generaliter loquuntur de omni concessione, & impetratione alicuius gratiæ, vel iustitiæ à Sede Apostolica, etiam effectu non secuto. Molin. socius *tom. 1. de iust. tractat. 2. disput. 92. §. Cùm omnes.* Nauarr. *de datis & acceptis notabili 30. numero 40.*

7 Non eximuntur Reges ab obseruantia harum Constitutionum quoad culpam, si (quod Deus auertat) contrarium fecerint, quamuis fortè pœnas in ipsis contentas non incurrant: cùm constitutiones generales Summorum Pontificum eos non comprehendant quoad pœnas, vt notant Canonistæ *in 40. reg. cancellariæ.* Quoniam legislator etiam supremus, qualis est Summus Pontifex, tenetur sub peccato ad obseruantiam suarum legum quoad vim directiuam, licèt non quantùm ad vim coërciuam, quando tales leges ordinant actus morales, & reponunt eos in specie alicuius virtutis, vt docent communiter Theologi, & iurisperiti. Sanctus Thom. *1. 2. quæst. 6. art. 5. ad 3. & lib. 3. polit. lect. 5. in fine.* Conrad. Caietan. & expositores *dict. artic. 5.* Soto *libr. 1. de institut. quæst. 6. artic. 7.* Victor. *Relection.*

ction. de potest. Papæ, & Concil. num. 7. Couarr. *in cap.* Alma mater 1. *partic.* §. 1. *numer.* 5. Nauarr. *in capit.* Si quando. *de rescriptionib.* Canonistæ *in cap.* Iustum est. *distinct.* 9. *& in capit.* Cùm omnes. *de constitut. Legistæ. in leg.* Principes. *ff. de legib.*

8 Pro consequenda venia generali antecedenter offerre aliquam pecuniæ quantitatem titulo gratitudinis est irridere leges Pontificias, & palliare contractum, quamuis nulla formalis conuentio exprimatur. Nam oblatio gratuita antecedens gratiam, pro cuius causa offertur, est manifestus contractus, do, vt facias, non verò oblatio gratuita, vt nemo non videt, estque sub colore obseruantiæ verborum legis, substantiam & intentionem illius contemnere, in quo vis legum consistit. *L.* Non dubium. *Cod. de legibus. l.* Contra. *ff. eodem tit.* lex enim, & legis mens idem sunt. Surd. *decis.* 43. *num.* 9. & sic legis mens potiùs, quàm verba attendenda est. *L.* Scire leges. *ff. de legib. l.* Non aliter. *ff. de legib.* 3. *l.* Nominis, & rei. §. verbum ex legibus. *ff. de verborum significat.* Surd. *decis.* 35. *num.* 14. Marcus Antonius Genuens. *in practic. Eccles. quæstio.* 144. *num.* 3.

9 Non iustificat oblationem pecuniæ pro consequenda venia generali dicere, quòd hoc sit causa compositionis, & transactionis pro bonis confiscandis. Tum quia falsò hoc asseritur, eò quòd non offertur huiusmodi pecunia, nisi vt Rex interponat suam authoritatem ad consequendam talem veniam. Tum etiam, quia Princeps secularis

ris tenetur exequi pœnam confiſcationis bonorum hæreticis & apoſtatis à iure impoſitam; *Cap.* Vergentis. *de hæret.* quæ pœna non reſpicit commodum fiſci regalis, ſed emendationem & punitionem criminum hæreſis, & Apoſtaſiæ, vnde non poteſt Princeps ſecularis cum dictis hæreticis contractum tranſactionis celebrare. Vide ſuprà *capit.* 14. *num.* 2.

†

QVÆSTIO

QVÆSTIO VNICA.

De testibus singularibus in causis Fidei.

PRæsens de testibus singularibus disputatio satis vulgaris est, celebris tamen ac difficilis reputatur; contendentibus multis, ijsque magni nominis Doctoribus, hæresim per singulares testes plenè probari; alijs, non minoris æstimationis authoribus per oppositum repugnantibus. Qui tamen in eo conueniunt, vt neutram partem tamquam improbabilem reiiciant, sed quòd vnam vel alteram absque nota, imò tutò & defendi & sequi in praxi liceat. Verùm cùm hoc ita sit, non desunt hac tempestate, qui, nullis de nouo adductis fundamentis, sed proterua contentione, ne dicam, importuna negotiatione, & iniqua fraude affirmantem huius quæstionis partem sine fundamento esse, nullo iure stabiliri; imò iuri & æquitati contrariam, falsamque & iniquam esse asserere, ac vociferari non verentur: & vt imperitos, ac vulgares homines in suam sententiam trahant, probabiles opiniones damnant, præscriptas consuetudines reprobant, leges

leges iustas blasphemant, & in iudices fidei æquissimos oblatrare non cessant. An autem hæc procedant ex zelo fidei, an ex perfidia, ex amore iustitiæ, vt integra conseruetur, an verò ex odio, vt corrumpatur, facilè quisque iudicabit. Nos ad quæstionis nodum soluendum accedamus.

SECTIO I.

Proponitur sententia negans testes singulares plenè probare.

1 QVid testes singulares probent tam in causis ciuilibus, quàm in criminalibus, copiosè, confuseque tractatur à iurisperitis, vt videre est apud eos, quos referunt Iul. Clar. *in praxi §. fin. quæst.* 53. Mascard. *de probat. tom. 1. concl. 52. num. 2. conc. 347. num. 56. concl. 379. num. 8. 12. & 14. concl. 406. num. 7. concl. 411. num. 29. concl. 423 num. 8. concl. 424. num. 68. concl. 448. num. 5. concl. 480. num. 5. & tom. 2. concl. 827. num. 9. concl. 856. concl. 948. num. 6. conc. 1204. num. 22. & 25. concl. 1221. num. 16. 17. & 19. & tom. 3. concl. 1255. num. 18. concl. 1424. num. 11. 12. & 13. concl. 1303. num. 2.* Farin. *de test. quæst.* 64. Nostræ intentionis non est, de testibus singularibus in quacumque materia disputare, sed solummodo in materia hæresis formalis.

2 Duæ sunt in hac re præcipuæ sententiæ, aliis relictis, quæ authores magni nominis & authoritatis habent patronos, qui absque aliis fundamentis eas adeò probabiles reddunt, vt non sine temeritate reprobari

probari possint. Ex iis quidam asserunt hæresim plene probatam non censeri per testes singulares, ita vt illorum testimoniis possit licitè imponi pœna ordinaria: inter quos numerantur Ioan. Andr. *in cap.* Officium. §. 1. *in princip. de hæret. lib. 6.* Iacobin. *in l.* Hoc carmen. §. *fin. num.* 18. *ff. de test. lib.* Nell. *de test. lib. num.* 213. *versic.* Ad probandum certum crimen hæresis. Alex. *consil.* 19. *num.* 22. *lib.* 4. *& cons.* 100. *num.* 6. *lib.* 1. Conrad. Brun *de hær. lib.* 4. *cap.* 9. Simanch. *de cathol. inst. tit.* 64. *num.* 62. Albert. *de agnosc. assert. cath. quæst.* 34. *num.* 6. *& seqq.* Rojas *de hæret. part.* 2. *assert.* 6. *& in singular. fidei singul.* 203. & alij non pauci quos referunt Mascard *d. concl.* 856 *&* Farin *d. quæst.* 64. *num.* 202. *& multis seqq. ac de hæresi quæst.* 188. §. 9. *num.* 152. Probatur hæc sententia.

3 Primò. Ex iure, vbi hæc pars negatiua videtur diffinita. *Cap.* Nihilominus. 4. *quæst.* 9. *ibi. Nec eorum voces tam quam plurium admittuntur, quos temporum quidem diuersitas simul interfuisse prohibuit. cap.* De parentela. 0. 2. 35. *quæst.* 6. vbi de testibus dicitur. *in quibus omnibus non debet aliqua varietas inueniri. cap.* Cùm dilectus. 32. *de elect.* vbi reijcitur probatio vt insufficiens: *eo quod singuli essent in suis testimonijs singulares. cap.* Bonæ memoriæ. 23. *eodem titulo.* ibi. *singuli tamen vestrum essent in suo testimonio singulares. cap.* Licèt causam. 9. *de probat.* in quo ex eadem causa probatio non admittitur: *ibi, & quidam alu fuerunt in dicto sui testimonij singulares, cap.* Licèt vniuersis. 23. *de test. lib.* vbi vnius testimonium non admittitur; *nulla*, inquit textus, *est tamen causa, quæ vnius testimonio (quamuis legitimo) terminetur.* Testis autem singularis vnus est. Ex quibus infertur, probationes iuridicas non fieri per testes

singulares, cuius regulæ nulla inuenitur exceptio in iure.

4 Secundò. Quò crimen est grauius, & defensiones, quæ reis conceduntur, magis limitatæ, eò maiores & vrgentiores probationes requiruntur: ne innocens ob defensionis defectum damnetur. *cap.* Vt officium. §. 1. *de hæret. lib.* 6. *cap.* Vbi periculum. *de elect. lib.* 6. sed in minoribus criminibus, vt homicidio, furto, & similibus testes singulares non probant, vt communiter tenent Doctores relati per Farinacium *dict. quæst.* 4. *num.* 57. ergo idem maiori cum ratione dicendum est in crimine hæresis, quod grauius est, & in quo reis nomina testium non publicantur.

5 Tertiò. Testimonium vnius non probat; vnde est axioma vulgare: Dictum vnius, dictum nullius. *cap.* Licèt vniuersis. *cap.* Veniens ad nos *cap.* In omni negotio. *de testib. l.* Iuris iurandi. *Cod. eodem tit.* latè Farinac. *de test. quæst.* 63. *cap.* 1. *num.* 1. & 7. quando autem etiam plures testes deponunt singulariter de diuersis criminibus vel actibus, respectu vniuscuiusque actus quisque testis singularis est; ergo nihil probant, licet infiniti multiplicentur.

6 Quartò. Non potest certo cognosci aliquem esse hæreticum, nisi euidenter probetur illum alicui speciei hæresis adhærere, neque enim dari potest hæresis in genere, quæ in aliqua specie determinata non contineatur: sicut probant Logici, & Metaphysici, & ex Iurisperitis Salzed. *in l.* Testium. *Cod. de testib.* Conrad. Brun. *lib.* 4. *de hæret. cap.* 9 quos refert & sequitur Simanch. *de catholi. institutionib. tit.* 64. *num.* 7. atqui euidens est testes singulares non probare

probare Titium, verbi gratia, certam aliquam hæresis speciem habere: non igitur probatur per eos illum esse hæreticum. Idem dicendum est de hæresi in specie, prout de specie loquuntur Metaphysici: cùm enim species non existat, nisi in inuiduo aliquo, (quod dari, testes singulares non conuincunt:) sic etiam dari certam aliquam hæresis speciem non probabunt.

7 Quintò. In causis criminalibus, ex multis probationibus imperfectis non conflatur vna probatio perfecta sufficiens ad pœnam ordinariam imponendam; quod maiori cum ratione obseruari debet in materia hæresis: *l.* Sancimus. §. Si quis autem. *Cod. de donat. l.* Vsuræ. *Cod. de vsur. l. vnica. Cod. qui numero tutelarum.* Simanch. *de cathol. instit. tit.* 51. *num.* 5. Peñ. *ad* 3. *part. Direct. Inquisitor. quæst.* 72. *comment.* 121. *vers.* Primum. Farin. *crimin. quæst.* 86. *num.* 72. *& sequenti, ac de hæresi quæst.* 187. §. 1. *num.* 7. qui alios refert; dubitari autem non potest vnumquemque testem singularem per se facere imperfectam probationem: ergo quantumcumque testes singulares multiplicentur, non efficient plenam & perfectam probationem sufficientem ad imponendam pœnam ordinariam.

8 Sextò. In criminibus, & maximè in hæresi probationes debent esse luce meridiana clariores. *L.* Sciant cuncti. *Cod. de probat. cap.* Sciant cuncti. 2. *quæst. vlt.* Menoch. *de arbitr. casu* 279. *num.* 2. *& casu* 499. *num.* 1. Mascard. *de probat. lib.* 1. *concl.* 459. *num.* 2. *& concl.* 496. *num.* 1. *& lib.* 2. *concl.* 1167. *num.* 3. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 50. *num.* 21. *& tit.* 51. *num.* 2. Decian. *crimin. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 20.

& 24. Farinac. *de reo conf. quæst.* 86. *num.* 6. Qui autem negare potest probationes per testes singulares, vbi testium nomina non publicantur, valde obscuras esse? Aliæ rationes multiplicantur pro hac sententia, quæ cum istis ferè concidunt.

SECTIO II.

Proponitur sententia contraria, & approbatur.

1 COntrariam sententiam, nimirum hæresim plenè per testes singulares probari, defendunt Butrig. *in l.* Ariani. Salicet. *in l.* Quicumque *Cod. de hæret.* Bald. *in l.* Actor. *Cod. de probat.* Anani. *in cap.* 1. *de hæret. num.* 7. *vers.* Vltimò scias. Alexand. *cons.* 141. *lib.* 1. & *cons.* 92. *lib.* 5. Clar. *in pract. quæst.* 53. *versic.* Dixi autem. Zanchin. *de hær. cap.* 16. *num.* 6. Viu. *in comment. opin. verbo* Testes singulares. Locat. *in opere iudic. verbo* Testis. *num.* 19. & alij, quos referunt Pen. 3. *part. Direct. Inquisit. ad quæst.* 72. *comment.* 121. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 856. Farin. *de test. quæst.* 64. *num.* 201. & *de hæresi quæst.* 188. §. 9. *num.* 193.

2 Vt propositæ sententiæ veritas eluceſcat, suppo nendum est primò singularitatū, ex quibus testes singulares constituuntur, tres esse gradus, ac similiter tria testium singulatium genera. Est nimirum singularitas obstatiua, adminiculatiua, & diuersificatiua: sunt & testes obstatiui, adminiculatiui, & diuersificatiui. De quibus Baldus *in cap.* Licèt causam.

num.

num. 11. *de probation. & in l.* Testium *Cod. de testib. num.* 9. *&* 14. *& in l.* De quibus. *num.* 37. *ff. de leg.* Albertinus *in repetition. cap.* 1. *de hæret. lib.* 6. *quæst.* 16. *num.* 38. Cranett. *de antiquit. temp. part.* 4. *num.* 157. Peñ. *dicto commem.* 121. Miranda *de ordin. iudic. quæst.* 23. *art.* 4. Roias *de hæret. part.* 2. *assert.* 6. *num.* 122. Farinac. *de testi. quæst.* 64. *à principio per multos numeros.*

3 Singularitas obstatiua, quæ testes obstatiuos constituit, ea est quæ facit repugnantiam, & contrarietatem in testium depositionibus, vt in testibus deponentibus contra Susannam, Daniel. *cap.* 13. Glossa *in cap.* Nihilominus 3. *quæst.* 9. quæ arguebatur de vnico adulterij actu, & vnus testis dicebat se vidisse illam sub schino, alius verò sub pino; & sic deponentes de eodem particulari actu, sibi inuicem repugnabant, assiguantes diuersum locum commissi delicti. In hoc sensu loquitur textus *in cap.* Ex tenore. *cap.* Cùm causam. *de testibus.* Potest etiam poni exemplum in omnibus illis casibus, in quibus secundùm ius testium dicta concordari non possunt.

4 Singularitas adminiculatiua, seu cumulatiua, quæ facit testes adminiculatiuos, inuenitur in dictis testium, in quibus non est repugnantia, vel contrarietas, per diuersa tamen media in eumdem finem tendunt, & vnus alterum coadiuuat: vt si vnus testis deponit de visu, alius de auditu: vnus de facto, alius de fama: & vniuersim, quotiescumque plures testes deponunt de actibus coniunctis, aut qui consistunt in successione: vt si vnus dicat audiuisse Titium dicentem se esse Lutheranum, alius vidisse illum Sanctorum imagines conculcantem, vel si vnus di-

cat se vidisse quemdam sacerdotem sacris indutum vestibus, Missæ sacrificium inchoantem, alter verò vidisse illum Missam terminantem.

5 Singularitas diuersificatiua, quæ testes diuersificatiuos constituit, datur quando testes deponentes de diuersis actibus inducunt diuersitatem in re, in effectu, & in substantia; ita tamen vt non sit repugnantia in eorum dictis: vt si vnus dicat de furto, alius de homicidio, alius de adulterio. Sunt quidem hæc diuersæ criminum species, quæ nihilominus in homine simul inueniri possunt. Sunt qui ponant exemplum, quando testes deponunt de diuersis actibus eiusdem criminis: vt si vnus dicat se vidisse Titium furantem in vno loco, alius in alio diuersis temporibus. Item, si deponant de aliqua re singulari pro diuersis locis, & temporibus: vt si Titius furetur vas aureum, & illud diuersis personis pro diuersis temporibus, & locis ostendat, fatendo se vas illud à tali loco surripuisse. Verùm huiusmodi exempla potius ad singularitatem cumulatiuam, quàm ad diuersificatiuam spectant: quia licèt ea de quibus deponunt, diuersa aliqua ex parte sint, vnum tamen alteri patrocinatur, & vnus testis facit alium in suo dicto probabiliorem. Hinc deducitur regula generalis, quòd illi testes dicantur verè, propriè & perfectè singulares, qui nullo modo vniri & concordari possunt; à contrario verò, illi in rigore singulares non sunt, qui vniri aliqua ratione, concordari & concurrere ad aliquid probandum valent.

6 Supponendum est secundò ex Aristot. *lib. 1. Ethyc. cap. 1. in principio, & cap. 7. circa finem,* & ex S. Thom.

Thom. *ibid. lect. 3. & 11.* hominem eruditum non quærere æqualem certitudinem in omni materia, sed eam tantùm, quæ proportionatur rei, de qua agitur; & in rebus moralibus, inquit Philosophus, non est quærenda ea certitudo, quæ in mathematicis exigitur; quia scientia moralis agit de rebus contingentibus, & quæ mutationibus subiiciuntur, mathematica verò de necessariis omnino: vnde in istis datur certitudo demonstratiua, non autem in illis. Ex quo infert S. Thomas 2.2. *quæst.* 70. *art.* 2. quem omnes sequuntur, ad iudicium humanum sufficere probabilem certitudinem, quæ vt in pluribus veritatem attingit, & sic in paucioribus a veritate deficiat: est autem probabile, quòd dictum multorum testium veritatem contineat. Hinc etiam patet certitudinem & veritatem, quæ per testes comparatur, intra limites solummodò fidei humanæ contineri: fundamentum enim testimonij est fides, *cap.* Forus. *de verborum signific.* Mascard. *tom. 3. de probat. concl.* 1362. *num.* 3. quæ nihil aliud est, quàm cognitio quædam obscura fundata in veritate dicentis, vt notat Suarius *de fide tract.* 1. *disp.* 1. *sect.* 1. *num.* 11. Cùm igitur probabile sit, quòd magis veritatem contineat dictum multorum, quàm dictum vnius, & reus sit vnus qui negat, quod multi testes asserunt; rationabiliter, inquit S. Thomas *dicto art.* 2. institutum est de iure diuino & humano, quòd dictò testium affirmantium stetur contra reum, qui negat.

7 His positis, sit prima conclusio. Testes, quorum singularitas est obstatiua, nihil probant, imò minus creditur pluribus quàm vni. In hac conclusione conueniunt Doctores pro vtraque parte citati,

Ratio est euidens, tum respectu illius quod testes affirmant, tum etiam personæ contra quam deponunt. Per ordinem ad rem nulla fide digni sunt testes, qui contraria & repugnantia affirmant, cum hæc nullo modo simul stare possint. Hinc est, quòd huiusmodi testes præsumuntur falsi, nec eis fides aliqua adhibetur, & minus creditur eis quando sunt plures: cùm plures tunc inuoluant contrarietates, & repugnantias. Per respectum ad reum contra quem deponunt, nulla ratione credendi sunt, quia secundùm iuris principia vnusquisque præsumitur bonus, quamdiu non probatur malus. *L.* Merito. *ff. pro socio. l.* Quoties. § Qui dolo *ff. de probat. cap. vnico de Scrutin. cap.* Dudum. *& cap. vltimo de præsumpt.* Diu. *in reg.* 65. *de reg. iuris lib.* 6. Duen. *reg.* 75. Mascard. *de probat. tom.* 1. *concl.* 222. *&* 223. *& tom.* 2. *concl.* 878. *&* 1003. *& alij.* Cùm igitur reus sit in possessione suæ famæ, non debet ab illa cadere, nec illam amittere propter dicta testium impossibilia proferentium: impossibile enim non habet rationem entis, nec veri.

8 Secunda conclusio. Testes deponentes cum singularitate adminiculatiua, seu cumulatiua, non faciunt regulariter plenam probationem; maiorem tamen vel minorem faciunt, pro qualitate actuum, & circunstantiarum secundùm quod magis vel minus coniunguntur cum eo delicto, quod principaliter probari intenditur. Hæc etiam conclusio communis est inter vtriusque opinionis Authores: neque enim negantes testes singulares plenè probare, eos omnino excludunt, quasi nihil probent, neque plenam probationem per eos fieri asserentes, id in omni euentu concedunt. Ratio conclusionis est, quoniam

proba-

probationes, quæ fiunt per huiusmodi testium depositiones, non semper sunt ita euidentes, vt ab intellectu iudicis omnem formidinem excludant: nam circunstantiæ, indicia, & coniecturæ, quæ ad probationem concurrunt, non semper eam habent coniunctionem cum delicto, quòd non possint ab eo separata inueniri, nec testibus semper plena fides adhibetur: quia tamen circunstantiæ, coniecturæ, & indicia aliquando taliter coniunguntur cum hæresi, quòd rarò sine ea inueniuntur, se inuicem coadiuuant; testes etiam de illis deponentibus sunt fide digni, deponuntque de prædictis, quæ in eumdem finem ordinantur, nec reputantur omnino singulares: efficitur, vt licet regulariter non plenè probent, suadent tamen magis vel minus pro qualitate eorum quæ affirmant. Dixi in conclusione, huiusmodi testes regulariter non probare; quia, vt infrà videbitur, sunt casus in quibus plenè & euidenter probant.

9 Tertia conclusio. Testes deponentes cum singularitate diuersificatiua simpliciter, ita vt dicant de actibus diuersorum criminum; sicut si vnus dicat de furto, alius de homicidio, & alius de adulterio: vel si deponant in materia fidei, testificentur de actibus diuersorum errorum: vt si vnus deponat de actu paganismi, alius de iudaismo, alius de lutheranismo, nihil probant in particulari, aut in communi magis, quàm probaret vnusquisque per se. De hac conclusione etiam existimo nullam esse controuersiam. Probatur conclusio, & primò quòd huiusmodi testes non probent crimen in particulari, res est manifesta; quia cum vnusquisque testis deponat de speciali crimine, diuerso ab alio de quo alius testis deponit, & quòd

cum illo in aliqua determinata criminum specie non vtitur: nihil magis probant, quàm quod testis vnus singularis probaret; quia in nulla determinata ratione vniuntur. Et in hoc sensu verum est quod dicunt Authores *sect. 1. in 3. argumento* relati, non magis probare mille testes, quam vnum. Imò potiùs dixerim minùs in hoc casu probare multos testes, quàm vnum: quia non facilè credi potest hominem vnum tot criminum speciebus deformari.

10 Quòd etiam non probent in genere, ostenditur ex eo, quoniam illa crimina diuersa, de quibus testes deponunt, non conueniunt in aliqua specie determinata criminis, vt patet: ergo non possunt vniri, & coniungi ad perfectam criminis probationem. Si quis contra hoc insurgat dicens, omnes illos actus quantumcumque in specie diuersos conuenire in ratione criminis, & eos, qui ad hæresim spectant, in ratione hæresis: ergo negandum non est per illos testes probari criminosum vel hæreticum. Respondetur facilè, conuenientiam illam posse dici metaphysicam, à qua non procedunt immediatè actus illi externi, de quibus testes deponunt; non verò esse conuenientiam in habitu, à quo actus eliciuntur, qui semper est alicuius determinatæ speciei delicti; & quia hæc non probatur per vnum actum, non datur probatio delicti hæresis in genere, neque criminis in communi; & sic semper testes manent in sua singularitate. Quomodo explicandi sint Doctores, qui dicunt hæresim probari in genere per testes singulares, infrà declarabitur.

11 Quarta conclusio. Testes deponentes de actibus particularibus alicuius determinatæ speciei hæresis,

resis, (qui ratò inueniuntur ab ea separati) vel de diuersis declarationibus eiusdem hæresis, plenè probant eum, de quo talia proferunt, esse hæreticum talis sectæ: dummodo testes tot sint in numero, tales in qualitate, & circunstantiæ concurrentes talis naturæ, quæ suppleant aliqualem singularitatem in ipsis repertam; cùm contestes omni ex parte non sint. Vt si Titius diuersis in locis, ac diuersis temporibus dicat coram multis se esse Lutheranum vel Iudæum, & vnusquisque deponat coram Inquisitore de huiusmodi declarationibus à Titio factis. Hanc conclusionem, præter Authores initio huius sectionis relatos defendunt Simanch. *de cathol. instit. tit. 64. num. 79. & 80.* Anton. Gomez. *lib. 3. variar. cap. 12. num. 12.* Comensis *in Lucerna Inquisitor. verbo* Testes. *num. 19. vers.* Dic, quòd si generaliter, publicéque pro rostris perlecta est in Vniuersitate Conimbricensi ab insignioribus & maioris nominis Doctoribus, qui à prima eius fundatione ad nostra vsque tempora in ea floruerunt: quam etiam in tractatu speciali manuscripto acerrimè defendit Petrus Barbosa. Nec existimo pro parte negatiua citatos Doctores, si attentè eorum scripta inspiciantur, ab ea dissentire. In hoc sensu practicatur in Inquisitionibus Lusitaniæ à prima earum fundatione anno 1536. Quæ etiam validissimis argumentis comprobatur.

12 Primò. Testes singulares deponentes de diuersis actibus alicuius determinatæ speciei delicti, in aliquibus criminibus ab hæresi distinctis, plenè probant, etiam ad impositionem pœnæ ordinariæ: vt in crimine læsæ Maiestatis humanæ. Marsil. *cons. 1. num. 21.* Aflict. *in cap. 1. §.* Et bona committentium. *col. 3. num.*

num. 29. in 23. speciali in tit. Quæ sunt regulæ in vsibus feudorum. Crotus *in tract. de testib: part. 7. num. 325. in 9. conclusione.* Foler. *in pract. crim. in verbo* Item quòd commisit crimen læsæ Maiestatis. *num. 3.* Mascard. *de probat. lib. 1. conclus. 462. num. 16. & 17.* Farinac. *de test. quæst. 64. num. 220. & 221.* In crimine sodomiæ *lib. 5.* Ordin. Regni Lusitaniæ, *tit. 13. §. 7.* vbi determinatur huius delicti plena probatio per duos testes singulares: in solicitatione ad actus inhonestos in sacramentali confessione. Gregorius XV. in Bulla quæ incipit: Vniuersi Dominici gregis. die 30. Augusti, anni Domini 1622. in 2. sui Pontificatus: ergo non est negandum testes hoc modo deponentes in crimine hæresis etiam plenè probare, cùm crimen hæresis occultum sit perniciosius, & grauius quocumque alio crimine: maximè, quia testes excedunt in numero & qualitate.

13 Secundò. Probatio quæ habetur per testes quantumcumque concordes, non excedit limites certitudinis fidei humanæ, vt probatum est, sed intra ipsos continetur: maior autem fides debetur dictis multorum testium singularium in loco, & tempore, concordantium in eadem hæresis specie, quàm duobus contestibus de eodem actu singulari: cùm igitur duobus contestibus secundùm omnium sententiam plena fides adhibeatur, quis iure negabit eamdem, imò & maiorem fidem adhibendam esse multorum testificationibus? Minor ostenditur, quoniam probabilius est posse duos conspirare contra aliquem, & concordare inter se circa circunstantias loci & temporis, quàm quòd plures conspirent concordando solummodo in specie delicti, cùm concordia inter

multos

multos difficilis sit, & maius delictum: quod non ita facile præsumendum est, quia minus delictum saltem regulariter præsumitur. *L.* Prætor. §. Docere. *ff. de vi bonorum raptorum.* Mascardus *de probat. tom. 3. concl.* 1418. *num.* 2. Farin. *in praxi part. 3. quæst.* 85. *num.* 26. *& part.* 4. *conf.* 61. *num.* 12. *& conf.* 62. *num.* 6. *& decis.* 56. *& ibi addit. & par.* 5. *quæst.* 126. *num.* 106.

14 Tertiò Certitudo quæ habetur per duos vel tres testes deponentes de eadem re contestes in loco & tempore, non excedit in infinitum certitudinem, quam faciunt plures testes singulares in loco & tempore, contestes tamen in eadem specie hæresis: licet enim singulares quantumcumque multiplicentur contestationem non faciant, (& sic in contestatione nulla sit proportio inter contestes, & singulares) non per hoc certitudo, quæ ex contestibus habetur, excedit in infinitum certitudinem comparatam per singulares in loco & tempore, contestes in specie delicti: cùm vtraque certitudo eiusdem sit speciei moralis; ergo negandum non est tot testes numero, & tales in qualitate multiplicari posse, vt adæquent, imò & excedant gradum certitudinis ex contestibus proueniente; sicut etiam in iure æquiparatur certitudo comparata per testes, certitudini prouenienti ex scriptura seu instrumento. *l.* In exercendis. *(od. de fide instrumen. cap.* Cùm Ioannes *eodem tit.* Cardinalis Tuscus *tom. 6. lit.* P. *concl.* 771. Mascardus *de probation. in proæmio quæst. 6. & tom. 2. concl.* 1095. *num.* 3. Morla *in emporio iuris par. 1. tit.* 11. *in prælud. num.* 4 cum tamen probationes sint specie diuersæ. Vnde Glossa *in d. l.* In exercendis. *in principio.* infert, quòd licet duo testes non reprobent publicum instrumentum, tres tamen

tamen vel quatuor reprobant, iuxta *l.* Cum precibus. *Cod. de probat. & d. cap.* Cùm Ioannes. Et in hoc casu habet locum regula illa vulgaris: *singula quæ non prosunt, multa collecta iuuant. L.* Spadonem. §. Qui iura *ff. de accusat. tutor. cap.* Causam. *de probat.* Surdus *consil.* 245. *num.* 31. *& consil.* 329. *num.* 20. Farinac. 4. *par. cons.* 39. *num.* 1.

15 Confirmatur, quoniam defectus qui aliquando inuenitur in duobus vel tribus contestibus, vt non plenè probent, quamuis aliàs sint contestes, suppletur ex aliis adiunctis, testibus videlicet vel circunstantiis, indiciis, aut præsumptionibus: ita vt cum illis probatio plena iudicetur, ergo defectus certitudinis resultantis ex testibus singularibus suppleri poterit ex numero & qualitate testium.

16 Quartò. Tempus & locus non sunt circunstantiæ necessariæ ad probandam hæresim. Simanch. *cathol. instit. tit.* 64. *num.* 80. quia hæresis consistit in actu intellectus & voluntatis, quorum actus loco & tempori non subiiciuntur: vnde est, quòd non multiplicatur hæresis ex multitudine declarationum eiusdem hæresis, nec ex diuturna perseuerantia in illa. Salicet. *in l.* Testium. *C. de test.* Brun. *lib.* 4. *de hæret. cap.* 19. Albertin. *de agnos. quæst* 34. *num.* 12. quos refert & sequitur Siman. *dict. tit.* 64. *num.* 79. Sequitur etiam quòd diuersitas in loco & tempore reperta in testibus singularibus deponentibus de eadem hæresis specie, non tollit eorum credulitatem, cùm in substantia conueniant. Præpos. *post* Archid. *in cap.* Nihilominus. *num.* 4. *vers.* Quod intellige verum. *& num.* 12. *ad medium vers* Aut principaliter. 2. *quæst.* 9. Moncad. *in addit. ad Crott. num.* 324. *lit* XX. Lanfred. *de test. num.* 90.

num. 90. *ante medium. versic.* Aut tempus vel locus non sunt de substantia. Cassialup. *in l.* Admonendi. *num.* 66. Petra *de fideicommiss. quæst.* 12. *num.* 499. *& seq.* quos refert & sequitur Farinac. *de test. quæst.* 64. *num.* 96. *&* 321. Confirmat hoc Simanch. *d. num.* 80. quia perinde facit hæreticus, qui variis in locis & temporibus eandem hæresim repetit, ac fur, qui id quod rapuit, & furatus est, singulis testibus ostendit variis temporibus, & locis: sicut igitur plenè probatur furtum per huiusmodi testes, cùm diuersitas loci, & temporis non sint in isto casu, de substantia furti, quod probari intenditur; sic etiam plenè probabitur hæresis, cùm locus & tempus non sint de substantia ipsius hæresis, quæ diuersis temporibus, & locis profertur.

17 Quintò. Arguit Simanch. *vbi suprà num.* 20. deducendo ad inconueniens: quia si testes singulares in proposito casu non probant, sequitur maximum absurdum, nimirum non posse hæresiarcham, qui in tota aliqua ciuitate, vel prouincia errores suos disseminat, plenè conuinci, & pœna ordinaria affici, si vnumquemque hominem illius ciuitatis, aut prouinciæ seorsim doceat, cum nullos tunc habeat testes contra se contestes; quod nullus sanæ mentis admitteret, cum tam notabili fidei & boni communis præiudicio. Præcluditur namque via ad conuincendos hæreticos, imò & dogmatizantes, cùm plenam probationem effugiant per solam variationem loci & temporis manifestationis delicti; ac ex mendacio, & malitia sua nequaquam homines commodum reportabunt contra omnes iuris, & æquitatis regulas. *L.* In fundo. *ff. de rei vendic. l.* Itaque fullo.

fullo. *ff. de furtis cap.* Cognocentes. *de constit. cap.* Sedes. *cap.* Plerumque. *de rescript. cap.* Intellexinius, *de iudic.*

18 Sextò. Absque controuersia est lege statui posse testes singulares cum his vel illis circunstantiis plenè probare, vt constat ex dictis in primo argumento pro hac sententia: verum etiam est legem non solùm superiorum decreto, sed etiam consuetudine præscripta constitui, & firmari, vt communiter resoluunt Theologi, ac iurisperiti, *cap.* Cùm dilectus. *de consuetudine. l.* Minimè. *l.* Si de interpretatione. *ff. de legibus.* S. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 3. *&* 2. 2. *quæst.* 79 *art.* 2. *ad* 2. *& quæst.* 100. *art.* 2. & omnes eius discipuli, & interpretes. Ex iurisperitis Tiraq. *de nobilit. cap.* 10. *num.* 9. Afflict. *decis.* 166. *num.* 9. *& decis.* 173. *num.* 3. Menoch. *cons.* 32. *num.* 44. Mascard. *de probat. tom.* 3. *concl.* 1415. *num.* 10. constat autem vsum probandi crimen hæresis per testes loco & tempore singulares, contestes tamen in specie hæresis determinata, plures in numero, & in qualitate considerabiles, obseruatum esse in Inquisitionibus Lusitaniæ ab Inquisitoribus doctis, & piis ab anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto ad hæc vsque tempora, videntibus & consentientibus Superioribus, imò & Summis Pontificibus. Nam ad Paulum III. qui Ioanni etiam III. Portugalliæ Regi Inquisitionis officium concessit, delatæ importunæ Iudæorum querelæ contra Inquisitores Lusitaniæ, admittentes ad probandum singulares testes, reiectæ sunt; ergo licitè, tamquam per legem, proceditur per testes singulares.

19 Confirmatur; quoniam communis vsus iudicum,

dicum, & consuetudo legitimo tempore obseruata sufficiunt ad iustificandum, faciuntque vt qui secundùm talem vsum & consuetudinem procedunt, iustè procedere censeantur, *argumento d.l.* Minime. Certum autem est vsum & consuetudinem iudicandi per testes singulares, ad modum explicatum, quæ apud Inquisitores Portugalliæ obseruantur, esse legitimè præscripta per nonaginta & quatuor annos: non igitur potest reprobari.

20 Septimò. Quando agitur de probatione loci generalis, vt quòd Titius fuit in hac ciuitate, si plures testes sufficientes in numero & qualitate dicant se vidisse illum in diuersis locis eiusdem ciuitatis, licèt sint singulares in loco & tempore, probant. Ruin. *in consil.* 35. *num.* 6. *lib* 4. Hyppolit. Rimin. *cons.* 7. *num.* 68. *lib.* 1. Petra *de fidei commiss. quæst.* 12. *num.* 540. 549. & 607. quos refert & sequitur Farinac. *d. quæst.* 64. *num.* 81. Probant etiam testes singulares quando probandum est illud, quod habet tractum successiuum: vt quòd sacerdos Missam celebrauit, & vnus testis dicat se vidisse illum ad altare accedentem sacris vestibus indutum, alius Missæ introitum incipientem, alius Epistolam, Euangelium alius recitantem, alius sacramentalia verba proferentem, sacramque Eucharistiam ostendentem populo, alius denique benedictionem dantem. Felin. *in cap.* Licet ex quadam. *col.* 4. *in fine vers.* Secundò limita. *de testibus.* Albertin. *in cap.* 1. *quæst.* 16. *num.* 8. *de hæret. in* 6. Ægid. *in tract. de testib. num.* 31. *ad finem vers.* Item in facto durabili. Mascard. *de probat lib.* 1. *concl.* 59. *num.* 17. & 18. Ant. Gom. *de delict. tom.* 3. *rubr. de probation. delicti num.* 12. *vers.* Item etiam intellige. Farin. *d. quæst.* 64. *num.* 92.

& 91. qui plures refert pro hac sententia. Ratio huius sententiæ fundamentalis est, quia licet nullus istorum testium diuisim probet plene Titium fuisse in quauis parte huius ciuitatis, nec etiam partes Missæ successiuas; cùm tamen conueniant in eo, quod probari principaliter intenditur, quod est quoddam totum particulare determinatum, sufficienter conuincunt. Sic similiter, imò maiori cum ratione, plures testes sufficientes in numero & qualitate deponentes Sempronium declarasse se esse hæreticum, determinatæque sectæ professorem, licèt in loco & tempore differant; cùm in eadem hæresis qualitate conueniant, non in communi, eò quòd talis non datur à parte rei, vt Metaphysici loquuntur, sed in particulari manifestata per varias declarationes, quæ virtute & implicitè tanquam proprij actus in ea continentur, probare debent Sempronium esse hæreticum.

21 Confirmatur. Habitus probatur per multos actus singulares, qui tamen talis habitus sint actus proprij, & per multos testes etiam singulares de huiusmodi actibus deponentes. Flores *lib. 3. variar. quæst. q. 22. num. 43. & 50.* Rationem huius innuit Gutier. *pract. quæst. lib. 3. q. 12. num. 10. & 19.* videlicet quia huiusmodi actus procedunt ab eodem principio in quo conueniunt, & in quo virtute vniuntur, & continentur; & hic testes respectu habitus, qui probare intenditur, non sunt proprie singulares. Hoc ipsum absque differentia inuenitur in hæresi manifestata per verba, quibus hæreticus se hæreticum esse declarat. Nam hæresis est quidam habitus particularis, seu potius dispositio per modum habitus, error nimirum in intellectu cum assensu voluntatis; ex quo tamquam à

vero

vero & proprio principio ortum habent declarationes particulares ab hæretico factæ, in quo & conueniunt, & vniuntur. Testes igitur de singularibus declarationibus deponentes, non possunt, propriè & in rigore loquendo, dici singulares; cùm, licèt de actibus singularibus deponant, tales actus non multiplicent hæresim, quæ principaliter probatur: est enim, quamuis multoties declarata, eadem numero hæresis, & idem error intellectus, quantumcumque per plures declarationes augeatur culpa Theologica.

22 Octauò. Opinio est probabilis, quòd indubitata indicia maximè in crimínibus occultis, & difficilis probationis, faciunt probationem plenam. *L. fin. vbi* Barthol. *in 2 oppos.* Baldus *num. 2. Cod. de probat.* Abb. *in cap.* Tertio loco. *num. 9 & seq. de probat.* Clarus § *fin. quæst. 20. versic.* Ad condemnandum verò. Mascard. *de probat. lib. 3. concl. 1221. num. 34.* Petrus Barb. *in l. 2 par. 1. num. 89. ff. sóluto matrim.* Quæ doctrina intelligenda est, quando indicia taliter iudicis animum conuincunt, vt actu non dubitet ita contigisse illud, de quo agitur, licèt credat non ita hoc esse certum, probationemque adeò necessariam, quin possibile sit aliter esse posse: quæ tamen dubitatio speculatiua potiùs dicenda est, quàm practica; quam iudex, inquit Barbosa, minimè curare debet. Hæc opinio in causis criminalibus communi praxi huius Regni stabilitur. Certum autem est hæresis crimen occultum esse, & difficilis probationis, maximè in hoc Lusitaniæ Regno, vbi Iudæi cum maxima cautela procedunt, propter vigilantiam ministrorum Fidei. Certum etiam videtur magnum testium numerum, præsertim qui consanguinitate, & affinitate coniuncti sunt ipsis

reis, si deponant de multis declarationibus in eadem hæresis specie, quamuis loco, & tempore differant, facere indicium indubitatum, & vehementissimum: maximè cùm experientia doceat rere nunquam huiusmodi probationes falsas fuisse repertas: negari igitur non potest per tales probationes iustè procedi ad pœnæ ordinariæ impositionem, quamuis admittamus, contra illud quod probatum est, has probationes solummodo facere indicium.

23 Confirmatur. Quoniam perfecta probatio nihil aliud est, quàm ductio animi iudicis ad perfectè credendum verum esse illud, quod proponitur. *L.* Quingenta. *ff. de probationib.* Bartholus *in l.* Admonendi. *num.* 15. *de iureiurand.* Paul. *consil.* 169. *num.* 4. *lib.* 2. Aymon. *consil.* 73. *num.* 20. quos refert & sequitur Barbos. *loco citato num.* 87. *in fine.* Patetque ex tali probatione plurium testium cum qualitate, licèt singulares sint loco & tempore, non posse iudicem prudenter dubitare de veritate, imò debere credere moraliter verum esse illud, quod tot testes affirmant.

24 Ex ijs facilè intelligi potest, quam probationem faciant in aliis criminibus plures testes singulares deponentes de eadem criminis specie, vbi lex expressa non inuenitur. Nobis satis est, dixisse de huiusmodi probatione in crimine hæresis, quod solum tradere proposuimus.

SECTIO

SECTIO III.

Respondetur argumentis partis negatiuæ.

1 AD argumenta partis negatiuæ in prima sectione adducta, non est difficilis responsio. Primum procedit ex variis iuris locis, nullum tamen concludit contra nostram sententiam. Iura enim citata absolutè loquuntur de testibus singularibus, nec declarant, an doctrina ibi data intelligatur de quacumque testium singularium specie, & qualitate, an de aliqua determinata. Quod autem videtur certum, est, non loqui de omnibus omnino testibus singularibus; tum quia, vt suprà vidimus, in multis casibus admittitur probatio per singulares testes, quod non reputatur contra ius: tum etiam, quia iura citata eodem tenore verborum, quo contradicunt testibus singularibus, negant similiter eos probare; non possunt autem explicari, quod excludant omnem omnino probationem, cùm certum sit in vtraque opinione testes singulares singularitate adminiculatiua facere aliquando præsumptionem; ergo, sicut non intelliguntur excludere omnem probationem, sic non debent intelligi reprobare omnem singularitatis speciem. Sicut igitur absque iuris offensione omnes Doctores admittunt prædicta iura restringi ad plenam & perfectam probationem, ita tamen vt probatio per testes singulares non omnino reiiciatur; & hac ratione ijdem Doctores restringunt illud, quod ibi absolutè profertur: sic non erit contra ius dicere, quòd etiam restringenda sint iura citata ad certam

vel certas ſpecies ſingularitatis : cùm vtrobique eadem ratio ſit.

2 Ad argumentum deſumptum ex cap. *Nihilominus.* dicendum eſt, loqui de teſtibus falsò & per calumniam deponentibus. Et quamuis ibi dicatur non eſſe admittendas eorum voces, quos temporum diuerſitas ſimul interfuiſſe prohibuit,& videatur huiuſmodi propoſitio abſoluta, attamen accipi non poteſt tamquam regula generalis in omni caſu, vt patet ex dictis. Accedit, quia Gloſſa *ibi verbo* Simul, aſſerit regulam textus non teneri in ijs,quæ habent tractum ſucceſſiuum:vnde fortè loquitur in caſu, in quo ſunt duo teſtes ſolummodo, quos non probare certum eſt:nam cùm textus loquatur de teſtibus falſis,(vt malum de paucioribus præſumamus) dicendum eſt de duobus tantum ſermonem facere, eò quòd ſupponat eſſe plures quàm vnum. Addo,non declarari eo loco ſuper qua materia teſtes reprobatos deponant: poteſt enim eſſe crimen in indiuiduo, ad cuius probationem requiruntur teſtes tempore & loco concordes, diſcordantes nihil probant, vt patet in caſu Suſannæ. Tandem non conſtat in ea textus an tempus & locus eſſent de ſubſtantia negotij. Ex quibus patet nihil ex illo loco colligi contra ea,quæ à nobis diffinita ſunt.

3 Caput *De parentela.* ſolum probat teſtes non debere eſſe varios, & contrarios, quales erant illi,de quibus ibi ſermo eſt, inter quos magna diſcordia & varietas reperiebatur. Ex quo nihil ſequitur contra noſtram reſolutionem: nam in noſtro caſu nulla eſt varietas vel contradictio, quamuis non ſit omnimoda conuenientia ; hoc tamen in quo aliqualiter differunt,

ferunt, de substantia negotij non est, & secundùm omnium sententiam, varietas, imò & contrarietas in accidentalibus non tollit contestationem ad plenè probandum necessariam.

4 Caput *Cum dilectus.* loquitur de discordia diuersificatiua, testésque, de quibus ibi, deponebant in causa propria. Vnde manifestè patet, quòd licèt sit valde consonum iuri, testes singulares non facere plenam probationem, nullibi tamen in iure id diffinitum est. Qui ergo affirmat testes singulares in aliquo casu particulari plenè probare, nihil asserit contra ius: imò leges, & iura citata, quæ imponunt pœnam ordinariam ex probatione facta per testes singulares, quæ in confirmationem nostræ sententiæ adduximus, apertè innuunt non posse vniuersaliter intelligi ea iura, quæ contra testes singulares loqui videntur: sed solummodo explicant confusionem in ipsomet iure repertam. Nec dicenda sunt correctoria iuris communis, cùm in eo non detur regula generalis, quæ omnes testes singulares comprehendat.

5 Caput *Bonæ memoriæ.* nihil etiam concludit. Nam cùm delatum sit ad Summum Pontificem, Episcopum Vuormacienſem, & eius fautores citatos non fuisse, hanc rationem Summus Pontifex non admittit, eò quòd negatiua directè non probatur: quamuis enim quilibet de se possit asserere, quòd ad eum citatio minimè peruenisset, quilibet tamen esset in suo testimonio singularis, quæ singularitas, re bene inspecta, diuersificatiua est, nec testes in aliquo actu particulari conueniunt. Vltra quod vnusquisque negatiuè deponit in causa propria contra l. Nulius. *ff. de testib.* & sic ait Glossa *in d. cap.* Bonæ memoriæ.

verbo Singulares, quod quilibet istorum de se non probat; vnde nec de aliis probare potest, cùm ei non constet citationem ad alios non peruenisse. Ex quo patet, ex isto textu non posse sumi regulam generalem contra eos testes singulares, quorum probationes admittimus.

6 Ad caput *Licèt causam*. dicendum est, ibi non explicari qualitatem singularitatis testium, qui ibi reprobantur. Vnde regula quæ ex hoc textu desumitur, valde dubia est, cum inter testes, de quibus ibi agitur, magna sit contrarietas.

7 Caput *Licet vniuersis*. solùm probat non sufficere ad plenam probationem minus quàm duos testes, vnúmque non probare, de contestatione verò non loquitur: licèt videatur eam supponere, cùm tres singulares non probent regulariter in omni causa. Sed nec de huiusmodi suppositione certò constat, atque adeò nec potest inde sumi regula generalis: quia cùm textus non declaret qualitatem causæ in qua non admittit probationem illam per testes singulares, non constat, quænam contestatio requiratur in testibus.

8 Ad secundum argumentum dicendum est, tunc esse necessariam maiorem probationem in maiori crimine, ne innocens propter limitatam defensionem damnetur, quando dicta talis sunt qualitatis, quòd æquali facilitate probari possunt: tunc enim maior probatio exigitur in maiori delicto in fauorem rei, ne habeatur pro conuicto de maiori crimine sine maiori & vrgentiore probatione, contra regulam communem, quòd minus malum præsumendum est. *L.* Prætor. §. Docere. *ff. vi bonorum raptor.*

Mas-

Mascardus *de probat. tom. 3. concl. 1428.* Farin. *in praxi quæst. 85 num. 26. & conf. 61. num. 12. & conf. 62. num. 6.* Tuscus *tom. 2. lit. D. concl. 165.* In crimine verò occulto & difficilis probationis, quamuis grauius sit, non requiritur tam vrgens & manifesta probatio, sicut in delicto publico, & quod facilè potest probari, vt est communis Doctorum sententia; certum autem est, hæresim crimen esse occultum, & difficilis probationis.

9 Addo, magnum esse discrimen inter ea delicta, quæ complete perpetrantur per intellectum, & voluntatem, qualis est hæresis, & ea crimina, quæ vltra voluntatis assensum transeunt ad actus externos, vt furtum, homicidium, & similia: nam illa non multiplicantur ex multis declarationibus, iuridicè loquendo, quamuis per multas declarationes multiplicetur culpa Theologica; hæc verò ad multiplicationem actuum externorum multiplicantur, & iuridicè puniuntur tamquam plura delicta, & quia delicta non præsumuntur, Mascard. *de probat. tom. 1. concl. 495. num. 1.* Flamin. *de resignat. tom. 2. lib. 12. quæst. 1. num. 72.* *Sess. decis. 114. num. 25. & decis. 128. num. 4.* vniuscuiusque delicti in particulari requiruntur sufficientes probationes, quæ non dantur, si ad probandum vnumquodque crimen, vnus tantùm testis concurrat. Vnde non probant Titium esse homicidam multi testes, quorum vnus deponit de vno homicidio vno loco & tempore facto, alius de alio; quia homicidia sunt plura, & vniuscuiusque vnus tantùm testis. Hoc non ita in hæresi contingit: nam illud quod probari intenditur, est actus internus, cum hæresis in intellectu & voluntate complcatur: quæ, licèt per

actum externum manifestetur, non tamen per multiplicationem illius multiplicatur, sed est vna tantùm hæresis per multos actus declarata, & hæc sola probanda est, non verò declarationes ipsæ particulares, quæ in ordine ad hæresim ipsam non censentur plura delicta distincta; nec diuersa pœna per plures declarationes, quàm per vnam tantùm hæretico imponitur, spectato solummodo hæresis delicto; licèt grauior pœna imponenda sit ei, qui pluribus hæresim suam manifestauit, ob maius nocumẽtum illatum, vel propter diuturnam in hæresi durationem: sicut etiam contingit respectu illius, qui in quocumque alio delicto perseuerat. Hyppol. *in l.* 1. *num.* 47. *cum seq. C. de siccar.* Perez *tit.* 1. *lib.* 5. *Ordinamenti pag.* 49. Cassan. *in consuet Burgund. rub* 1. §. 5. Farin. *conf.* 30. *num.* 67. Accedit, quòd si in aliis delictis sufficiunt testes singulares concordes in specie vnius delicti, sicut suprà diximus, ad faciendam vehementem aut violentam præsumptionem; quid mirum, si idem in probatione hæresis concedatur? Opinio autem est communiter recepta in praxi in hoc Regno, hanc sufficere probationem ad pœnam ordinariam, vt suprà diximus.

10 Ad tertium concedimus, dictum vnius testis non facere plenam probationem: quando autem plures testes in eadem hæresis specie conueniunt, & solùm differunt in loco & tempore; licèt vnusquisque dicat de diuersis actibus particularibus, negandum non est inuicem se iuuare: verisimilius enim est verius dicere testem illum, cum quo multi sic conueniunt, quàm ille, qui cum nullo alio concordat. Cum igitur testes sint omnino singulares, non plus probant

probant infiniti, quàm vnus, cùm in dictis suis nullo modo se iuuent; imò sæpe minoris sunt fidei, eò quòd credibile non sit, in vno homine tot delicta inueniri.

11 Ad quartum vt respondeamus, sciendum est, quando multi Doctores dicunt testes singulares probare hæresim in genere, non loqui de genere logico vel metaphysico, quod prædicatur de pluribus differentibus specie; & cùm etiam affirmant probari hæresim in specie, similiter non loqui de specie logica, quæ affirmatur de pluribus solo numero differentibus: nam huiusmodi genera & species sunt naturæ communes, quæ in sola abstractione intellectus inueniuntur, nec sunt gradus à parte rei distincti. Sed loquuntur de genere & specie, provt sunt quoddam totum continens in se partes actuales, vel potentiales; in quo sensu species dicitur pars respectu generis. Inst. *de iure naturali.* §. Constat. *vers.* Plebs autem. *l.* 1. *ff. de liber. agnosc.* & cùm dicunt, quòd probatur certa species hæresis, intelligendi sunt de hæresi particulari: idem enim est in hoc casu species, ac singulare & indiuiduum.

12 Sciendum etiam est hæresim, quæ probari intenditur in Titio, esse errorem in intellectu cum assensu voluntatis, qui generat dispositionem, & qualitatem, & improprie vocari potest habitus; quæ licèt sit vna numero qualitas, virtute continet multos actus ad eamdem hæresim spectantes, qui in virtute talis habitus ab hæretico producuntur, quibus data occasione se esse hæreticum declarat & manifestat. Quamuis autem hæreticus hæresim suam externè non declaret, non proinde desinit esse hæreticus,

habet

habétque hæresim in habitu; qui cùm sit internus, dignoscitur per declarationem, qua hæreticus errorem cui adhæret, manifestat, & in actus externos proprios ipsius hæresis prorumpit.

13 Hoc posito respondetur, argumentum procedere ex falso præsuppositio fundamento, nimirum in nostro casu probari hæresim in communi, cùm tamen ea quæ probari intenditur, particularis sit & indiuidua. Quamuis igitur nulla huius hæresis declaratio externa probetur, cum vniuscuiusque declarationis vnus tantùm detur testis, non proinde hæresis probatio infringitur, cùm illud quod probari intenditur, & per plures declarationes fit manifestum, sit, quòd Titius verbi gratia est Lutheranus, vel Iudæus, in quo omnes testes conueniunt. Hæc probatio similis est illi, quæ datur per testes deponentes Sempronium fuisse Romæ, quando vnus deponit se vidisse illum in tali parte eiusdem ciuitatis, tali etiam tempore; alius verò in alia parte, alio tempore, & sic plures alij. Licèt enim huiusmodi testes non conueniant in probatione alicuius particularis loci, conueniunt, & reputantur contestes respectu loci communis nimirum Romæ: sic similiter testes deponentes de diuersis declarationibus eiusdem hæresis, conueniunt in deponendo de eadem hæresi, quæ licèt sit particularis habitus, seu dispositio, virtute tamen omnes illas declarationes in se continet.

14 Aduertendum autem est, esse discrimen inter testes deponentes de actibus singularibus, ex quibus per consequentiam infertur Titium esse hæreticum, & eos qui dicunt se audiuisse Titium dicentem se hæreticum esse. Testes enim prioris generis probant

probant hæresim quasi indirectè, posterioris verò directè. Nam illi loquuntur de actu, qui est quoddam antecedens, ex quo per consequentiam infertur Titium esse hæreticum: quæ consequentia aliquando est magis, aliquando minùs probabilis pro qualitate materiæ: hi verò, qui deponunt de declaratione hæresis, directè ostendunt Titium esse hæreticum, non per consequentiam, sed per declarationem, qua ipse hæresim suam manifestauit; sicut ille, qui deponit se vidisse Sempronium occidentem hominem; cùm verba sint signa conceptus, & media de se ostensiua actus interni, vt docet Aristoteles *lib. 1 Periher. cap. 1.* & cum eo omnes Doctores. Ad probandum igitur aliquid per consequentiam, prærequiritur clara & manifesta probatio antecedentis; ad probandum verò rem in se ipsa, nihil præsupponitur probatum, sed sufficit, quòd testes deponant de re illa, quæ probari intenditur; vt contingit in nostro casu, in quo plures testes deponunt de diuersis declarationibus eiusdem hæresis.

15 Ad quintum respondetur, doctrinam illam de non coniungendis imperfectis probationibus ad vnam probationem perfectam in criminalibus, non esse veram, quando concurrunt multæ probationes imperfectæ eiusdem rationis, qualitatis & substantiæ; cùm hæc necessariò vniantur in vnam probationem perfectam, & plenam. Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 39. num. 3 & 4.* & in nostro casu testes deponentes de particularibus declarationibus, sunt eiusdem qualitatis, formæ & substantiæ. Vnde nullum est inconueniens huiusmodi testes vniri in vnam probationem plenam, & perfectam. Accedit, quòd vnusquisque

quisque testis (cùm deponat de declaratione, quæ æquiualet testimonio deponentis de visu, vt dictum est) censetur perfecta probatio in suo genere; & de huiusmodi testibus dubium non est contingi, ac plenè probare. Mitto alias eiusdem regulæ exceptiones, quæ videri possunt apud Menoch. *d. quæst.* 39. & 40.

16 Ex his patet, quomodo conciliantur duæ illæ regulæ, quæ videntur contrariæ, videlicet, quæ non prosunt singula, nec multa iuuant. Glossa *in l.* Si tres tutelas. *Cod. qui numero tutelar. se excusant. verbo* Non proficiunt *l.* Si idem. *ff. de iurisdict. omnium iudic. l.* Vsuræ. *Cod. de vsuris. l.* Sancimus. §. Si quis autem. *Cod. de donatio.* & alia singula quæ non prosunt, multa collecta iuuant. *l.* Spadonem. §. Qui iura. *ff. de excusat. tutor. l.* Rationes. & *l.* Instrumenta. *Cod. de probat. l.* Stipulatus. *in princip. ff. de vsuris.* Tuscus *tom.* 7. *lit.* S. *concl.* 276. Farin. *in praxi part.* 4. *conf.* 39. *num.* 1. Prima regula intelligitur, quando singula vitiosa sunt, & genere suo imperfecta: secunda verò, quando singula genere suo perfecta inueniuntur. §. Ex eo. *Inst. quibus modis test. am. infirm.* Menoch. *de præsump. lib.* 1 *d. quæst.* 39. *nu.* 6.

17 Ad sextum dicendum est in materia morali, & occulta, ac difficilis probationis, claram, ac manifestam probationem iudicari illam, quæ resultat ex magno testium numero deponentium de diuersis eiusdem hæresis declarationibus, vt latè probatum est.

FINIS.

INDEX

INDEX PER MAIORA EORVM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

l. Designat librum, c. caput, n. numerum Aphorismorum, q. quæstionem in fine positam.

A.

Abiuratio. lib. 2. à cap. 40. vsque ad 44.
Absentes. l. 2. c. 49.
Absoluere, & Absolutio. libr. 2. cap. 37. & libr. 3. cap. 4.
Accusare, & accusatio. l. 2. c. 2.
Adiuratio superstitiosa. l. 1. c. 55.
Aduentitium bonum. lib. 3. cap. 10. num. 2. 3. & à 10. vsque ad 13.
Aduocatus. l. 2. c. 50.
Acromantia. l. 1. c. 45.

Ætas.

Ætas.libro 2.capite 7.numero 12. & lib.3.capite 32. à num.8.
Alienatio bonorum.l.3.c.15.& 16.
Amicitia & amor.l.1.c.23.n.7.8.9.& 18.& l.3.c.36. num.6.
Annuli necromantici.l.1.c.48.n.7.
Antropomantia.l.1.c.56.n.2.
Apostasia,& apostata.l.1.c.8.à n.10.
Apparitiones.l.1.c.39.à n.4.
Appellatio.l.2.c.35.
Arbitrium.l.3.c.30.à n.7.
Arithmantia, seu arithmomantia.libro 1.capite 56. num.9.
Artis peritia. libro 3. capite 36. numero 10.& sequenti.
Aruspicium.l.1.c.47.
Astrologia iudiciaria.l.1.c.48.
Augurium,seu auigerium.l.1.c 49.
Auspicium.l.1.c.49.
Axinomantia.l.1.c.56.n.13.

B.

Baptizatus & Baptismus.libro 1.capite 30.& lib. 4.cap.6.
Beneficiis Ecclesiasticis quando filij hæreticorum priuantur l.3.c.23.
Bigamus.l.1.c.35.
Blasphemia.libro 1.capite 19.& libro 2.capite 42.à num.14.
Bona hæreticorum. vide confiscatio.
Boronomantia.l.1.c.56.n.11.

Captro-

INDEX,

C.

CAptromantia, seu capnomantia. libro 1. capite 56 num. 5.

Carceratio, & carceratus, l. 2. c. 26. & l. 3. c. 8. & c. 29. n. 3. & l. 4. c. 9.

Castrensia bona & quasi castrensia. libro 3. capite 10. num. 1. & 7.

Ceromantia. l. 1. c. 56. n. 7.

Certitudo. q. sect. 2. n. 6.

Chiromantia. l. 1. c. 51.

Citatio. l. 2. c. 27.

Clidomantia. l. 2. c. 56. n. 16.

Communicans cum infidelibus. l. 1. c. 36.

Confessiones audiens qui non est sacerdos. libro 1. cap. 33.

Confessio iudicialis. libro secundo, cap. 20.

Confessio extraiudicialis. cap. 21.

Confessio facta ex metu & in tortura. ibidem, & capit. 20. num. 23.

Confessio facta tempore gratiæ. l. 4. c. 13.

Confessarius solicitans in confessione ad actus inhonestos. l. 1. c. 34.

Confiscatio, & bona confiscata. l. 2. c. 45. n. 13. & l. 3. à c. 9. vsque ad 25.

Confrontatio testium. l. 2. c. 17. n. 13.

Consuetudo. libro tertio, cap. trigesimo quarto, & q. sect. 2. n. 19.

Contumaces. l. 2. c. 49.

Conuersus ad fidem excusatur à pœna. libr. 3. cap 36. num. 13.

Conuictus hæreticus. libro secundo, cap. quadragesimo octauo.
Correctio fraterna. libro 1. capite 34. numero 56. & l. 2. c. 4. n. 10.
Coscinomantia. l. 1. c. 56. n. 15.
Credere quæ teneantur fideles. libro primo capite sexto.
Credentes hæreticorum. libro primo. cap. 22. & li. 3. cap. 2.
Credulitas. l. 3. c. 32. n. 4. & 5.
Crimen læsæ maiestatis diuinæ & humanæ. q. sect. 2. num. 12.
Culpa. l. 3. c. 31. à n. 6.
Curator. l. 2. c. 32.

D.

Debita ab hæretico quatenus soluenda sunt à fisco. l. 3. c. 16. à n. 19.
Decrepita ætas libro 3. capite 32. n. 15. & 17.
Defectus in testibus potest suppleri. quæst. sectione 2. num. 15.
Defensiones in causis fidei. l. 2. c. 29.
Defensores hæreticorum. libro 1. capite 24. & lib. 3. cap. 3.
Defunctus. libro secundo capite 50. & libro 3. cap. 2. num. 11.
Delicta & delinquens l. 3. c. 30. à n. 18. & c. 36. n. 4. & 5. & q sect. 2. n. 3. & sect. 3. n. 8. & 9.
Denunciatio. l. 2. c. 4.
Diffamatus de hæresi. l. 1. c. 26.

Diminutus.libro 1.cap.16.à num.4.& lib.2.cap. 48.à n.11.& l.4.c.8.n.4.
Diſpoſitio,& diſpoſitum.l.4.c.9.n.7.c.19.n.9.
Diſputantes de fide.l.1. c.29.
Diſpenſare, & diſpenſatio.lib.1. cap. 59. num. 53. & 54.& l.3.c.5.n.7.& c.8.n.3.& c.37.
Diſſimulans fidem per metum.l.1.c.18.
Diuinatio.lib.1.à cap.38. vſque ad 58.cum pacto explicito à cap. 39.vſque ad 47.& c.56.ſine pacto explicito à c.48.vſque ad 55.
Dogmatiſta.l.1.c.9.& l.4.c.10.
Dolus.l.3.c.30.n.22.c.31.& c.32.n.1.
Domus vbi hæretici conueniunt. l.3.c.18.
Dormiens quando delinquit. l.1.cap.59.num.5.& l.3.c.36.n.4.& 5.
Dos.l.3.c.11.n.1.
Dubius in fide.l.1.c.11.

E.

EBrietas.l.3.c.33.n.1.& 2.
Eccleſiæ immunitas.l.2.c.26.à n.27.
Emphyteuſis.l.3.c.12.à n.29.
Empſalmi.l.1.c.56.n.25.
Epiſcoporum iuriſdictio in cauſis fidei.l.1.c.2.eorum modus procedendi.c.3.
Errans in fide per ignorantiam. l.1.c.12.
Eſculenta.l.3.c.28.n.12.
Examen teſtium l.2.c.17.& 18.
Exceptiones.l..c.324.
Excommunicatio.l.3.c.2.
Excommunicationis abſolutio. l.3.c.4.

Excommunicatus persistens in excommunicatione per annum.l.1.c.27.
Expensæ.l.3.c.28.à n.9.

F.

FAlsus testis.libro 2.capite 8.
eius pœna.l.3.c.27.n.22.
Famæ priuatio.l.3.c.7.
Fautores hæreticorum.l.1.c.25.& l.3.c.3.
Fides.l.1.c.6. qua ratione violetur. c.7. humana quid sit.q.sect.2.n.6.
Filij hæreticorum.l.3.c.22.23.& 24.
Filius præsentans patrem.l.3.c.36.n.15.
Flagrans delictum.l.2.c.23.n.30.
Fraus l.3.c.31.n.4.& l.3.c.15.n.1.
Fructus à tertio possessore percepti.l.3.c.17.
Fuga & fugitiui.lib.2.cap.26.à num. 32.& c.49.& l.3. c.29.à n.4.
Furiosus.libro 2.capite 13.num.22.& 23.& lib.3.c. 33.à n.3.

G.

GRatia. vide Tempus gratiæ.
Gastromantia.l.1.c.56.n.4.
Geomantia dæmoniaca.l.1.c.43.
Geomantia astronomica.c.52.
Graue,& grauissimum delictum. libro 3. capite 30.à num.18.

H.

HAbitus pœnitentiæ.l.2.c.44.n.11.
Hæresiarcha. libro 1.capite 9. libr.2.cap.44.nu. 3.& l.4.c.10.
Hæresis l.1.c.8.prolata non ex intentione ca.13. non multiplicatur ex multis declarationibus. q. sectio. 2.num.16.in genere quid sit.q.sect.1.n.6. & sect.3. num.11.
Hæreticus.l.1.c.8.
Hæreticus internus & externus.c. 15. affirmatiuus & negatiuus.c. 16.& l. 2.c. 48. qui inter Catholicos dat scandalum veniens ad commerciandum. libr. 1.c.31.
Hæreticus impœnitens.l.2.c.46.47.& 48.à nu. 1.occultus.l.4.c.13.n.7.
Hæreticum se ostendens per vim.l.1.c.17.& 18.
Hæreticorum credentes. l.1.c.22. receptatores.c.23. defensores.c.24.fautores.c.25.
Hæredem instituens hæreticum.l.3.c.27.à n.23.
Hæres quatenus tenetur ad pœnitentiam illius, in cuius bonis succedit.l.3.c.29.n.14.
Honoris priuatio.l.3.c.7.
Hydromantia.l.1.c.44.

I.

IChthiomantia.l.1.c.56.n.8.
Ignorantia.l.1.c.12.& l.3.c.32.n.1.& seq.
Imagines conculcantes vel fœdantes. libro 2.cap.42. à num.14.
Immunitas Ecclesiæ.l.3.c.26.à n.27.

Impedientes officium Inquisitionis, l. 1. c. 28.
Impœnitentes hæretici, l. 2. c. 46. & seqq. à n. 1.
Imprimentes libros, l. 1. c. 21. n. 26. 31. 32. & à n. 36.
Impunitas promissa, l. 2. c. 20. à n. 40.
Indicia, lib. 2. cap 25.
Indicia indubitata probant, q. sect. 2. n. 22.
Infamia, l. 2. c. 24. & l. 3. c. 7.
Infantes, & infantiæ proximi, libro 3. capite 31. nu. 9. 10. & 19.
Infidelis receptans hæreticos, l. 1. c. 23. num. 26. & 27. contra fidem delinquens, c. 37.
Inquisitor quibus qualitatibus eligendus, lib. 1. cap. 1. quam iurisdictionem habeat, c. 2. qua ratione procedat, c. 3. contra quas personas, c. 4. in quibus causis, à c. 5. vsque ad finem libri.
Inquisitionis Lusitanæ initium, & illius Inquisitores generales & particulares, à fol. 1. vsque ad 24. Inquisitio Eborensis, fol. 18. Olyssiponensis, fol. 23. Conimbricensis, fol. 21. Goensis, fol. 31.
Incertitudo delinquentium, l. 3 c. 35. n. 6. & 7.
Instituens hæreticum hæredem, l. 3. c. 27. à n. 25.
Instructio circa fidem, l. 1. c. 30. n. 1. 5. & 6. c. 31. n. 5. & 7. & l. 4. c. 9. n. 4.
Instrumentum, l. 2. c. 22.
Intentionem negans, lib. 1. cap. 13. num. 6. & cap. 16. à num. 8.
Iracundia, l. 3. c. 32. n. 6. & 7.
Irregularitas, l. 1. c. 5.
Iudices sortilegorum, l. 1. c. 58.
Iudiciaria, l. 1. c. 48.
Iurare renuens in causis fidei, l. 3. c. 27. n. 22.
Iuris patronatus confiscatio, l. 3. c. 12.

Lamiæ

L.

LAmiæ, l. 1. c. 57. n. 16.
Lecanomantia, l. 1. c. 56. n. 3.
Legitimæ confiscatio, l. 3. c. 9. n. 34. & c. 10.
Leue delictum, l. 3. c. 30. n. 18.
Lex consuetudine constituitur, qu. sect. 2. n. 18. quæ sequenda ab Inquisitoribus, l. 2. c. 1.
Libanomantia, l. 1. c. 56. n. 14.
Libri prohibiti, l. 1. c. 21.
Locus, l. 2. c. 3. n. 13. & q. sect. 2. n. 16.

M.

MAgia, l. 2. c. 3. n. 14.
Mandatarius, l. 2. c. 25. n. 29. & l. 3. c. 35. à n. 8.
Merita quæ pœnam minuant, l. 3. c. 36. n. 12.
Metoposcopia, l. 1. c. 51. n. 4.
Ministri Inquisitionis, l. 1. c. 1.
Minor, lib. 2. c. 32. num. 3. & 4. & lib. 3. cap. 32. num. 14. & à n. 18.
Missam celebrans non sacerdos, l. 1. c. 32.
Mortis pœna l. 3. c. 6. & c. 30. à n. 14.
Mulier excusatur à rigore pœnæ, l. 3. c. 36. n. 1.
Multitudo delinquentium, l. 3. c. 35. à n. 1.
Mutus quando excusatur à pœna, l. 3. c. 36. n. 14.

N.

NEcromantia, l. 1. c. 45.
Negans fidem per metum, l. 1. c. 28.
Negatiuus, vide hæreticus.

Nobilitas qua ratione excusat à pœna. l. 3. c. 36. n. 7.
quando à filiis hæreticorum amittitur. l. 3. c. 24.
Notoreitas, & notorium. l. 2. c. 23.
Nutritus inter infideles. l. 1. c. 30.

O.

OBliuio. l. 1. c. 16. à num. 5. & lib. 2. c. 6. n. 57. & c. 48. n. 9. & 10.
Obseruationes vanæ. l. 1. c. 54.
Omen. l. 1. c. 49.
Onimantia. l. 1. c. 56. n. 6.
Onirocritica. l. 1. c. 38. n. 25.
Onomantia. l. 1. c. 56. n. 9.

P.

PAraphernale bonum. l. 3. c. 11. n. 7. & 11.
Pater præsentans filium. l. 3. c. 36. n. 15.
Patrocinatus confiscatio. l. 3. c. 12. n. 25.
Paulo post. l. 4. c. 9. n. 9.
Peculium castrense, vel quasi castrense. l. 3. c. 10. n. 1.
aduentitium n. 2. profectitium. n. 4.
Pecunia, & pecuniaria pœna. l. 3. c. 18. n. 7. & c. 28. &
l. 4. c. 14. & 22.
Peritia artis. l. 3. c. 36. n. 10. & 11.
Phytiognomia. l. 1. c. 51.
Plura. l. 4. c. 10. n. 3.
Poculenta. l. 3. c. 28. n. 12.
Pœna quid, & quotuplex sit. l. 3. c. 1. excommunicationis. c. 2. priuationis sepulturæ. c. 3. irregularitatis. c. 5. mortis. c. 6. priuationis famæ & honoris.
c. 7.

c.7.carceris.c.8.confiscationis bonorum. à c.9. vsque ad 25.
Pœnæ arbitrariæ l.3.c.16.pecuniariæ.c.28. non perficientium iniunctas pœnitentias. c. 29. aliquorum criminum specialium. c. 27. augendæ, vel temperandæ. à c. 30.
Pœna talionis.l.2.c.4.n.12.& c.8.n.29.& 32.
Pœnitens l.2.c.44.
Potentia l.4.c.19.n.10.
Pœnitentiam non adimplens.l.3.c.29.
Preces.l.4.c.19.n.10.
Præscriptio.l.2.c.50.n.1.& l.3.c.16.n.12.& c.19.
Præstigium l.1.c.39.
Præsumptio. l.1. c.10. & l.2. c.25.& l.3.c.31.n.14.q. sect.2.n.7.& 13. & sect.3.n.8.
Probatio & probare.l.2.c.5.l.4.c.21.n.19.q. sect. 1.n. 4.7.& 8.sect.2.n.13.& 23.& sect.3.à n.8.vsque ad 15.
Procedendi modus in causis fidei. l.2.c.1.
Procurator.lib.2.c.31.& c.49.n.11.
Profectitium bonum l.3 c.10.n.14. & 15.
Propositionum censuræ.l.1.c.7.
Prosper euentus quando pœnam minuat. l. 3. c. 36. num.16.
Protestatio quando excusat ab hæresi. l.1.c.14.
Protinus.l.4.c.9 n.9.
Puerilia.l.3.c.32.n.11.
Pubertas & pubertati proximum l.3.c.32.n.12. & 13.
Publicatio bonorum, vide confiscatio.
Purgatio canonica.l.2.c.38.& 43.
Pyromantia.l.1.c.36.
Pythagoræ rota.l.1.c.56.n. 2.
Pythonica diuinatio.l.1.c.42.

INDEX.

R.

Receptatores hæreticorum.l.1.c.23 & l.3.c.3.
Relapsus. l. 1. c. 30.n.7.l.2.c.27.n.13.c.38.n.16. c.45.& 47.l.3 c.29.n.4.6.8.& seqq.& l.4.c.11.
Relatiua depositio.l.2 c.6.à n.58.
Remissio reorum.l.2.c.28.
Restitutio in integrum,l.2.c.33.
Reuelationes,l.1.c.39.à n.4.
Reuocantes confessionem, l.2.c.48. n.23.& 24.
Rusticus,l.3.c.36.n.2.& 3.

S.

Salaria,l.2.c.28.n.14.
Salutatores,l.1.c.56.n.24.
Scandalum,l.1.c.31.n.15.& l.4.c.7.n.5.
Schismatici,l.1.c.20.& l.3.c.27.n.7.& seqq.
Senectus,l.3.c.32.n.15.
Sententia,l.2.c.27.n.11.& c.36. reuocatur, c.8.n.2. absolutoria,c.37. per purgationem canonicam, c.38.torturæ,c.39. per abiurationem de leui, c.40. per abiurationem de vehementi, c.41. suspecti violenter, c.42. per purgationem, & abiurationem,c.43.pœnitentis,c.44. relapsi pœnitentis.ca.45.impœnitentis non relapsi,c.46. impœnitentis & relapsi,c.47.conuicti negatiui, c.48. contra absentem,c.49.contra defunctum. c.50.
Sepeliens hæreticum,l.3.c.3.
Sepultura carent hæretici,l.3.c.3.
Sigilli necromantici,l.1.c.56.n.22.
Singula,q.sect.2.n.14.& sect.3.n.16.

Singu-

Singulare & singularitas, l. 2. c. 15. & q. per totam.
Socius criminis, l. 2. c. 25. à n. 18.
Sodomia, & sodomitæ, l. 1. c. 59. & l. 2. c. 3. n. 12. & c. 26. n. 18. 29. & 30. & l. 3. c. 32. n. 19. q. sect. 2. n. 12.
Solicitatio & solicitans, l. 1. c. 34. q. sect. 2. n. 12.
Somniorum diuinatio, l. 1. c. 40. & 50.
Sortilegium, l. 1. à c. 38. vsque ad 57. cum pacto explicito à c. 39. vsque ad 47. sine pacto explicito, à cap. 48. vsque ad 55. quodnam hæresim sapiat manifestè, c. 56. à n. 17. & c. 57.
Spatulamantia, l. 1. c. 51.
Sponte venire, l. 2. c. 26. n. 15. & l. 4. c. 8. n. 5. & seqq.
Sportulæ, l. 3. c. 28. n. 10.
Statim, l. 4. c. 9. n. 9.
Striges, l. 1. c. 57. n. 16.
Suggestio, l. 2. c. 17. n. 15. & 16. & c. 20. n. 60. & 61.
Summa maior vel minor quomodo probatur, l. 2. ca. 15. n. 29. & seqq.
Surdo quando minuitur pœna, l. 3. c. 36. n. 14.
Suspicio & suspectus de hæresi, l. 1. c. 10. c. 37. n. 8. & l. 2. c. 42.
Sycomantia, l. 1. c. 56. n. 12.

T.

TEmpus, l. 2. c. 6. n. 27. c. 15. n. 11. 15. 29. & seqq. l. 4. c. 7. n. 2. & c. 9. n. 8. & 13. q. sect. 2. n. 16.
Tempus gratiæ quid sit, l. 4. c. 1. quo differat à tempore veniæ, c. 1. n. 5. quæ impunitates concedat, c. 2. à quo concedatur, c. 3. quo iure concedatur, cap. 4. quando concedendum, c. 5. & 6. quando non concedendum, c. 7. quibus concedatur. à c. 8. vsque ad 11. eius publicatio, c. 12. qua ratione confessiones co du-

eo durante recipiendæ, c. 13. an imponenda sit pœna pecuniaria, c. 14.
Testium communia, lib. 2 cap. 6.
Testium contrarietas, d. c. 6. à n. 12.
Testium credulitas, à n. 55.
Testium varietas, contrarietas, & vacillatio, à n. 52.
Testium correctio, à n. 59. & c. 9. à n. 2.
Testium relatiua depositio, l. 2. c. 6. à. n. 59. nomina non publicanda, n. 76. obscura, vel dubia depositio. cap. 7.
Testis falsus & corruptus, l. 2. c. 8. periurus, c. 9. inimicus, c. 10. consanguineus, domesticus & familiaris, c. 11. Iudæus hæreticus & infidelis, c. 12. inhabilis, c. 13. vnicus, c. 14. q. sect. 1. n. 5. singularis, c. 15. q. vn. per totam, quot sufficiant ad probandum, l. 2. c. 19.
Testium tortura, l. 2. c. 16.
Testium examen, c. 17.
Testium examen coram religiosis personis, cap. 18. confrontatio, c. 17. n. 13.
Testificari nolentes in causis fidei, lib. 3. cap. 27. num. 20. & 21.
Tephramantia, l. 1. c. 56. n. 10.
Tortura reorum, l. 2. c. 4. n. 6. c. 39. testium, c. 6. n. 62. & 65. c. 9. n. 6. c. 16.

V.

VAnæ observantiæ, l. 1. c. 54.
Venia generalis, l. 4. c. 2. n. 5. concessa Hebræis in Lusitania, c. 15. quid concedat, & quibus personis, c. 16. quas personas excipiat, cap. 17. quatenus concedenda à Summo Pontifice, c. 18. quibus de causis

causis concedenda,c.19. non debere de nouo concedi Hebræis in Lusitania,c.20.non sufficiunt certæ causæ ab aliquibus adhibitæ, vt concedatur, c. 21.non est concedenda pro pecunia, c.22.

Violenta suspicio,l.2.c.42.

Vmbilicomantia,l.1.c.51.n.11.

X.

Xeniæ, l.3.c.28.n.12.

LAVS DEO,

Virginiq; Matri.